DE SPIRITIBVS CREATIS

TRACTATVS TRES
Expoſitiui & Morales.

EX MENTE PROBATISSIMORVM
Authorum tùm veterum cùm recentiorum.

AVTHORE F. CLAVDIO LE PETIT,
Pariſienſi Doctore, & quondam Profeſſore Theologo, totius
Ordinis S. Franciſci Diffinitore Generali.

TRACTATVS I. QVI EST DE ANGELIS.

PARISIIS,
Apud FRANCISCVM PIOT, propè fontem S. Benedicti. Et in officinâ
eius apud Patres Franciſcanos majoris Conuentus.

M. DC. XLI.

Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

ILLVSTRISSIMO VIRO DOMINO D. NATALI DE BVLLION EQVITI, DOMINO DE BONNELLE, BARONI DE GALLARDON ET D'ESCLIMONT, in ſuprema Curia Præſidi Infulato, Regi Chriſtianiſſimo à Secretioribus Conſilijs, &c.

HOC *votiuum Opus de Spirituali Creatura compoſitum* (Illuſtriſſime Præſes) *ad Amplitudinem tuam erga res ſpiritales non parum propenſam ſe ſua ſponte recipit; ne triſtiſſima mortis cerbitas, ſi debiti officij obſequia diſtuliſſe, intercepiſſe tamen videatur. Sanè ſublato è viuis, proh dolor! Viro illo clariſſimo Franciſcanæ noſtræ Pariſienſi Familiæ ac mihi inprimis bene affecto Parente tuo; non multùm abfuit quin eadem me cum ipſo fata, luctu ac mærore confectum omninò ſuſtulerint. Verùm melior animum iam labantem motus impulit, & ad ſaniora tandem reuocauit, dum mihi non tam ab humanis exceſſiſſe humaniſſimum Patrem, quàm in te, alijſque ſuis ſoſpitem ſuperſtare, adeóque & Ingenij, & Pietatis, & religioſæ erga Pauperes miſerationis, vno verbò vitæ ſimul ac virtutis Hæredem habere, non ſuaſit modò, ſed & perſuaſit. Quibus quidem in ſpem erectus, hilariorque*

factus, quod & ipſi debebam, & toties fueram pollicitus, & quod acceptiſſimum ſibi fore non modico affectu ſignificauerat grati animi monimentum, hoc videlicet de vtriſque tùm bonis cùm malis Genijs, deque Anima rationali, & præclara ipſius fælicitate ſcriptum volumen, tibi iam vt alteri ab illo exhibere conſtitui; Tibi (inquam) qui Beatos illos Angelos, & ab omni mole corporis ſeiunctas mentes, in terris animi puritate imitaris; qui ſiniſtros Genios pari odio proſequeris, & præclaram illam beatitatem Animæ aſſiduâ meditatione contemplaris. Eccui igitur hunc Librum pijſſimo Parenti iam conſecratum æquiori iure permittam, quàm ei qui deuota Soboles exiſtit, & ſpirans imago optimi Parentis? Eccui iura ſuauiſſimo Patri omnibus titulis iampridem debita meliùs perſoluam, quàm legitimo ipſius Hæredi, non ſanguinis modò, ſed & dignitatis maximè ac integritatis morum? Tanta tibi cum digniſſimo Patre tuo participatio muneris, vt iam, Infulatus ad omnia ſumma & ardua, proprio ſuffragante merito pares gradus moliaris. Tanta tibi cum eodem virtutis communicatio, & ſinceritatis cognatio intercedit, vt veriſimile ſit ipſum adhuc infirmum idem protuliſſe quod Antonius Pius biduò priuſquam moreretur, introductis amicis olim pronuntiauit, ſe nimirum æquo animo mori, cùm Filium relinqueret in quo Genitorem non ſecus ac in fructu Arborem cognoſcere liceret. Vt tanto parente ne inferior quidem vnquam videreris, ſicut illum in cæteris virtutibus Optimo Regni, Regiſque Miniſtro congruis, hactenus imitatus es, eum non ſecutus modo, ſed etiam aſſecutus; ita & in ſingularibus erga totum Ordinem Seraphicum benèficijs; maximè verò erga celeberrimum iſtum Pariſienſem Conuentum, quem ille veluti rem ſuam curare, fouere, ac frequentibus eleemoſynis obſtringere ſolebat. Teſtatur Templum quod ſacris muneribus & ornamentis bene auxit. Teſtatur Altare maius, quod ſuis ſumptibus erexit. Teſtatur Sacellum, quod non ſolùm extincti Corporis, ſed & eius accenſæ Pietatis iuxta ac Magnificentiæ præclarum Monumentum retinet, conſeruatque. Teſtor denique, ac teſtabor ego, qui talis ac tanti Viri Reliquias non emortuas erga me, ſed optimè animatas

ſentio; Quorum quidem omnium Dux ille, at tu Comes extitiſti, quin & illorum auſpicandorum Artifex, cùm liberaliſſimi Parentis nomine, Superioris Altaris fundamento, quò fœliciùs aſſurgeret, Angularem Lapidem ſubieciſti. Hinc nihil mihi optatius eſt, nihil magis propoſitum, quàm vt Illuſtriſſimo Patri tuo ſimillimum te, ſimili quoq; proſequar officio, & pari animi ſignificatione colam. Hinc Munus quod omnibus nominibus ad Parentem pertinet, Amplitudini tuæ non offero quidem, ſed perſoluo; non do, ſed reddo. Hoc ſi benigno vultu & æquo animo acceperis, audaciùs quidem ac fœliciùs lucem ſub tanti Nominis Ominiſque Auſpicijs Volumen experietur, at incredibilibus tuis, tuæque Nobiliſsimæ Familiæ erga me officijs cumulus acceſſerit, qui ſum per omnia

Illuſtriſſimæ Amplitudini tuæ.

Addictiſſimus ſeruus:
Fr. CLAVDIVS LE PETIT.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs infraſcripti in Sacra Theologiæ Facultate Pariſienſi Doctores, attentè legimus, & diligenter examinauimus librum, cuius titulus eſt, *De Spiritibus creatis Tractatus tres Expoſitiui & Morales. Authore* Fr. CLAVDIO LE PETIT, *eiuſdem Sacræ Facultatis è familia Minorum Doctore, & totius eiuſdem Ordinis Generali Diffinitore.* Nihil in eo offendimus quod fidei quam Romana ſeu Catholica & Apoſtolica Eccleſia proponit, puritatem offendat, vel morum integritatem. Liber eſt non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis conſcriptus, ſed Scripturæ Sacræ maieſtate, Patrum Authoritatibus, rationum momentis, ſententiarum pondere, & doctrinæ ſoliditate conſtructus. In eo habebit Lector candidus vnde Angelos bonos honoret, malos rideat & vincat: melioremque ſui partem, & veritatis notitia, & boni amore poſſit illuſtrare, accendere, inflammare. Datum Pariſijs anno Domini 1640. die 4. menſis Martij. I. HOBIER. C. MACAIRE.

Facultas Superioris.

NOs Frater Ludouicus Cayon Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctor, nec-non magni Conuentus Fratrum Minorum eiuſdem Ciuitatis Guardianus & Profeſſor primarius. Cùm Sacrum Concilium Tridentinum pręcipiat ne quis librum de rebus Sacris mandare typis, & in lucem edere audeat niſi cum approbatione & cenſura, etiam pręcedat Superiorum licentia; hinc viſâ approbatione Doctorum eiuſdem Facultatis cuiuſdam libri qui inſcribitur, *De Spiritibus Creatis Tractatus tres Expoſitiui & Morales ex mente probatiſſimorum authorum tum veterum, cum recentiorum* à R. P. F. CLAVDIO LE PETIT, *eiuſdem quoque Facultatis Doctore, & quondam Profeſſore, totius noſtri Ordinis S. Franciſci Diffinitore Generali elaboratum:* dicto Patri facultatem facimus per pręſentes, cum merito obedientiæ ſalutaris, vt præfatum librum prælo mandari, & in lucem prodire quamprimùm curet, ſperantes illum plurimùm frugis Lectoribus allaturum, & Sanctæ Eccleſiæ ac Ordinis noſtri vtilitati profuturum. In cuius rei fidem has Pręſentes noſtro chirographo officijque noſtri ſigillo muniri voluimus. Datum in præfato Conuentu, Anno Domini 1640. die menſis Iunij prima.

Fr. L. CAYON *Guardianus, & primarius Profeſſor Generalis.*

BENEVOLO LECTORI SALVTEM.

BENEVOLE LECTOR, dum hoc opus de Spiritibus Creatis tum Superiorum iuſſu, tum amicorum conſilio, faciliori & clariori quo potui ſtylo, in lucem edere decreui; mens mea non fuit Scolaſticas intermiſcere quæſtiones; iſtud ſolùm poſtea pro exili mea induſtria à quibuſdam rogatus præſtiti, & in noſtrorum iuniorũ gratiam qui Theologico ſtudio operam nauare incipiunt. Quoniam autem eiuſdem operis pars quæ ad componendos mores pertinet, longè amplior eſt eâ quæ de Scolaſtica inſtituitur; ideò à potiori & maiori illâ parte iudicaui eſſe totum opus denominandum. Si in eius lectura nonnulla offendas quæ tibi arrideant, & iudicet tua pietas eſſe alicuius emolumenti, his vtere & benè Vale.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliarum & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque Patentibus Litteris cautum, nè quis in Regno ſuo, alijſve locis ditioni ſuæ ſubiectis intra proximos annos ſeptem, à die Impreſſionis primæ inchoandos ac numerãdos, excudat, excudendum, vendendumque quouis modo & ratione curet librum qui inſcribitur, *De Spiritibus Creatis Tractatus tres Expoſitiui, & Morales ex mente probatiſſimorum Authorum, &c. Auctore* Fr. C. LE PETIT, Pariſienſi Doctore, &c. præter FRANCISCVM PIOT Bibliopolam Pariſienſem, cui dictus LE PETIT ius ſuum retroceſſit ac tranſtulit: idque ſub confiſcatione librorum alijſque, pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſijs die XXVI. Iulij 1640.

De mandato Regis.

Signatum, DENIS.

Typis mandatum die 15. Aprilis, Anno 1641.

INDEX CAPITVM ET SECTIONVM HVIVS primi Tractatus qui eſt de Angelis.

CAPVT PRIMVM. pag.1

Sectio 1. *DE varia nominis Angeli acceptione.* pag.1
Sect. 2. *De Angelorum creatione cum toto vniuerſo in Cœlo Empyreo.* 4
Sect. 3. *Probatur Angelorum exiſtentia per creationẽ.* 6
Sect. 4. *De Angeli definitione.* 9

CAPVT II. pag.11

De cognitione Angelorum.

Sectio 1. *AN in Angelo ſit intellectus agens & paſſibilis.* pag.11
Sect. 2. *Vtrum Angelus cognoſcat per ſpecies.* 13
Sect. 3. *An Angelus ſeipſum cognoſcat per ſuam eſſentiam.* 17
Sect. 4. *An vnus Angelus alium cognoſcat & quomodo.* 19
Sect. 5. *Quo pacto Angelus naturaliter Deum cognoſcat.* 20
Sect. 6. *An Angelus cognoſcat futura contingentia.* 24
Sect. 7. *An Angelus cognoſcat præterita & poſſibilia.* 26
Sect. 8. *An ſecreta cordis noſtri poſſint ab Angelo naturaliter cognoſci, & illa de facto cognoſcant.* 28
Sect. 9. *An & quomodo Angelus cognoſcat myſteria gratiæ.* 32
Sect. 10. *Vtrum Angeli in Verbo cognouerint diem iudicij.* 37
Sect. 11. *Vtrum in Angelis detur cognitio matutina & veſpertina.* 39
Sect. 12. *Quam ingens ſit Angelorum ſcientia, & quàm exigua illius comparatione ſit noſtra.* 41

CAPVT III. pag.43

De locutione & illuminatione Angelorum.

Sectio 1. *QVomodo Angeli cum Deo, & Deus cum ipſis, cum hominibus, & inter ſe loquantur.* pag.43
Sect. 2. *An poſſit vnus Angelus loqui cum altero in quacunque diſtantia.* 46
Sect. 3. *An vnus Angelus poſſit vni loqui, & non alteri, & poſſit loqui abſque eo quòd ab aliis audiatur.* 48

Sect.4.An

Sect. 4. *An vnus Angelus illuminet alium.* 50
Sect. 5. *Reſoluuntur quædam dubia circa Angelorum illuminationes, & quo ordine fiant.* 54

CAPVT IV. *pag. 56*

De voluntate Angelorum.

Sectio 1. *Quomodo Angeli voluntas ab initio ſit libera, & in qua beatitudine ſint creati Angeli.* pag. 56
Sect. 2. *De amore & dilectione Angelorum.* 59
Sect. 3. *An Angeli in via fuerint in gratia habituali.* 61
Sect. 4. *An Angeli ad illam habitualem gratiam quam ab inſtanti ſuæ creationis habuerunt, ſeſe per aliquos actus diſpoſuerint.* 64
Sect. 5. *An Angeli meruerint ſuam beatitudinẽ, & per quæ opera.* 67
Sect. 6. *Vtrum inter creationem Angelorum & beatitudinem, vel damnationem eorumdem, fuerit aliqua mora, ſeu ſpatium in quo fuerunt viatores.* 70
Sect. 7. *De conformitate voluntatis Angelicæ cum diuina.* 74

CAPVT V. *pag. 76*

Sectio 1. *Exponitur Ezechielis locus ad ampliorem prædictorum confirmationem, & ad Angelorum nonnullas perfectiones intelligendas.* pag. 76
Sect. 2. *Nonnullæ aliæ Angelorum perfectiones recenſentur, & potiſſimùm ſancti Michaëlis in datione legis in monte Sina.* 83
Sect. 3. *Quædam alia miræ virtutis effecta peregit ſanctus Michaël, atque alij Angeli ſancti.* 86

CAPVT VI. *pag. 90*

De nouem Angelorum ordinibus, & eorum multitudine ac numero.

Sectio 1. *In tres Hierarchias & Choros nouem, diſtincti ſunt Angeli.* pag. 90
Sect. 2. *Circa prædicta de Angelorum Hierarchiis & Ordinibus quædam notanda.* 95
Sect. 3. *In Eccleſia hominum ſunt etiam tres Hierarchiæ, & nouem Ordines, qui ad Angelorum Choros aſſumentur.* 96
Sect. 4. *Quo numero ſint Angeli.* 98

CAPVT VII. pag.102

De loco & motu Angelorum.

Sectio 1. Sint-ne Angeli in loco. pag.103

Sect. 2. An Angelus ſit in loco per operationem aut per propriam ſuam eſſentiam & ſubſtantiam. 106

Sect. 3. An vnus Angelus poſſit eſſe in pluribus locis. 109

Sect. 4. An duo Angeli vel plures poſſint eſſe in vno & eodē loco. 111

Sect. 5. An Angelus poſſit moueri de loco in locum. 113

Sect. 6. An Angelus poſſit mouere ſeipſum. 116

Sect. 7. Vtrum Angelus poſſit moueri de loco in locum motu continuo. 118

Sect. 8. Vtrum Angelus poſſit moueri de loco in locum in inſtanti. 119

Sect. 9. An Angelus poſſit moueri ab extremo in extremum non tranſeundo per medium. 121

CAPVT VIII. pag.124

De duratione & menſura Angelorum.

Sectio 1. Quænam ſit Angelorum menſura. pag.124

Sect. 2. Quâ menſura operationes Angelorum menſurentur. 129

CAPVT IX. pag.132

De differentia vnius Angeli ab alio, atq; ab Anima rationali.

Sectio 1. An ſub vna ſpecie Angelica ſint plures Angeli ſolo numero differentes. pag.132

Sect. 2. An Angeli omnes ſint eiuſdem ſpeciei, vel differant ſpecie & genere. 138

Sect. 3. An Angelus & anima differant ſpecie. 140

CAPVT X. pag.144

Sectio 1. De variis Angelorum nominibus, & præcipuè ſeptem Angelorum qui coram Deo aſtant. 144

Sect. 2. Recenſentur ſpeciatim ſeptem Angelorum nomina, quorum ſicut omnium aliorum Angelorū S. Michael eſt Princeps. 145

Sect. 3. Circa prædicta de 7. Angelis, occurrit quædam reſoluenda difficultas. 151

Sect. 4. Vltra ſeptem Angelorum nomina, alia quoq; recenſentur. 153

CAPVT XI. pag.154

De aliis communioribus Angelorum nominibus & quaſi appellatiuis.

Sectio 1. Angeli dicuntur filij, oculi; & pedes Dei, & cur. pag.154

Sect. 2. Angeli vocantur fluuij, montes, colles, ignis, cœlum, nu-

bes, & ſtellæ, & cur. 157
Sect. 3. *Angeli aues ſeu volucres vocantur, & cur.* 159
Sect. 4. *Angeli virtutes, pacifici, principes, ſaluatores, & adiutores Dei dicuntur.* 161

CAPVT XII. *pag.* 164

Angeli ſunt cunctis rebus præpoſiti.

Sectio I. *Qvidam Angeli ſunt Elementis & aliis viſibilibus rebus etiam irrationabilibus præpoſiti.* pag.164
Sect. 2. *Quidam Angeli ſunt Regnis & Prouinciis, etiam infidelibus præpoſiti.* 166
Sect. 3. *Quidam Angeli Ciuitatibus & earũ muris ſunt præpoſiti.* 168
Sect. 4. *Aliqui Angeli toti Eccleſiæ in vniuerſum, & Eccleſiis particularibus, nec-non cuilibet Monaſterio ſiue Collegio ſunt præpoſiti.* 170
Sect. 5. *Angeli nonnulli ſunt exercitibus præpoſiti.* 174

CAPVT XIII. *pag.* 178

De Angelorum cuſtodia.

Sectio I. *Probatur ex Ethnicis & antiquis Philoſophis Angelorum cuſtodia.* pag.179
Sect. 2. *Ex nonnullis Scripturæ locis iuxta eorum à ſanctis Patribus explicationem, probatur Angelorum cuſtodia.* 180
Sect. 3. *Angeli, quamplures duxerunt & tranſportarunt.* 183
Sect. 4. *Recenſentur viæ in quibus ex citata Dauidis ſententia, præcedente ſectione, cuſtodiunt nos Angeli.* 185
Sect. 5. *Viæ item noſtræ orationes ſunt à nobis ad Deum fuſæ, quas eidem offerunt Angeli, & præcipuè ſacrificium Miſſæ.* 187
Sect. 6. *Aliæ inſuper viæ in quibus nos Angeli cuſtodiunt, recenſentur.* 191
Sect. 7. *Exponuntur Dauidis verba; In manibus portabunt te, &c.* 194
Sect. 8. *Præcipua Noui Teſtamenti loca, quibus hominum ab Angelis cuſtodia probatur.* 196
Sect. 9. *Ex ſanctis Patribus Angelorum cuſtodia probatur.* 198
Sect. 10. *Rationibus quibuſdam Angelorum cuſtodia probatur.* 202
Sect. 11. *Non ſolùm deputantur Angeli Cuſtodes hominibus prædeſtinatis, & fidelibus baptizatis, ſed etiam infidelibus, immò & Antichriſto.* 205
Sect. 12. *Chriſtus Angelum Cuſtodem non habuit, at bene primi noſtri Parentes, & Beata Virgo.* 208

CAPVT XIV. *pag.* 210

Sectio 1. *QVænam Angelos ad noſtri cuſtodiam alliciant.* *pag.* 210

Sect. 2. *Alia ratio notanda cur Angeli ad noſtri cuſtodiam alliciantur.* 212

Sect. 3. *Ob tria potiſſimùm noſtri curam agunt Angeli.* 214

CAPVT XV. *pag.* 216

De aliis vtilitatibus quæ nobis ex Angelorum cuſtodia proueniunt.

Sectio 1. *ANgeli ſunt Pædagogi noſtri & Conſolatores, malis autem terrori ſunt.* *pag.* 216

Sect. 2. *Quomodo Angeli nos illuminant atque inſtruunt, vt verè dici Pædagogi noſtri queant.* 221

Sect. 3. *Angeli ſunt Medici noſtri.* 223

Sect. 4. *Angeli nos à Dæmonibus & aliis periculis, magna cum vigilantia defendunt & protegunt.* 225

Sect. 5. *Angeli Cuſtodes nos à malis hominibus, à feris, à rebus inanimis, ab ira Dei, &c. defendunt & liberant.* 231

Sect. 6. *Specialiora quædam Sacræ Scripturæ loca & exempla cuſtodiæ Angelorum adferuntur.* 234

CAPVT XVI. *pag.* 237

Sectio 1. *ANgeli præcipuè Religioſos cuſtodiunt.* *pag.* 237

Sect. 2. *Qua debeant reuerẽtia & honore Religioſi, & alij omnes ſuos Cuſtodes Angelos colere, eoſq; amore proſequi.* 243

Sect. 3. *Angelos inuocare & eorum auxilium implorare in noſtris afflictionibus debemus.* 246

Sect. 4. *Quid agendum, vt Angelo quem inuocamus, grati ſimus.* 250

CAPVT XVII. *pag.* 251

De forma & habitu in quibus apparuerunt Angeli.

Sectio 1. *QVa in forma apparuerunt.* *pag.* 251

Sect. 2. *Angeli in forma glorioſa virorum, & aliis formis non humanis, apparuerunt.* 254

Sect. 3. *In corporibus aſſumptis apparent Angeli, & quandóque Dei perſonam referunt.* 257

Sect. 4. *Quo habitu apparuerint Angeli.* 260

Sect. 5. *Adſunt Angeli piis Religioſis, aliiſq; probis fidelibus in mortis articulo, & in animarum egreſſu à corporibus.* 262

CAPVT XVIII. *pag.* 265

De imitatione Angelorum.

Sectio 1. *QVomodo aliqualiter ſint imitandi in ſuis perfectionibus Angeli.* *pag.* 265

Sect. 2. *Angelos imitari debemus in Dei decantandis laudibus.* 269

FINIS.

TRACTATVS PRIMVS QVI EST DE ANGELIS.

CAPVT I.

Hoc in priori capite huius Tractatus, priuſquam vlterius progrediamur, eſt videndum quid Angeli nomen nobis indicet, & quomodo variè ſumatur, necnon de Angelorum creatione cum toto vniuerſo in Cœlo Empyreo, eorum exiſtentia ac definitione, quæ omnia ſequentibus abſoluentur ſectionibus.

SECTIO I.

De varia nominis Angeli acceptione.

ANGELVS nomen eſt græcum, quod nuntium, ſeu legatum & miſſum ſignificat, quia ille qui ita mittitur, eſt internuntius voluntatis illius à quo delegatur. Hebraïcè dicitur *Malach* in ſingulari, in plurali verò *Malachim*: illa autem dictio *Malach* operantem ſignificat, quia nuntius ille & legatus vtplurimùm aliquid in commodum eorum ad quos mittitur, perficit & operatur. Vnde illud Angeli nomen eſt potiùs officij quàm naturæ, vt ait D. Cyrillus in illud Ioan-

Angelus, id eſt, nuntius.

S. Cyril. in 1. cap. Ioan.

CAPVT XIV. *pag.210*

Sectio I. *Quænam Angelos ad noſtri cuſtodiam alliciant.* pag.210

Sect. 2. *Alia ratio notanda cur Angeli ad noſtri cuſtodiam alliciantur.* 212

Sect. 3. *Ob tria potiſſimùm noſtri curam agunt Angeli.* 214

CAPVT XV. *pag.216*

De aliis vtilitatibus quæ nobis ex Angelorum cuſtodia proueniunt.

Sectio I. *Angeli ſunt Pædagogi noſtri & Conſolatores, malis autem terrori ſunt.* pag.216

Sect. 2. *Quomodo Angeli nos illuminant atque inſtruunt, vt verè dici Pædagogi noſtri queant.* 221

Sect. 3. *Angeli ſunt Medici noſtri.* 223

Sect. 4. *Angeli nos à Dæmonibus & aliis periculis, magna cum vigilantia defendunt & protegunt.* 225

Sect. 5. *Angeli Cuſtodes nos à malis hominibus, à feris, à rebus inanimis, ab ira Dei, &c. defendunt & liberant.* 231

Sect. 6. *Specialiora quædam Sacræ Scripturæ loca & exempla cuſtodiæ Angelorum adferuntur.* 234

CAPVT XVI. *pag.237*

Sectio I. *Angeli præcipuè Religioſos cuſtodiunt.* pag.237

Sect. 2. *Qua debeant reuerētia & honore Religioſi, & alij omnes ſuos Cuſtodes Angelos colere, eoſq; amore proſequi.* 243

Sect. 3. *Angelos inuocare & eorum auxilium implorare in noſtris afflictionibus debemus.* 246

Sect. 4. *Quid agendum, vt Angelo quem inuocamus, grati ſimus.* 250

CAPVT XVII. *pag.251*

De forma & habitu in quibus apparuerunt Angeli.

Sectio I. *Qua in forma apparuerunt.* pag.251

Sect. 2. *Angeli in forma glorioſa virorum, & aliis formis non humanis, apparuerunt.* 254

Sect. 3. *In corporibus aſſumptis apparent Angeli, & quandóque Dei perſonam referunt.* 257

Sect. 4. *Quo habitu apparuerint Angeli.* 260

Sect. 5. *Adſunt Angeli piis Religioſis, aliiſq; probis fidelibus in mortis articulo, & in animarum egreſſu à corporibus.* 262

CAPVT XVIII. *pag.265*

De imitatione Angelorum.

Sectio I. *Quomodo aliqualiter ſint imitandi in ſuis perfectionibus Angeli.* pag.265

Sect. 2. *Angelos imitari debemus in Dei decantandis laudibus.* 269

FINIS.

TRACTATVS PRIMVS QVI EST DE ANGELIS.

CAPVT I.

Hoc in priori capite huius Tractatus, priuſquam vlterius progrediamur, eſt videndum quid Angeli nomen nobis indicet, & quomodo variè ſumatur, necnon de Angelorum creatione cum toto vniuerſo in Cœlo Empyreo, eorum exiſtentia ac definitione, quæ omnia ſequentibus abſoluentur ſectionibus.

SECTIO I.

De varia nominis Angeli acceptione.

ANGELVS nomen eſt græcum, quod nuntium, ſeu legatum & miſſum ſignificat, quia ille qui ita mittitur, eſt internuntius voluntatis illius à quo delegatur. Hebraïcè dicitur *Malach* in ſingulari, in plurali verò *Malachim*: illa autem dictio *Malach* operantem ſignificat, quia nuntius ille & legatus vtplurimùm aliquid in commodum eorum ad quos mittitur, perficit & operatur. Vnde illud Angeli nomen eſt potiùs officij quàm naturæ, vt ait D. Cyrillus in illud Ioan-

Angelus, id eſt, nuntius.

S. Cyril. in 1. cap. Ioan.

[S. Greg. & Hom. de centum ouib. — Ad Hebr. 1.]
nis, *fuit homo miſſus à Deo*, & D. Greg. Homiliâ, *De centum ouibus*; Et vt ſic, commune eſt omnibus ſpiritibus, nam ex Apoſtolo, *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

Illud autem Angeli nomen quandoque ad homines extenditur, ad illos videlicet qui voluntatis Dei internuntij ſunt; vnde

[Malac. 3. — S. Ioannes Bapt. dictus fuit Angelus.]
D. Ioanni Baptiſtæ tribuitur; nam Angelus vocatur apud Malachiam, *Ecce ego* (ait Dominus) *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator*, id eſt, Meſſias. Et de facto ipſe Chriſtus de Ioanne Baptiſta

[Marc. 1. & Math. 11.]
illud Prophetæ dictum eſſe declarauit. Non fuit autem Angelus per naturam, vt falsò putat Origenes in Ioannem, dicens aliquos Angelos verbum imitatos carnem aſſumpſiſſe, Chriſtique Præcurſorem Angelum huiuſmodi fuiſſe: Cuius opinionis fuerunt non-

[S. Hier. in 1. c. Aggei.]
nulli alij, de quibus D. Hieron. ſed dictus eſt Angelus, id eſt, nuntius, quia præcurſor ſaluatoris fuit, illumque annuntiando homini-

[Ioan. 1. — Ioan. 1.]
bus digito demonſtrauit, dicens: *Ecce Agnus Dei*: vnde D. Ioannes Euangeliſta, ait, *fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes.* Illum vocat hominem vt innueret non eſſe Angelum naturâ, ſed officio tantùm, cuius etiam quaſi eſſet Angelus in terris degens iam videbatur conuerſatio cœleſtis, & Angeli nomen ob eius puritatem & innocentiam ei maximè conueniebat.

[Angeli nomẽ ſacerdotibus tribuitur. — Malac. 2.]
Idem quoque Angeli nomen Sacerdotibus tribuitur propter officium, apud Malachiam, *Labia ſacerdotũ cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* S.

[Cajet. in 1. ad Cor. 11.]
Ambroſius quoque, Oecumenius, Cajetan. & alij in Epiſt. D. Pauli ad Cor. docent illum iubere, vt mulieres capita velarent in Eccleſia propter Angelos: per illos Angelos intelligunt Sacerdotes. Ita dile-

[Apoc. 2.]
ctus Chriſti Diſcipulus S. Ioannes in Apocalypſi dum de Epiſcopis Epheſij, Smyrnæ, Pergami, &c. loquitur, illos Angelos vocat, quia

[Angeli nomẽ prædicatoribus cõuenit. — Eſai. 18.]
Epiſcopi tenentur prædicare & annuntiare populo diuinam legem; vnde etiam idem Angeli nomen pro prædicatoribus verbi diuini vſurpari ſolet, vt apud Eſaïam, *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam*, id eſt ad gentes olim à lege Dei & pacto quod

[Geneſ. 9.]
cum Noë pepigerat conuulſas, conuertendas; quales Ægyptij & aliæ gentes remotæ, vt aliqui exponunt; vel certè ad Gentem Iudæorum conuertendam, quæ vocatur terribilis, propter prodigia quæ, vt eam educeret de Ægypto, fecit Deus, & nihilominus à lege

[Hier. Euſeb. Gloſſa. Lyran. Vatab.]
& fide Chriſti conuulſa & à gentibus dilacerata eſt. Sic teſte Hieronymo exponit Euſebius, ſic gloſſa interlinearis, & Lyranus, atque Vatablus, quamuis prior expoſitio magis placeat. In eodem ſenſu

paſſim in Apocalypſi Angelorum typo prædicatores deſcribuntur, *Vidi alterum Angelum volantem per medium cælum, habentem Euangelium æternum.* Angelum naturâ verum à Ioanne viſum eſſe credendum eſt, ſed certè in typum prædicatorum illius temporis; Homines enim & non Angeli prædicabant, vt exponunt D. Ambroſius, Anſelmus, &c. necnon venerabilis Beda, Rupertus, & Tyconius. Per medium autem cœlum volat, quia prædicator non debet terrenis adhærere, ſed vt virtutum exemplar, verbo ſimul & opere prędicare; iuxtà illud Chriſti Domini, *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Idem intelligendum eſt de ſecundo & tertio Angelo, qui prædictum ſequuti eſſe referuntur. Denique poſtquam Ioannes vidit verbum Dei in equo cum veſte conſperſa ſanguine, quo vicit Antichriſti fautores, ſubdit, *Vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, &c.* Qui inuitabat ad cœnam agni, quem aliqui putant verum Angelum: Sed probabilior eſt eorum ſententia qui tenent eſſe congregationem prædicatorum qui ſeſe eo tempore ſole clariores opere exhibebunt: quod de talibus Chriſtus ait: *Vos eſtis lux mundi*, quia prædicatio Eccleſiæ quò magis opprimitur, clarius effulget, vt hoc loco Beda exponit.

Apoc. 14. *Tycon. hom. 11.* *Math. 5.* *Apoc. 9.* *Math. 5.*

Angeli inſuper nomen per excellentiam filio Dei appropriatur, quamuis cum addito frequentiùs, quo eius altitudo denotatur. Sic apud Eſaïam ſecundùm Septuaginta, legimus, *Et vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus.* Similiter apud Malachiam de eodem Dei filio dicitur: *Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis.* Dicitur autem Angelus teſtamenti, quia nouum erat teſtamentum prædicationis, & omnia quæ à patre audiuerat, hominibus nuntiaturus. Et hinc per Hieremiam dicitur, *fœdus nouum.* Sic ille Angelus de quo in Apocalypſi: *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis*, erat ipſe Chriſtus, vt multi expoſitores docent, vnde apud Pſalmiſtam de eo dicitur, *Qui aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem.*

Angeli nomen filio Dei accommodatur. *Eſai 9.* *Malach. 3.* *Hier. 38.* *Apoc. 7.* *Pſal. 67.*

Denique illud Angeli nomen communiter & magis propriè iuxta Scripturam, Eccleſiam & ſanctos Patres ſignificat naturam illam ſpiritualem & intellectualem in mundi exordio à Deo productam: hæc enim ſpiritualis natura ad homines ab eo mitti ſolet, & eius voluntatis eſt internuntia, noſque cuſtodit, & ab aduerſarijs protegit, & ita nomen illud eſt potiùs officij, quàm naturæ, vt docet etiam D. Ambroſius, *Sciendum eſt*, inquit, *quòd Angelus, nomen eſt officij, non naturæ, qui enim ſemper ſunt ſpiritus, non ſemper Angeli vocari poſſunt. Quæris huius naturæ nomen? ſpiritus eſt: Quæris officij? Angelus ex eo quòd eſt, eſt ſpiritus; ex eo quòd agit, Angelus, quia ἄγγελος, Græcè,*

Angeli nomen naturam ſignificat intellectualem. *In cap. 1. epiſt. ad Hebræos.*

Latinè nuntius dicitur. Quibus poſtremis verbis indicatur cauſa ob quam ſpiritales illæ ſubſtantiæ, quas Angelorum nomine intelligimus, Angeli nuncupentur, quòd nimirum, vt ibidem addit idem S. Ambr. mittantur à Deo nuntiare quod iuſſerit.

Angeli vox duplicem habet ſignificationem.

Porrò hæc vox Angelus duplicem habet ſignificationem; vnam latiorem, ſtrictiorem alteram: latiori ſumitur cùm accipitur pro omni, aut quâlibet ſubſtantiâ completâ ſpiritali & intellectuali, cuiuscumque demùm ſit ordinis & Hierarchiæ, (dicemus enim poſteà ſubſtantias illas in tres Hierarchias & nouem ordines diſtribui) & hoc latiori modo ſumptam Angeli vocem intelligit Pſalmiſta dum ait: *Adorate eum omnes Angeli Dei.* Quem locum citat Apoſtolus vt probet Chriſtum eſſe Dei filium naturalem, quòd ſuperior ſit omnibus omninò Angelicis ſubſtantijs. Ita & ipſe Chriſtus, *De die autem illo vel hora nemo ſit, neque Angeli in cælo.* Et alibi ſæpè. Strictiori verò, cùm vſurpatur pro ſolis Angelicis ſpiritibus quos infimus ordo continet: quo modo frequenter accipit D. Dionyſius: & toties ſcriptura, quoties Angelos ab Archangelis aliiſque beatorum ſpirituum ordinibus ſecernit. In hoc autem quem inchoamus tractatu, in latiori illa ſignificatione Angeli nomen vſurpabimus, quamuis tamen ſpeciatim de cunctis, tùm Hierarchijs, tùm ordinibus, necnon de quibuſdam particularibus Angelis, vt de Sanctis Michaële, Raphaële, &c. ſimus quoque dicturi.

Pſal. 96. Hebr. 1.

Marc. 13.

Lib. de cæl. Hierarch.

SECTIO II.

De Angelorum creatione cum toto vniuerſo, in cælo Empyreo.

Deus nulla indigẽs creatura cur aliquas creauit.

ÆTERNVS atque omnipotens Deus, bonum vnicum & ſummum, à quo bona cuncta procedunt, ita in ſemetipſo eſt perfectus, ita ad omnem plenitudinem beatus, vt nullis omninò indigeat creaturis, vnde vel commodum aliquod, vel oblectamentum accipiat; ſiquidem creaturæ omnes quæ ab eo conditæ ſunt, gloriam eius, aut gaudium augere non poſſunt, ſic vt lætitia aut conſolatio major nunc ei ſit ex creaturarum obſequio, quàm ante erat cùm nulla adhuc earum ſubſiſteret. Attamen propter ineffabilem bonitatem, prouidentiam, & liberalitatem ſuam, complacuit ſibi effundere in creaturas participationem & diuitias bonitatis ſuæ, ad gloriam perfectiſſimæ potentiæ, ſapientiæ, ac eiuſdem ſummæ ſuæ bonitatis,

quæ ſpecialiora ſunt attributa in omnibus ſuis operibus relucentia, quæ ob id perfecta dicuntur. Sic itaque non ob vtilitatem aliquam quam ſpectabat acquirendam, ſed propter ſuam perfectionem effundendam atque communicandam, creauit in principio cœlum & terram, & cuncta quæ in eis continentur: & quia hæc omnia ex nihilo condidit, infinitam ſuam oſtendit potentiam; quia illis eſſe communicauit, mirè ſuam patefecit bonitatem; quia miro ordine eadem diſpoſuit, ſuam exhibuit ſapientiam; & tandem quia vnicuique quod ſuę naturæ accommodatum erat, prouidit, ſuam apertè prouidentiam demonſtrauit. *Deut. 32.*

Cælorum autem ſupremum quod Empyreum nuncupatur, peculiariter ſui decoris gloria exornauit, ipſum ſibi deligens in aulam Regiam & glorioſum Palatium Regni ſui, in quo à ſeruis ſuis ſpeciali vult honore coli & venerari, veluti in templo & throno ſancto ſuo, quemadmodum Regius Propheta ait: *Dominus in cælo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur.* Et alibi: *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius.* Ac rurſum per Eſaïam: *Cælum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum.* Hoc autem cœlorum nobiliſſimum creans in principio, ſimul cum illo & in illo innumerabilem nobiliſſimarum creaturarum multitudinem condidit, videlicet Angelos, & in eodem temporis momento quo alios etiam cœlos & terram creauit, vt docet D. Auguſt. Et ſic nobiliſſimis illis creaturis cœlum illud empyreum repleuit, vt teſtantur SS. Patres, & pręcipuè venerabilis Beda, qui expreſsè dicit: *Hoc ſuperius cælum quod volubilitate mundi ſecretum eſt, mox vt creatum eſt, ſanctis Angelis impletum fuit.* Ratio autem Theologorum cur dicant Angelos in cœlo empyreo fuiſſe creatos, eſt quia conueniens videbatur, vt in illo loco tanquam in natiuo & proprio ſolo, ac quieto loco crearentur, ſicut homo in terra tanquam in proprio quoque loco vbi manſurus erat per aliquod tempus, fuit creatus. Deinde cùm ipſi Angeli ſint creati vt præſideant creaturæ corporeæ, congruum fuit vt in ſupremo loco conderentur, quod tamen fide certum non eſt. Nonnulli aliam reddunt rationem, quia (inquiunt) numerus Angelorum longè ſuperat numerum hominum, vt ſuo loco dicemus: Ideo valde congruum fuit vt in cœlo illo empyreo crearentur, cuius immenſitas infinitis ſpatijs orbem terrarum exuperat, adeò vt eius reſpectu globus terræ puncto comparetur iuxta Philoſophos. Deinde quia Angeli locum habere debent congruum ſibi quò ad ſplendorem & ſublimitatem, ſunt enim Angeli ſublimes valdè & admodum ſplendidi; ideo rectè dicuntur in cœlo empyreo quod eſt lucidiſſimum & maximè ſublime creati. Porrò de illorum creatione in cœlo ipſo ſimul tem-

Cœlum empyreum Dei aula & ſedes.

Pſal. 102.

Pſal. 10.

Eſai. 66.

Angeli in cœlo empyreo conditi.

De Geneſi ad litteram lib. 4. & in Pſal. 103. Beda.

a D. Tho. 1. p. q. 66. art. 3. b Hæreſ. 65. c Lib. 11. de Ciuit. Dei, c. 6. q. 32. & 33. d Lib 32. Moral. cap. 9. Cap. 1.

pore cum hoc vniuerſo, differunt S. Thomas, *a* & Magiſter, & multi Sancti Patres, vt Epiphanius, *b* S. Auguſtinus, *c* S. Gregorius, *d* &c. Et conſtat ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. conformiter ad Concilium Nicænum: *Vnum*, inquit, *eſt vniuerſorum principium, creator omnium viſibilium & inuiſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* Et ſic apparet hanc ſententiam eſſe de fide, quia apud Eccleſiaſticum dicitur: *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Ergo non vnum poſt aliud, & ſic Angeli non ante, aut poſt vniuerſi creationem fuere conditi, ſed ſimul cum toto hoc vniuerſo, cuius ſunt partes licèt prioritate quâdam naturæ priùs Angeli fuerint creati: decens enim valdè erat, vt Deus à creaturis perfectioribus creationem inciperet. Alij volunt ſimultatem illam fuiſſe moralem quę inter illa conſiſtit quorum vnum paulo ante aliud productum eſt.

Eccl. c. 18.

SECTIO III.

Probatur Angelorum exiſtentia per creationem.

NON deſunt autem rationes congruæ quibus nobis innoteſcit, maximè conueniens eſſe vt per creationem Angeli exiſtant.

Exiſtentia Angeli multis rationibus probatur.

Nonnulli itaque hanc eorum exiſtentiam hac ratione probant; Aliquid adinuenitur compoſitum ex duobus, & vnum illorum duorum quod eſt minùs perfectum inuenitur per ſe, vt corpus ſine ſpiritu: Ergo oportet vt aliud quod eſt magis perfectum, reperiatur per ſe, vt ſpiritus ſine corpore, qui non eſt niſi Angelus; igitur Angelus eſt. Nota ergo Angelos eſſe, non eſſe propoſitionem per ſe notam & immediatam, primumque principium, aliàs illos eſſe non negaſſent olim Saducæi, vt refert B. Lucas, & alij multi Hæretici ex Chriſtianis, quos recenſet Prateolus, & innumeri alij ex antiquis Philoſophis, maximè Epicureis & Atheis. Propoſitio autem quæ innumeris hominibus falſa videtur, non eſt per ſe & ex terminis nota, ſicut totum eſt maius ſuâ parte.

Act. 23. 4. Contrà Hæreſ. num. 16.

1. p. q. 50. art. 1.

Clariùs id docet D. Thomas, creauit Deus mundum, vt bonitatem ſuam quæ ſuaptè naturâ communicabilis eſt, communicaret; tribuens rebus eſſe & naturam, quæ eſt participatio quędam diuinæ naturæ. Conſonum autē rationi erat vt in mundo reperirentur creaturæ ſpiritales ſimiles Deo in modo agendi & operandi; Is autem

modus eſt per intellectum & voluntatem; vnde Angelos creauit intellectu & voluntate exornatos, cùm enim ſint incorporeæ & ſpirituales ſubſtantiæ vt dictum eſt, ab omni mole corporea ſecretæ, vt etiam ex ſcripturis & ſanctis PP. conſtat, debent intellectu & voluntate exornari, vt intimiùs cauſam ſuam quæ Deus eſt, imitentur & æmulentur.

Deinde nonne ad vniuerſi perfectionem ſpectabat, vt omnium entium gradus producerentur? ita quidem eſt: ſunt autem quatuor entium gradus; Primus, eorum quæ ſolum eſſe habent; ſecundus viuentium; tertius eorum quæ ſenſu prædita ſunt; quartus gradus eſt intelligentium creaturarum quæ intellectu & voluntate ſunt prędi-tæ. Vt ergo nullus rerum gradus mundo deeſſet, produxit omnipotens Deus Angelos ſupradictis perfectionibus, aliiſque infra notandis exornatos. Etenim, quamuis (vt optimè animaduertit Cajetanus) homines in hoc quarto rerum gradu contineantur, non ſunt intellectuales creaturæ totales, quòd altera eorum pars, corporea, terreſtris, & materialis ſit. Conſonum igitur rationi erat vt creaturas intellectuales omninò ſpirituales per ſe ſubſiſtentes, ac omnibus ſuis numeris abſolutas Deus produceret, ipſos videlicet Angelos rebus alijs ſuperiores, ſicut montes excedunt valles; vnde etiam montium nomine donantur, ait Nicetas, quòd ſublimes ſint; & cœleſtes, & æterni, quia immortales; vbi de æternitate tantùm à parte pòſt loquitur, cùm enim ab initio temporis ſint conditi, vt dictum eſt, principio non carent.

Porrò etiamſi de fide ſit ipſos Angelos exiſtere, cùm à Deo (vt dictum eſt) ſint conditi, & præfatæ hæque congruæ rationes id probent, nullâ tamen ratione vel demonſtratione à priori intrinſeca probari poteſt eorum exiſtentia, cùm cuiuſcumquè creaturæ exiſtentia non ſit de conceptu eſſentiali eiuſdem. Sicque tantùm afferri poteſt ratio extrinſeca, videlicet voluntas Dei efficax, quâ voluit illis aliquando dare exiſtentiam actualem. Deinde neceſſe non eſt vllam creaturam exiſtere neque ex parte eius naturæ. Solus enim Deus habet neceſſariò eſſe; neque ex parte ſuorum effectuum: Quicquid enim poteſt cauſa prima cum cauſa ſecunda, poteſt ſe ſolâ, ſicque nulla eſſe poteſt à priori ratio demonſtratiua naturæ Angelicæ: nec item à poſteriori, nullus enim eſt effectus qui certò & euidenter demonſtret ipſos eſſe ſpiritus puros, totius corporis expertes. Sufficiat ergo nobis fidem habere de eorum exiſtentia, & quòd ſint incorporei & ſpiritales, vt nobis ſuprà indicauit Concilium Lateranenſe, & vniuerſa credit Eccleſia. Cùm enim dicit Concilium maniſeſtè naturam illam Angelicam vocari ſpiritalem, & opponi cor-

porali, ſatis ſuperque conijcere debemus ipſam eſſe incorpoream, proindéque immortalem, omniſque ſubſtantialis interitus ac corruptionis expertem, ſicut rectè oſtendit D. Thomas, cùm materiâ phyſicâ careat, vt dictum eſt, quæ principium eſt interitus & corruptionis, careat quoque corpore quod tangi & lædi ab agente creato poſſit, vel contrarijs qualitatibus affici, adeò vt Ariſtoteles ipſe voluerit intelligentias eſſe æternas, & ab omni fatigatione liberas, quia ſupponebat in eis non eſſe naturale corruptionis principium, videlicet materiam, & propterea naturâ ſuâ incorruptibiles. Quod conſtat etiam auctoritate D. Dionyſij: *Intellectuales ſubſtantiæ*, inquit, *vitam habent ſempiternam*, *& quæ imminui non poteſt*; *ab omni interitu, morte, materiâ, ſolutæ ac liberæ.* Quibus verbis ſatis innuit eos eſſe incorporeos, nec in eo probando debemus magis immorari, cùm ſit tantorũ tamque grauiſſimorũ ſententia, qui de naturis ſpiritualibus ſeriò egêre; & inter alios Theodoreti, *a* & ſancti Chryſoſtomi, *b* Nicetæ &c. qui omnes vnâ voce dixerũt Angelos carere corpore. Et id omnes Scholaſtici habent inter cætera Theologiæ Decreta, & ratio eorum eſt, quia ſi eſſent corporei, non poſſent mali corpora humana ingredi in tanta multitudine, vt eſt quælibet legio Dæmonum, ſicut apud S. Lucam legimus: Legio enim conſtat *6666.* & eſſet ad miraculum ſpeciale recurrendum; neque poſſent circuire terram tam breui tempore, & alia huiuſmodi, & proinde concludunt ex eo ſancti Patres & Scholaſtici, illos etiam non eſſe corruptioni obnoxios ob materiæ carentiam, quanquam Deus illos annihilare poſſet ſicut eoſdem ex nihilo produxit. Et illud idem confirmatur ex allata ſynodo generali, vbi legimus Deum Angelos & animas feciſſe immortales & incorruptibiles. Hinc D. Damaſcenus docet immortale eſſe differentiam naturæ Angelicæ, & cuiuſuis alterius incorporeæ ſubſtantiæ, cuiuſmodi eſt ipſa anima rationalis, quam docuit Filius Dei eſſe incorruptibilem & immortalem his verbis, *Animam autem non poſſunt occidere*: clarè innuens nullam eſſe vim in creaturis ad eam deſtruendam, & tantùm à Deo poſſe in nihilum reduci, cùm eam conſeruet liberè, ſicut liberè eam produxit. Quòd ſi id affirmari debeat de animâ rationali, vt ſuo loco dicemus, multò magis de Angelis qui ſecundùm ſubſtantiam & naturam ſunt ipsâ animâ perfectiores.

1. p. q. 50. art. 5.

Lib. de diuinis nominibus c. 4.

a In c. 1. Zach.

b Hom 22.

Luc 8.

Act. 11.

Angeli ſunt incorporei.

Lib. inſtit. c. 7.

Math. 10.

Denique multi Doctores Angelorum exiſtentiam probare nituntur ab effectibus quibuſdam, humanam facultatem ſuperantibus maximéque in dæmoniacis, qui cùm aliquando ſint idiotæ & litterarum ignari, peregrinis tamen linguis, Græcis, Latinis, Hebraïcis, &c, loquuntur, aut ſaltem exequuntur & perficiunt quæ ignoto illo

idiomate

idiomate ſibi per exorciſtas imperata fuerunt. Permulta quoque valdè obſcura aperiunt ſupra humanum captum: iſta autem proficiſci non poſſunt niſi à dæmonibus, qui ſunt ſubſtantiæ ſpiritales, ſicut boni Angeli: & inde ſequitur quaſdam eſſe ſubſtantias intellectuales homine ſuperiores, cunctaque in ſuo eſſe entitatiuo corporalia longo ſuperantes interuallo, & quaſi in immenſum excedentes. Quod eſt contra impios Saducæos qui tam ſublimes creaturas perperàm negarunt. Quicquid ſit, pro eorum exiſtentia cognoſcenda, nullà ratione ad rationes Philoſophicas aut Theologicas congruentes recurrere debemus, ſed ſufficiat nobis de eorum creatione fides, quæ amplius nobis eluceſcet, tùm multis ſacræ Scripturæ auctoritatibus, quas hoc in tractatu in medium adferemus, tùm etiam ſanctorum Patrum, & quia id nobis declarat Eccleſia Spiritu ſancto ducta, quæ errare nequit.

SECTIO IV.

De Angeli definitione.

EX ſupradictis nobis innoteſcit Angeli definitio, quæ etiamſi variè à varijs in medium afferatur, præ alijs tamen multùm placet ea quæ eſt S. Ioannis Damaſceni. *Angelus*, inquit, *eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo miniſtrans, immortalitem gratia. non natura recipiens.* Angeli definitio exponitur. Lib. 2. de fide c. 3.

Hac in definitione *ſubſtantia*, eſt genus, *& intellectualis*, eſt differentia. Primò ergo *eſt ſubſtantia*, non conſtans Phyſicè materiâ & formâ, cùm enim ſit incorporea, non poteſt huiuſmodi compoſitionem admittere, ſed conſtans genere & differentia metaphyſicè, quæ dici ſolent materia & forma, metaphyſicè loquendo; ſiue ex potentia & actu, cùm genus ſit potentia, & differentia actus: necnon ex ſubſtantia & accidente ſpirituali, & ipſi Angelicæ naturæ conformi, vel etiam, vt alij dicunt, ex perfecto & perfectibili, ex poſitiuo & priuatiuo, ex eſſe & eſſentia; eſt enim ſubſtantia completa ad genus ſubſtantiæ reuocata.

Secundò dicitur *intellectualis*, ad differentiam animæ quæ dicitur rationalis, cùm ipſa in intelligendo vtatur ratiocinio, & procedat diſcurſu ſyllogiſtico, Angelus autem nequaquam, cùm ipſe intelligat per ſpecies rerum ſibi innatas, vt ſequenti ſectione dicemus.

Tertiò dicitur *ſemper mobilis*, hoc eſt naturaliter, quia naturâ An-

gelus, vt eſt creatura, in nihilum eſt vertibilis, quodlibet enim creatum ſicut de nihilo à Deo prodijt, ita ab eodem annihilari poteſt.
1.p.q.50. Dicitur etiam Angelus mobilis, inquit B. Thomas, nam motus ibi accipitur prout intelligere & velle, motus quidam dicuntur, Angelus enim ſemper eſt in actu, intelligendo ſaltem ſeipſum, & quia in intelligendo habet viciſſitudinem vnius poſt aliud, & eſt ſemper talis, quia ante & poſt confirmationem habuit eandem mobilitatem; hæc etiam Angeli mobilitas poteſt intelligi de locali, nam ſæpius migrat de loco in locum, vt de cœlo in terras. De modo autem quo talis motus localis fit, diſſerunt Scolaſtici, ad quos Lectores remittimus, & ad ea quę de illo hoc in tractatu dicturi ſumus, cap. 3. Aliqui his addunt Angelum eſſe mobilem ſeu mutabilem naturâ ſuâ, euentus enim probauit de facto aliquos Angelos cecidiſſe ſicque mutatos fuiſſe.

Quartò dicitur *arbitrio libera*, quia ſemper in ſua electione liber eſt Angelus, & quod voluerit eligit.

Quintò dicitur *incorporea*, hoc eſt, ſine materiali corpore, quemadmodum eſt ſpiritus noſter: tamen ſi ipſe Angelus comparetur ſimplicitati Dei, dici poterit quodammodo corporeus, non tamen vt poſſit loco circumſcribi, vt materialia corpora, quoniam cùm ſolummodò dicatur definitè locari, non poteſt illo modo circunſcriptionem habere. Quod vt clarius ſit, notandum quid ſit eſſe in loco propriè & circunſcripturè, & quid definitiuè. Aliquid enim dicitur eſſe in loco circunſcriptiuè quod eſt totum in toto loco, & pars in parte loci, ſiue per ſe vt corpus, ſiue per accidens vt qualitates quæ ſunt in loco per quantitatem. Aliquid verò dicitur eſſe in loco definitiuè, quod ita eſt in loco certo adæquatè, vt non ſit ſimul in alio, abſque tamen ipſius loci circunſcriptione, quo pacto Angeli & animæ ſeparatæ ſunt in loco. Et id confirmatur auctoritate D. Damaſceni, *Quando*, inquit, *Angeli mittuntur ad nos, non ſunt in cœlis, & quando ſunt in cœlo non mittuntur ad nos, &c.* Quâ quidem auctoritate conſtat Angelos moueri de loco in locum, vt ampliùs hoc in tractatu conſtabit, vbi agemus de loco & motu Angelorum.
Lib. 11. de Ang. cap. 3.

Sextò eſt etiam Angelus *Deo miniſtrans*, vel aſſiſtendo, vel alio modo adminiſtrando, vt eſt nuntiando, nam vt ſupra dictum eſt ex
S. Greg. D. Gregorio & alijs, Angelus dicitur ab officio, & non à natura.

Septimò eſt *immortalitatem ſuſcipiens*, hoc eſt per gratiam, quoniam per eam in ſuo eſſe conſeruatur, non verò per naturam, quia ad nihilum tenderet, niſi potenti Dei manu conſeruaretur. Et hæc de definitione D. Ioannis Damaſceni atque de eius declaratione, iuxta communem Theologorum explicationem. Vide aliam ampliſſi-

mam Angeli definitionem ex multis authoribus collectam cap. 5. ſect. 3. in fine.

CAP. II.

De cognitione Angelorum.

QVÆ primò in Angelis poſt eorum eſſentiam & exiſtentiam nobis occurrunt & percipere debemus, tanquam ea quę intimiùs eos reſpiciunt, ſunt eorum facultates, videlicet intellectus, & voluntas formaliter tantùm & non realiter ab eorum ſubſtantia diſtinctæ, quibus ſuas eliciunt actiones, quę ſunt cognitio, & volitio; quæ quidem ab ipſis facultatibus ſicut ab eorum ſubſtantia realiter diſtinguuntur. Hís autem facultatibus ſolùm ſunt prædíti; nam facultates cognoſcendi ſenſitiuæ, ſunt perfectiones quædam, ſiue actus corporis, cuius Angeli expertes ſunt. Vbi autem de facultatibus animæ rationalis tractatu tertio Cap. 4. diſſeremus, hæ Angelorum facultates faciliùs innoteſcent, cùm inter has & illas aliqua ſit proportio, in quantum genericè conueniunt in eadem intellectuali natura. Obiectum autem adæquatum intellectus Angelici eſt ens creatum & increatum, ita vt nihil ſit intelligibile quod non poſſit cognoſcere. Dicitur autem eius obiectum in quantum eius obijcitur cognitioni, & adæquatum prout eius virtuti intellectiuæ commenſuratur. Videndum ergo quænam ſint quæ ipſe Angelus cognoſcit, & quomodo. Intellectus Angelici obiectum quodnam ſit.

SECTIO I.

An in Angelo ſit intellectus agens, & paſſibilis.

QVoniam humanus intellectus pro hoc ſtatu in ſua intellectione dependet à phantaſmatibus, & proinde eſt agens & paſſibilis: agens cuius eſt omnia facere, vt ait Ariſtoteles, id eſt ſpecies intelligibiles elicere ex illis phantaſmatibus; paſſibilis verò, cuius eſt omnia fieri, hoc eſt illas recipere ſpecies & intelligendi actum. Ideo priuſquam vltra progrediamur, hîc quærimus an etiam in Angelo ſit intellectus agens & paſſibilis. Quicquid autem dicant Thomiſtæ, Reſpondet affirmatiuè Scotus, & ſui ſequaces vt Rada, Faber, &c. In 2. diſt. 3. q. 14.

In Angelo eſt intellectus agens.

Quod primò in Angelo ſit intellectus agens, probatur à Scoto. Potentia actiua quæ non dicit imperfectionem, ſed potius perfectionem, ſi ponatur in natura inferiori, etiam ponetur in ſuperiori: ſed intellectus agens & poſſibilis dicunt perfectionem, & ponuntur in homine; ergo etiam in Angelo qui perfectior eſt. Probatur minor, nam perfectio eſt in qualibet natura habere in ſeipſa principium acquirendi ſuam perfectionem: ergo perfectio eſt Angelum habere intellectum agentem quo cognitionem acquirat, quę eſt perfectio intellectus.

Confirmatur primò, Nam per accidens eſt quod Angelus habeat ſpecies infuſas, ſeu congenitas à principio, & potuit eas non habere, cùm illæ non eſſent naturæ ſuæ à Deo debitæ. Hoc itaque admiſſo, ſi non poſſet eas acquirere per intellectum agentem, eaſq; per poſſibilem in ſe recipere, maxima eſſet in eo imperfectio, cùm id poſſit intellectus humanus eo longè imperfectior.

Confirmatur ſecundò, Nam quamuis Angelus fuerit ab initio creatus cum omnibus ſpeciebus, nihilominus debet habere intellectum agentem; nam & Chriſtus Dominus cognitionem habuit omnium rerum à principio ſuæ conceptionis, & tamen intellectu agente & poſſibili non caruit, imo cùm etiam omnia viderit in verbo ab inſtanti ſuæ conceptionis, attamen intellectus ſub vtraque ratione, ſcilicet agentis & poſſibilis, in eo fuit, alioqui non fuiſſet perfectus homo, quinimo ſi vidiſſet omnia in genere proprio, habuiſſet tamen intellectum agentem & poſſibilem, ideo ſimiliter poſito quod Angelus habeat omnium rerum ſpecies etiam ſingularium ſibi à principio impreſſas, quod tamen conſtanter negamus, vt ſequenti ſectione patebit, & non poſſit non eſſe in actu intellectionis continuæ, cùm ex hypotheſi ſit præuentus ab agente ſupernaturali, tamen eſt perfectionis in eo, quòd habeat potentiam virtute cuius poſſet ſuas operationes elicere, ſi non eſſet aliunde præuentus. Exemplum dari poteſt de aqua; à principio ſuæ productionis à Deo calefactâ, quæ nihilominus immediatè etiam eſſet in potentia paſſiua ad hoc vt calefieret ab igne, ſi non eſſet præuenta à ſuperiori agente. Denique prædicta aſſertio Scotica confirmari poteſt exemplo, quia ſi Deus nobis indidiſſet ſpecies intelligibiles omnium rerum, adhuc in nobis eſſet intellectus agens, cùm ſit perfectio naturalis in homine, & etiam poſſibilis, quia in eo inſtanti quo recepiſſet tales ſpecies fuiſſet poſſibilis, ergo & nunc, quia nullum poſterius variat rationem prioris.

In Angelo eſt intellectus poſſibilis.

Quòd etiam in eodem Angelo ſit intellectus poſſibilis ſiue patiens, probatur ab eodem Scoto, Nam in eo eſt potentia receptiua

ſpecierum intelligibilium, & de facto recepit omnes ſpecies creatas, ſeu congenitas, cùm fuerit priùs natura quàm ſpecies, vt ſubiectum eſt prius forma accidentali; Ergo etiamſi nullas haberet congenitas, ſed de nouo illas per intellectum agentem produceret, non minus eſſet illarum receptiuus atque actus intelligendi. Concludendum ergo quòd cùm ſemper dignificanda ſit natura, & in ea quod perfectius eſt, ſit collocandum, niſi euidenter appareat illud ſibi non conuenire, oportet in natura Angelica vtrumque intellectum conſtituere, agentem ſcilicet, & poſſibilem, vt ſic habeat ex propriis vnde poſſit in propriam perfectionem, quandoquidem illam non habet ex propria natura & intrinſeca ratione, quia hoc ſoli Deo competit.

At obiicies, Intellectus agens ſolùm datur propter phantaſmata, à quibus ipſe ſpeciem intelligibilem exhaurit; ſed in Angelis non ſunt phantaſmata, abſurdum eſt enim illa in puris illis mentibus conſtituere. Reſpondeo negando maiorem; nam obiectum adæquatum intellectus non eſt phantaſma, ſed res potentiâ intelligibilis, & ita non eſt opus Angelo ad ſpecies intelligibiles eliciendas, vt aliqua ſpeculetur phantaſmata, cùm de facto nulla in eo ſint ſicut in nobis, ſed illas ſolùm abſtrahere poteſt immediatè à rebus ipſis, & obiectis externis etiam materialibus. Certum eſt enim cognitionem rerum materialium naturaliter Angelis competere: cùm enim homines eas naturaliter cognoſcant, veriſimiliter dici non poteſt vim intellectiuam naturalem Angelorum ad eas non poſſe pertingere, ab eiſque ſpecies elicere; præſertim cùm ex ſcriptura non tantùm conſtet bonos Angelos cognoſcere materialia, ſed etiam malos, quibus probabiliter dici non poteſt conferri lumen aliquod ſupernaturale ad percipienda eiuſmodi obiecta.

SECTIO II.

Vtrum Angelus cognoſcat per ſpecies.

ADVERTENDVM primò in genere & communi duplicem eſſe cognitionem, vnam intuitiuam, alteram abſtractiuam; Intuitiua eſt cognitio rei præſentis, vt præſens eſt in ſua actuali exiſtentia; Abſtractiua eſt cognitio obiecti ſecundùm quod abſtrahit ab omni præſentia & exiſtentia actuali. Quòd detur intuitiua, patet, nam id quod perfectionis eſt in potentia inferiori, videtur eminentius eſſe in ſuperiori, quæ eſt eiuſdem generis; ſenſus autem, Cognitio intuitiua & abſtractiua.

vt verbi gratia, viſus qui eſt potentia cognoſcitiua, inferior hanc habet perfectionem, quòd rem cognoſcat ſecundùm quod in ſe præſens eſt in ſua actuali exiſtentia: Ergo illa perfectio non eſt intellectui deneganda. Quòd etiam detur abſtractiua, ſatis patet eo quòd ſcientiam habemus de quibuſdam quidditatibus, ſcientia autem eſt obiecti ſecundùm quod abſtrahit ab exiſtentia actuali, alioqui ſcientia poſſet quandoque eſſe, & quandoque non eſſe, & ita non eſſet perpetua, ſed corrupta re corrumperetur ſcientia illius rei, quod eſt falſum. Hoc ſuppoſito, dico Angelum cognoſcere duobus illis modis: & primò quando res aliquæ ſunt illi præſentes in ſua actuali

Angelus intuitiuè & abſtractiuè cognoſcit. exiſtentia, eas intuitiuè cognoſcit, nec indiget aliqua ſpecie, ſatis enim ad illam intellectionem concurrit obiectum præſens, vt cauſa efficiens cum intellectu: ab obiecto enim & potentia paritur rei notitia. Quando autem res non ſunt præſentes in ſua actuali exiſtentia, vel ſunt communes, illas cognoſcit Angelus abſtractiuè, &

In 1. diſt. 3. q. 10. indiget ſpecie impreſſa: Ita Scotus. Probatur, quia ad hoc vt obiectum ad cognitionem concurrat ſimul cum potentia, debet eſſe præſens in ſe vel in alio, ſed obiectum reſpectu cognitionis abſtractiuæ non eſt in ſe præſens, ergò in ſpecie illud repræſentante, ergo debet dari talis ſpecies; nam ſi Deus de nouo crearet aliquem Angelum, quem alter cognoſceret, & poſteà eundem Angelum ita de nouo creatum annihilaret, poſſet alter Angelus recordari illius; ſed hoc nequit fieri, niſi per ſpeciem derelictam, ergo ad abſtractiuam cognitionem talis ſpecies datur. Et hinc infertur cognitionem intuitiuam eſſe cognitionem rei, vt eſt in ſe, cognitionem verò abſtractiuam eſſe cognitionem rei non vt eſt in ſe, ſed vt eſt in alio ſcilicet in ſpecie, & quotieſcumque poteſt cognoſci res, vt in ſe eſt, fruſtrà ponitur ſpecies.

Quæ nam ſpecies ab initio fuerint Angelis congenitæ, & quæ non. Sed quæritur an omnes ſpecies in Angelis ad cognitionem abſtractiuam rei requiſitæ fuerint, ita ab initio creationis illarum inditæ ſeu congenitæ & infuſæ, vt nullas poſſint de nouo acquirere. Reſpondent Scotiſtæ in ipſis quidem fuiſſe concreatas ſpecies omnium quidditatum, & rerum vniuerſalium, non tamen omnium ſingularium, ſiue materialium & corruptibilium, ſiue ſpiritualium, & maximè contingentium, & quæ pendent à liberis agentibus, cùm talia ſingularia ſint infinita: Et proinde eis opus eſſet infinitis ſpe-

In 2. diſt. 2. q. 2. ciebus ſingularibus, quod non eſt veriſimile, quia, inquit Scotus, cognoſcere aliqua dicit aliquam perfectionem, & cognoſcere plura dicit maiorem perfectionem, & ſpeciem impreſſam perfectiorem; Ergo cognoſcere infinita dicit infinitam perfectionem, quod ſoli Deo poteſt conuenire, nam eo quod Deus per eſſentiam ſuam re-

præſentat infinita obiecta, ſi darentur, colligitur eſſe infinitus. Dices illa ſingularia poſſe repræſentari per ſpeciem vniuerſalem, ſicut dicit Vaſquez. Sed contrà, primò, quia indiuiduum addit aliquid naturæ ſpecificæ, ergo per ſpeciem vniuerſalem nequit indiuiduum repræſentari. Secundò, quia nulla ſpecies poteſt plura repræſentare, niſi ſit ſpecies obiecti quod contineat illa plura, ſed nullum eſt obiectum creatum quod contineat ſingularia, ergo neque ſpecies quæ repræſentet talia ſingularia. Probatur hæc minor, nam vel continet formaliter, & ſic tale obiectum erit omnia indiuidua; vel continet eminenter, & ſic talis ſpecies vel obiectum erit perfectius omnibus indiuiduis, quod non eſt dicendum, & ſi hoc concedatur, concedendum etiam eſt quòd per tale obiectum, & per ſpeciem talis obiecti Angelus cognoſcit ſingularia. Quod non concedunt Thomiſtæ. *1. p. diſp. 101. cap. 4.*

Sed obiicit Vaſquez, reſpondens ad Scoti argumenta, quòd per vnam ſpeciem perfectiſſimus Angelus omnia repræſentaret, & illa ſpecies contineret in ſe rationes omnium naturarum, & eſſet vna ſimilitudo omnium. Nam non eſt impoſſibile vnam qualitatem creatam, & finitam ſecundùm eſſentiam, repræſentare infinitas rerum naturas ſpecie diuerſas, vel indiuidua eiuſdem naturę: nam ſicut per vnam ſpeciem aut qualitatem creatam repræſentatur Deus, qui eſt ſecundùm eſſentiam infinitus, nempe per lumen gloriæ aut ſpeciem impreſſam, ſi (vt volunt nonnulli) dari poſſit, aut per viſionem ipſam quæ eſt expreſſa repręſentatio, ita poterit vnâ ſimplici qualitate repręſentari infinita multitudo indiuiduorum in eadem natura aut diuerſarum naturarum. Sed contra, quia hîc loquimur de repręſentatione naturali, non autem de ſupernaturali, quæ fit per medium ſupernaturale, vt eſt lumen gloriæ, quod eſt ſuperioris & diuini ordinis; at verò hęc repręſentatio infinitarum rerum ſupponimus quòd ſit naturalis, & eiuſdem ordinis, & ſic impoſſibile eſt per ſpeciem finitam infinita naturaliter repręſentari, vt ait Scotus, & per conſequens non valet ſuprà allata ſimilitudo. P. Vaſquez. *Vaſquez loco cit.*

Præterea ſi Deus de nouo aliquod ex illis ſingularibus crearet, deberet nouam ſpeciem illius in intellectu Angelico producere ad illud intelligendum, ſi ipſum non haberet præſens & intuitiuè cognoſceret. In hoc caſu ergo Angelus acceptâ notitiâ intuitiuâ alicuius rei ſingularis etiam materialiter per ſuum agentem intellectum poteſt ſpeciem intelligibilem illius elicere & abſtrahere, & in intellectu patiente ſeu poſſibili recipere, & ita habere abſtractiuam de eo cognitionem dum abeſt aut deſinit eſſe, vt dictum eſt, aliàs intellectus humanus qui ſpecies intelligibiles abſtrahit à phan-

taſmatibus eſſet perfectior Angelico, quod abſurdum eſt dicere. Et indè Scotus rectè docet quòd Angelus poſſit proficere accipiendo cognitionem à rebus, hoc eſt quamuis habeat ſpecies vniuerſalium concreatas poteſt tamen per intellectum agentem & poſſibilem accipere cognitionem rerum ſingularium, etiam materialium & contingentium de nouo, eorum ſaltem quorum ſibi non ſunt congenitæ ſpecies, cuiuſmodi ſunt omnia indiuidua entium corruptibilium, & actualis eorumdem exiſtentiæ, ac accidentium quæ exiſtentiam conſequuntur aut ad illam requiruntur, quia per ſpecies vniuerſales cognoſci nequeunt.

Poteſt Angelus per intellectum agentem accipere cognitionem ſingularium.

Confirmatur, nam anima ſeparata à corpore poteſt recipere cognitionem à rebus, vt docet Scotus. Licet enim ipſa vt eſt vnita corpori, accipiat cognitionem mediante phantaſiâ, tamen vt ſeparata non indiget phantaſiâ, ergo idem erit de Angelo.

in 4. diſt. 45. qu. 1.

Anima ſeparata poteſt recipere cognitionem à rebus.

Obijcies primò, id quod allegatur ex libro de cauſis intelligentias eſſe plenas formis, hoc eſt ſpeciebus intelligibilibus. At Reſpondeo hoc eſſe intelligendum de formis, & ſpeciebus intelligibilibus quæ vniuerſalia repræſentant, non tamen particularia, quia eſſent infinitæ.

Secundò obijcies S. Auguſtinum, qui ait agens eſſe præſtantius patiente: ſed corpus ſpiritu non eſt præſtantius, vt aſſerit idem; igitur in ſpiritum agere nequit. Et ex conſequenti non poteſt à rebus cognitionem accipere Angelus. Reſpondetur aſſertionem quidem S. Auguſtini veriſſimam eſſe de agente totali & principali, cuiuſmodi non eſt corpus reſpectu ſpeciei intelligibilis in intellectu Angelico producendæ, imò principalior cauſa eſt ipſius Angeli intellectus. Et deinde phantaſma ex quo intellectus elicit ſpeciem intelligibilem, materiale eſt & corporeum, & nihilominus ſimul cum intellectu cauſat illam ſpeciem quanquam ſpiritualem.

Lib. 12. ſuper Gen. ad litt.

Obijcies tertiò S. Dionyſium aſſerentem Angelos non congregare diuinas illuminationes vel notitiam diuinam ex rebus ſenſibilibus. Reſpondeo verum eſſe quidem huiuſmodi illuminationes, vel notitiam diuinam ex ſenſibilibus non acquirere, quia illam à ſolo Deo habent: aliam tamen notitiam ex ſenſibilibus habere poſſe.

De Angelica Hier cap 7.

Angeli ex ſenſibilibus notitiam diuinam non acquirunt.

Obijcies quartò, Singularia ſunt obiecta ſenſus, ergo non poſſunt percipi ab intellectu. Patet conſequentia, quia obiectum vnius potentiæ non poteſt ab alia percipi, ſicut viſus non percipit ſaporem, nec guſtus colorem: ergo Angelus non cognoſcit ſingularia. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequens: & ad probationem dico, quòd quando potentiæ cognitiuæ

ſunt ſubordinatæ, obiectum inferioris poteſt percipi à ſuperiori, vt verbi gratia, quia ſenſui communi exteriores ſenſus ſubordinantur, ideò ipſe communis ſenſus illorum ſenſuum obiecta percipit; & ita in propoſito, quia ſenſus intellectui ſubordinatur, percipiet ipſe intellectus obiectum ſenſus, nempè ſingulare. Quando verò Ariſtoteles aſſerit ſingulare percipi à ſenſu, & vniuerſale ab intellectu, non intendit propterea ſingularium cognitionem intellectui denegare, ſed ſolùm vult vniuerſale non à ſenſu, ſed à ſolo intellectu percipi; ſingulare verò ait à ſenſu percipi, ſed non negat ipſum ab intellectu cognoſci poſſe, & ita habet Rada. *in 2. contr. 9. art. 4. in reſp. ad arg.*

SECTIO III.

An Angelus ſeipſum cognoſcat per ſuam Eſſentiam.

SVPPONIMVS primò, non minùs Angelum poſſe ſeipſum cognoſcere quàm anima ſeipſam; at hoc poſterius admittitur communiter à Philoſophis. Quęrunt ergo an ſeipſum cognoſcat per eſſentiam & propriam ſubſtantiam, hoc eſt, an eius eſſentia ſit ita ei ratio immediata cognoſcendi ſe naturaliter, quòd nulla ſpecie ipſam repręſentante indigeat, ſicut diximus indigere ad alia à ſe cognoſcenda, ſicut diuina Eſſentia per ſeipſam ſine ſpecie immediatè vnitur diuino intellectui in ratione obiecti, & etiam intellectibus beatorum. Et reſpondent affirmatiuè S. Thomas, *a* & Scotus, *b* licèt in modo explicandi differre videantur.

Angelus ſeipſum cognoſcit per ſuam eſſentiam.

a *S. Thom. 1. p. q. 56. art. 1.*

b *in 2. diſt. 3. q. 8.*

Probatur ratione communi. Quando obiectum poteſt eſſe immediatè præſens potentiæ, & illi intimè vnitum atque ſummè proportionatum, non eſt neceſſaria ſpecies ad hoc vt ipſa potentia tale obiectum cognoſcat: verbi gratia, ſi lapis poſſet eſſe in intellectu noſtro, non indigeremus ſpecie intelligibili ad illum cognoſcendum; ſed eſſentia Angeli eſt in ratione obiecti intelligibilis immediatè præſens intellectui ipſius, & ita vnita & proportionata, vt non poſſit eſſe maior vnio & approximatio, cùm ſint idem ſecundùm rem, non verò ſpecies & intellectus: Ergo ad hoc vt ipſe intellectus tale obiectum percipiat & intelligat, nulla ſpecie indiget.

Obijcies primò, anima rationalis pro hoc ſtatu eſt ſibi præſens & proportionata ſuo intellectui, & tamen non ſe intelligit per ſuam

Text.Comm.8. eſſentiam, nam anima intelligit ſe ſicut & alia à ſe ex Ariſtotele; ſed alia intelligit per ſpecies, ergo Angelus per ſpecies ſe intelligit, & non per ſuam eſſentiam. Reſpondet Scotus loco citato quod anima pro hoc ſtatu eſt impedita ad ſe intelligendum, nam noſter intellectus non eſt natus moueri niſi à ſenſibili exteriori: cùm ergo anima non ſit ſenſibilis, non poteſt ſeipſam primò intelligere, bene tamen Angelus, cùm eius eſſentia ſit primò & actu intelligibilis.

Angelus & anima non ſe eodem modo intelligunt.

Obijcies ſecundò, Si Angelus intelligat ſe per ſuam eſſentiam, ſequitur exinde rem eandem eſſe ſimul in actu & in potentia. In actu quia actu eſt, in potentia quia poteſt intelligi. Reſpondet Scotus (vt aliàs diximus) non implicare aliquid ſimul eſſe in actu virtuali, & in potentia formali reſpectu eiuſdem. Vnde intellectus reſpectu notitiæ eſt in actu virtuali, quia poteſt eam producere, & in potentia formali ad eam recipiendam. Implicat verò eſſe idem in potentia paſſiua ad aliquid, & eſſe in actu formali per illud, quia tunc haberet & non haberet illud; nam ſi eſt in potentia ad illud, ergo non habet; & ſi eſt in actu formali, habet illud; ergo habet, & non habet.

Aliquid eſſe in potentia, & in actu quomodo intelligatur.

Obijcies tertiò, Si Angelus intelligeret ſe ſine ſpecie, ſequeretur quòd eius intellectio non diſtingueretur realiter ab ipſo Angelo; Conſequens eſt falſum, quia hoc ſolùm habet verum in diuinis. Probatur ſequela, quia Angelus, & ſua eſſentia ſunt idem, ergo & intellectio quæ mediat inter vtrumque: Patet conſequentia, quia medium magis conuenit cum quolibet extremo quàm extrema inter ſe. Reſpondet Scotus negando intellectionem habere rationem medij, quia potiùs eſt extremum tam reſpectu intellectus, quàm obiecti, cùm ſit effectus amborum ab vtroque productus.

Sed quæritur an quemadmodum Angelus ſe intuitiuè agnoſcit per ſuam eſſentiam abſque vlla ſpecie intelligibili, num etiam poſſit ſe cognoſcere abſtractiuè & per ſpeciem. Scotus affirmatiuè reſpondet, & ſic probat, Angelus ſuperior cognoſcit inferiorem per ſpeciem illius cognitione abſtractiua; ergo & inferior hoc modo ſeipſum poterit cognoſcere, nam quod conuenit ſuperiori perfectiori, poterit & inferiori conuenire. Ita ſentiunt Ioannes Major, Gabriel, Baſſolis. Sed contrà arguit Vaſquez, *a* nam cùm Angelus ſeipſum intelligit, intelligit ſe ſecundùm eſſentiam; & etiam ſecundùm exiſtentiam, nec ſe ſine exiſtentia intelligere poteſt; ergo non poterit intelligere ſe cognitione abſtractiua. Reſpondeo eſſentiam & exiſtentiam Angeli aliquomodò diſtingui, vel formaliter, vel ſaltem ratione: Ergo vna eſt ratio eſſentiæ, & alia exiſten-

in 2.diſt.3.q.1.

a 1.p.diſp.204. cap.1.

Angeli eſſentia & exiſtentia quomodo diſtinguātur.

tiæ, & ſic concipi poterit & quidditas rei non conceptâ exiſtentiâ; & hæc dicitur cognitio abſtractiua.

SECTIO IV.

An vnus Angelus alium cognoſcat, & quomodo.

QVOD ſpectat ad primum, nulli dubium eſt quin vnus Angelus alium cognoſcat, cùm ex Scriptura nobis conſtet Angelos inter ſe colloqui, pugnare, ſibique inuicem reſiſtere. Deinde cùm ſint ingenti intellectus acumine præditi, habent quicquid requiritur vt vnus alium cognoſcat, & ab alio cognoſci poſſit; aliàs eſſent deterioris conditionis quàm homines, qui ſeſe mutuò cognoſcunt quamuis non tanta perfectione.

Quod autem ad ſecundum attinet, breuiter dicimus cum Scotiſtis, quòd ſi ſermo ſit de cognitione intuitiua, certum eſt Angelum cognoſcere alterum Angelum ſine vlla ſpecie, ſed per ſuam eſſentiam; ſi autem de cognitione abſtractiua agatur, ſpecies aliqua intelligibilis innata requiritur, ſicut etiam per ſimiles ſpecies res alias cognoſcit. Et ita habet Scotus.

Vnus Angelus intuitiuè alterum cognoſcit per ſuam eſſentiam, & abſq; ſpecie, & non abſtractiuè. *in 2. diſt. 3. q. 10. in 3 diſt. 14. q. 1.*

Sed dubitatur an vnus Angelus alium comprehendat, & pro reſponſione ſuppono cum Scoto & ſuis ſequacibus ad comprehenſionem requiri quòd res cognoſcatur ſecundùm omnia quæ habet, ita quòd cognitio commenſuretur cognoſcibilitati obiecti, & tanta ſit repræſentatio in cognitione, quanta intelligibilitas in obiecto, ac per conſequens nihil lateat cognoſcentem. Hoc ſuppoſito dicunt Suarez, & Lorca, Molina, Granados, &c. Angelum ſuperiorem cùm naturam & vim intelligendi nobiliorem habeat quàm inferior, comprehendere inferiorem quoad eius naturam & eſſentiam, atque proprietates naturaliter ab ea manantes, non tamen cognoſcere omnes eius cogitationes cordis, neque eius actus liberos, & decreta ſuæ voluntatis; nec item omnia ſupernaturalia ad quæ ordinatur, nam hæc omnia non requiruntur ad comprehenſionem Angeli, aliàs non eſſet comprehenſio ſolius Angeli, ſed comprehenſio plurium rerum, quæ ipſi Angelo etiam extrinſecè conueniunt: verbi gratia, aliquis dicetur optimè comprehendere herbam aliquam, ſi cognoſcat eius eſſentiam, virtutem, ac proprietates, quamuis non cognoſcat eius accidentia communia, quæ ab extrinſeco illi ineſſe ſolent. Ita de illo ſuperiori Angelo eſt philoſophandum. Probatur autem hæc ſententia, Nam Angelus inferior ſe com-

Ad comprehenſionem quid requiratur.

Angelus ſuperior quomodo inferiorem intelligat.

prehendit, ergo potiori ratione à ſuperiori qui perfectior eſt, comprehenditur.

Angelum inferiorem poſſe ſuperiorem comprehendere, non eſt ſatis probabile.

Maior difficultas eſt vtrùm Angelus inferior poſſit comprehendere ſuperiorem. Reſpondent doctores non eſſe ſatis probabile illum comprehendere poſſe; Et ratio eſt, quia inter obiectum, & potentiam debet eſſe aliqua adæquatio, non in ratione entis, ſed in ratione intellectiui & intelligibilis, & cùm ratio intelligibilis & intellectiui ſequatur naturam rei, ſi natura rei intelligibilis perfectior eſt quàm natura rei intellectiuæ, non poterit comprehendi à tali intellectiuo; Ergo Angelus inferior qui in ratione intellectiui non adæquatur ſuperiori intelligibili, ſicut nec eius naturæ, non poterit illum comprehendere.

SECTIO V.

Quo pacto Angelus naturaliter Deum cognoſcat.

Duobus modis aliquid dicitur naturale.

PRo huius quæſtionis reſolutione, Aduertendum primò, aliquando illud dici naturale quod viribus naturalibus haberi poteſt, vt eſt cognitio quam de rebus naturalibus per concurſum cauſarum naturalium cum communi Dei influentia acquirimus. Secundò, dicitur quandoque aliquid naturale, prout diſtinguitur contra ſupernaturales perfectiones gratiæ & gloriæ; quomodo iuſtitia originalis dicebatur naturalis Adæ, quamuis enim eſſet ſupernaturaliter ei indita, quia tamen de ſtatu illius erat in innocentia, naturalis cenſebatur. Sic omnis cognitio conceſſa Angelis ab initio (exceptâ fide) potuit dici naturalis, etiamſi viribus naturæ illa aſſequi non potuerint.

Cognitio quotuplex ſit.

Aduertendum ſecundò, duplicem eſſe cognitionem, vnam perfectam & diſtinctam, ſiue propriam; alteram imperfectam, confuſam, & impropriam. Prior eſt quâ attingitur obiectum ſub perfecta ratione ſuæ entitatis, & cognoſcibilitatis, qualis eſt cognitio hominis per eius eſſentialem definitionem: poſterior verò eſt quâ obiectum tantùm per accidens, vel tantùm in aliquo communi, vel confuſo concipitur. Cognitio diſtincta, ſeu perfecta & propria iterum duplex eſt, ſcilicet immediata, & mediata: immediata, quâ cognoſcitur res per ſeipſam non mediante aliquo alio obiecto cognito, vt dum Angelus ſuam eſſentiam per ſeipſam intelligit, vel per ſpe-

ciem intelligibilem ipſam repræſentantem, quæ quidem non eſt aliquid cognitum, ſed ſolùm ratio cognoſcendi; mediata verò quâ cognoſcitur res per obiectum medium cognitum, ſicut cauſa per cognitionem effectus cognoſcitur.

Aduertendum tertiò duplex eſſe medium quo res aliqua cognoſcitur, vnum cognitum, & aliud cognitionis. Cognitum illud eſt quod mediâ ſui cognitione cauſat alterius cognitionem, quomodo cauſa aliqua cognoſcitur per ſuos effectus, & concluſio per ſua principia. Medium verò cognitionis illud eſt quod nullâ ſui cognitione ducit nos in cognitionem alterius, & alio modo dicitur ratio cognoſcendi non cognita, cuiuſmodi ſunt ſpecies intelligibiles in intellectu, & viſibiles in oculo, illæ ſiquidem ſuas mouent potentias ad obiectorum cognitionem, abſque vlla tamen præuia ſui cognitione. *Medium duplex eſt.*

His notatis Patres Rada *a*, & Tamarit à Tauaria *b* quibuſdam aſſertionibus & concluſionibus propoſitæ quæſtioni reſpondent, eaſque probant. *a In 1. contro. 8. art. 1. b Tract. 4. florum Theol. q. 7.*

Prima aſſertio, Angelus in ſuo eſſe naturali ſpectatus, per ſuam & aliarum rerum ſubſtantiam tanquam per medium cognitum, intelligit naturaliter Deum eſſe ens ſupremum atque auctorem & gubernatorem omnium. Probatur primò, nam cùm ſeipſum & quaſcumque res alias videt, ſatis cognoſcit eas non eſſe à ſe, ſed ab alio tanquam effectus à cauſa pendere quoad productionem & conſeruationem; & per conſequens illarum omnium conditorem eſſe illi innoteſcit, quem nullum alium eſſe præter Deum cognoſcit. Confirmatur, nam ſi de antiquis Philoſophis ait Apoſtolus Rom. 1. inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta conſpiciuntur, multo magis de Angelis id dici poteſt. Probatur ſecundò, quia Angelus habet rationem naturalem creatam perfectam; Ergo ea omnia quæ de Deo cognoſcere poteſt ratio creata naturalis, poteſt & Angelus. De Deo, inquam, vt vnus eſt, non tamen vt trinus, quia nulla ratio naturalis cognoſcere poteſt Deum eſſe trinum. Quod oſtendit Scotus. Nam demonſtratione quia demonſtrari non poteſt Deum eſſe trinum, quia etiamſi trinus non eſſet adhuc intelligeretur in diuinis ſuppoſitum habens principium formale perfectum & completum cauſandi. Non poteſt quoque demonſtrari demonſtratione propter quid, nam non poteſt demonſtrari propria paſſio alicuius ſubiecti niſi cognito ſubiecto diſtinctè & quidditatiuè, ſed Trinitas ſe habet veluti paſſio diuinæ eſſentiæ, ergo non poteſt cognoſci à priori ſeu demonſtratione proper quid, niſi cognita diſtinctè & quidditatiuè eſſentia diuina eo modo; non *Angelus quomodo Deum naturaliter cognoſcat, vel non.* *Rom. 1.* *In quodlib. q. 14. art. 1.*

poteſt autem ſic cognoſci ab Angelo; Igitur &c.

Angelus non poteſt naturaliter habere notitiam Dei immediatam.

Secunda aſſertio, Angelus non poteſt habere notitiam Dei propriam & immediatam ex perfectione ſua naturali. Probant hanc aſſertionem Rada & Tamarit locis citatis. Quia Deus ſub ratione propria diuinitatis pręcisè loquendo non eſt præſens alicui intellectui creato propriè, quiditatiuè & immediatè, vt videatur, ſed merè voluntariè: ergo nullus intellectus creatus ex perfectione ſua naturali poteſt cognoſcere Deum ſub propria & immediata cognitione diuinitatis. Confirmatur, quia ſi naturaliter eſſet præſens Deus in propria exiſtentia intellectui creato, in ratione obiecti, poſſet creatura naturaliter eſſe beata in viſione deitatis, quod eſt à fide alienum, quia ex S. Ambroſio, naturæ Dei non eſt videri, ſupple à creatura, niſi velit, ſi ergo (ait ille) vult, videtur; ſi non vult non videtur, & natura creata non eſt cauſa naturaliter actiua huius viſionis, vel perfectæ præſentiæ Dei in propria exiſtentia in ratione obiecti, quia cùm non poſſit creatura aliqua continere in ſe perfectè eſſentiam diuinam quoad ſuam entitatem, ita eam non poteſt perfectè continere quoad ſuam cognoſcibilitatem. Ergo &c.

Rada & Tamarit locis cit.

S. Amb. ſuper Lucam.

Angelus quomodo per ſuam eſſentiam Deum cognoſcat, aut non.

Tertia aſſertio, Angelus per ſuam eſſentiam non poteſt Deum ſub propria & diſtincta ratione deitatis cognoſcere tanquam per medium cognitum, neque tanquam per rationem intelligendi, ſeu ſpeciem intelligibilem; Hæc aſſertio eſt quoque Radæ & Tamarit locis citatis. Probatur, quia Angeli eſſentia nullo modo includit Deum, vel Deitatem ſub ratione diſtincta, vt dictum eſt; Ergo non poteſt cauſare diſtinctam eius cognitionem, nam vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad cognoſci. Vnde cùm nullus effectus creatus, neque creabilis adæquet virtutem Dei, non poterit Deus ſub perfecta & diſtincta ratione naturaliter cognoſci. Nam eſſentia Angeli non eſt naturalis & formalis ſimilitudo Dei, & per conſequens non eſt ratio intelligendi Deum: aliàs enim etiam aliis creaturis, vt formicæ & muſcæ, concedendum eſſet eſſe naturales ſimilitudines Dei ipſum repręſentantes. Item ſi eſſentia Angeli poſſet Deum repręſentare immediatè ſicut ſpecies intelligibilis (inquit Rada) ſequeretur non eſſe inconueniens quod detur ſpecies creata immediatè repręſentatiua eſſentiæ Diuinæ. Patet ſequela, quoniam nihil refert, quod ſpecies immediatè repręſentatiua eſſentiæ Diuinæ ſit ſubſtantia, vel accidens: Si datur eſſentia Angeli immediatè repræſentatiua Dei: Ergo poteſt etiam dari qualitas ſuperaddita potentiæ quæ etiam ipſum immediatè repræſentet: Sed hoc ęſt impoſſibile ſecundùm ſententiam Sancti Thomæ, ergo eſſentia Angeli non poteſt immediatè repræſentare Deum per mo-

dum ſpeciei intelligibilis.

Ex his ſequitur nec Angelum, nec animam poſſe naturaliter cognoſcere propriè diuinam eſſentiam, etiam cognotione mediata. Probatur, quia non poteſt dari medium cognitum creatum quod nos ducat in cognitionem quidditatiuam Dei. Vnde Scotus, & S. Thomas in hoc non differunt; vterque enim tenet Angelum ex ſolis ſuæ naturæ viribus non poſſe Deum propriâ & quidditatiuâ ratione cognoſcere, licèt Scotus id ſpecie diuinæ eſſentiæ ſuperadditâ Angelo fieri poſſe, immo & factum eſſe concedat. Quod S. Thomas negat.

Quarta Aſſertio, vt Angelus cognoſcat Deum propriâ & diſtinctâ cognitione abſtractiuâ, indiget ſpecie intelligibili repræſentante diuinam eſſentiam. Eſt pariter iſta aſſertio ſupradicti P. Tamarit. Probatur, quia cùm hæc cognitio per medium cognitum haberi non poſſit, indiget Angelus ad illam acquirendam aliqua ſpecie intelligibili, quæ eſt ratio cognoſcendi & repręſentandi diſtinctè licèt abſtractiuè, Diuinam illam eſſentiam & naturam, cuius cognitionem intuitiuam ex puris naturalibus habere nequit. De abſtractiua Dei cognitione ab Angelo.

Confirmatur, nam aliquis in raptu videns tranſitoriè Diuinam eſſentiam, ſicut contigit S. Paulo, ceſſante ipſo actu videndi poteſt habere memoriam obiecti ſub ratione diſtincta, licèt non ſub ratione præſentis actualiter: Ergo manebit ſpecies impreſſa Diuinæ eſſentiæ. Vnde idem S. Paulus fatetur ſe audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. 2. Cor. 11.

Quinta aſſertio: Angeli habuerunt à principio ſuæ creationis notitiam diſtinctam naturalem diuinæ eſſentiæ per ſpeciem ipſis impreſſam. Hæc aſſertio eſt Scoti, eodem Tamarit illum referente, & iſta ſpecies data intellectui Angelico, quâ eſſentia diuina eſſet ei præſens diſtinctè, licèt abſtractiuè, poteſt dici naturalis, & ad cognitionem naturalem Angeli pertinere. Dicitur autem naturalis, quia non eſt principium actus gratum facientis, nec glorioſi; dicitur etiam non naturalis, quia acquiri non poteſt viribus naturalibus. Præterea ex S. Auguſtino, Angeli in ſtatu innocentiæ antequam eſſent beati, habuerunt cognitionem matutinam in verbo, in quo cognouerunt creaturas producendas; ergo videtur quòd Angeli in puris naturalibus conſtituti habuerint diſtinctam cognitionem de verbo diuinò per aliquam inditam ſpeciem. Et licèt S. Auguſt. cognitionem creaturarum in verbo ſæpe vocet beatificam, nihilominus ex dictis eius deduci poteſt, quòd hæc cognitio quæ communiter vocatur matutina, ſit etiam naturalis & non præcisè beatifica. Quam cognitionem matutinam rerum in verbo habuit Angelus ante lapſum. Quænam ab initio fuit diſtincta eaque naturalis Angelorum notitia. *Loco cit.* Species data Angelo quænam ſit. *S. Aug. ſuper Gen. ad litt. cap. 23.* *Loco cit. cap. 22.*

Ex his ſequitur talem cognitionem quam habuit Angelus diuinæ eſſentiæ, per ſpeciem ſibi inditam fuiſſe quidditatiuam, quia illa ſpecies repræſentabat diuinam naturam ſub ratione deitatis, & non ſub aliqua attributali ratione.

Cap. 9. de diuinis nominibus. Obijcies primò S. Dionyſium, qui poſtquam dixit Deum eſſe ſuper omnes cæleſtes mentes incomprehenſibili virtute collocatum, poſtea ſubdit, quòd quia eſt ſupra omnem ſubſtantiam, ab omni cognitione eſt ſegregatus: Ergo Deus ab Angelis non potuit cognoſci. Reſpondeo Deum quoad comprehenſionem ſui eſſe ſuper omnes cæleſtes mentes, & etiam quoad cognitionem ſui diſtinctam, niſi ſpecies diuinæ eius eſſentiæ ipſis cæleſtibus virtutibus infundantur.

Deus ſolus ſeipſum comprehendit.

Obijcies ſecundò, Deus in infinitum diſtat ab Angeli intellectu; ſed infinitum diſtans non poteſt à virtute finita attingi, qualis eſt intellectus Angeli: Ergo &c. Reſp. argumentum illud ſolùm concludere non poſſe Deum ab Angelico ſpiritu comprehendi, non tamen quod non poſſit aliquomodo ab eo attingi & cognoſci, modo quo ſupra expoſitum eſt.

Angelus Deũ comprehendere nequit.

SECTIO VI.

An Angelus cognoſcat futura contingentia.

Futura contingentia quot ſunt.

AD huius quæſtionis reſolutionem eſt aduertendum futura contingentia eſſe triplicis generis: Quędam enim neceſſariò proueniunt ex cauſis naturalibus, nec vllomodo pendent à libero arbitrio, vt motus corporum cæleſtium, & curſus aſtrorum, immò etiam omnes euentus naturales, qui in his inferioribus fiunt, ſiue à Cœlorum influxu, ſiue ab alijs cauſis inferioribus naturalibus, vbi nullomodo liberum intercedit arbitrium.

Alia ſunt futura quæ non neceſſariò, ſed vt plurimùm ex ſuis cauſis ſequuntur abſque vllo etiam liberi arbitrij interuentu, vt ſanitas ex tali medicina. Alia denique futura ſunt, quæ omninò contingenter & à cauſis liberis fiunt, aut eueniunt.

Angelus quęnam futura contingentia cognoſcat & quomodo

Primi generis contingentia futura cognoſcit Angelus in ſuis cauſis, niſi à Deo impediantur, & ita certò & euidenter cognoſcit ſicut Eclypſis Solis & Lunæ ſcitur à Mathematicis, quia talis effectus in ipſis ſuis cauſis ſunt determinati. Eodem modo certò & euidenter euentus naturales futuros cognoſcit, vt futuram ægritudinem ex tali humorum compoſitione, peſtem, ſterilitatem ex tali

conſtella-

conſtellatione, & alia id genus quæ ex cauſis omnino naturalibus futura ſunt. Certò etiam cognoſcitur ab Angelo quomodo cauſæ naturales ſeſe impedire poſſint, vel ob contrarias conſtellationes, vel alio modo, necnon etiam cauſas impedientes, & actiuitates earum penetrat. Quod eſt intelligendum dummodo non deneget Deus ſuum concurſum illis connaturaliter debitum. Cognoſcit pariter quæ cauſa aliam ſuperabit, & quâ ratione, & quid ex tali occurſu, futurum aut non futurum ſit. Nos autem hos euentus nec euidenter cognoſcimus, cùm virtutem & potentiam cauſarum ignoremus. Ideo naturales euentus contingentes non minùs nobis ſolent eſſe incerti, quàm contingentes ex libero arbitrio, & ita ſola coniecturâ illos aſſequimur. Angelus autem certò ſcit hos effectus, immò etiam quid bruta animantia facient, aut non facient, cùm naturaliter bruta in obiecta ferantur. Secundi generis contingentia futura etiam cognoſcit Angelus, non certò quidem, ſed probabiliſſimis coniecturis; cùm enim homines ea poſſint conijcere, ergo multò meliùs Angelus, qui longè illis perſpicacior eſt.

Tertij denique generis contingentia futura nullomodo cognoſcit euidenter Angelus propriâ virtute, neque in ſuis cauſis, neque in ſeipſis: Non in ſuis cauſis, cùm libera ſint, vt ſupponimus, & proinde ſint penitùs indeterminata & indifferentes ad vtrumlibet: neque etiam in ſeipſis, cùm illa ipſi Angelo nondum ſint præſentia, nec realiter exiſtant: Rem autem quæ nondum exiſtit, intellectu attingere, eamque vt aliquando in ſeipſa erit cognoſcere, hoc proprium eſt intellectus infiniti & æterni, qui ſuo obtutu poteſt anteuertere omnes temporum differentias. Vnde id de fide eſt tenendum, cùm ſacræ litteræ certam eiuſmodi futurorum notitiam, ſoli ipſi Deo tribuant, vt omnes ſancti Patres fatentur; Iuſtinus martyr, *a* Euſebius, *b* Damaſcenus, *c* Anſelmus, *d* &c. Probatur itaque Eſaiæ 41. *Annuntiate nobis quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos.* Vbi latè oſtendit S. Hieronymus non potuiſſe idola prædicere futura, quia nec templorum ſuorum ruinam præſcierunt. Et non mirum, quia illa præcognoſcere diuini muneris eſt. Eſt tamen notandum bene poſſe Angelos coniecturâ aliquâ & quibuſdam ſignis, futura quæ vt plurimum eueniunt cognoſcere, etiamſi à libero arbitrio pendeant, vt innuit S. Thomas. Nam ſi coniecturâ aliquâ poſſint illa homines cognoſcere, ergo multò meliùs Angeli. Ex quo bene infert Scotus Angelos non habere ab initio ſuæ creationis, ſpecies proprias rerum omnium quæ futuræ ſunt, quia poſſent futura antequam ſint, cognoſcere.

a lib. qq. q. 1. & 146.
b lib. 1. de præpar. Euang. cap. 10.
c lib 1. de fide cap. 4.
d lib. de caſu Diaboli. cap. vlt.
1. p q. 57. art. 2. & 3.

At obijcies, ſæpenumerò Dæmones vera prænuntiare etiam cir-

ca res merè contingentes, quæ videlicet ab hominum libertate pendent. Reſpondeo primò illos poſſe prædicere quæ ipſi Deo permittente, vel non impediente facturi ſunt. Sic potuit Sathan mala quæ paſſurus erat, ſancto Iob prædicere, ſtatim atque facultas eum affligendi à Deo ei conceſſa fuit: vel etiam poſſunt certò prænuntiare quæ ob certas cauſas ipſis à Deo reuelantur. Reſpondeo ſecundò, Dæmones ſæpè falli, & ſic homines decipere in his quæ prędicunt, vt docet S. Auguſtinus. Deinde ad coniecturalem cognitionem illorum contingentium futurorum, & humanarum actionum, iuuantur experientiâ longiſſimâ maximâque ſolertiâ & perſpicacitate mentis, & quia norunt circunſtantias quæ ad cuiuſuis ſtatum pertinent, necnon naturales diſpoſitiones vniuſcuiuſque, vt quibus moribus ſit quiſque pręditus, quo ingenio, & quæ ſit cuiuſque naturæ procliuitas, &c.

Dæmones quandoque res futuras prædicunt, & quomodo illas ſciunt.

Quia Dæmones falluntur in ijs quæ prædicunt, ſic homines decipiunt.

4. *de Trin. cap. 17. & alibi.*

SECTIO VII.

An Angelus cognoſcat præterita, & poſſibilia.

DVo ſunt hæc in ſectione reſoluenda. Quoad prius de pręteritis Prima aſſertio, Angelus ſecluſâ reuelatione & fide, non poteſt cognoſcere prętęritum, quod priùs non cognouerat. Ita communiter Theologi. Probatur primò, quia hoc proprium eſt Dei, vt conſtat ex iam ſuprà allata Eſaiæ ſententia ſect. pręced. *Annuntiate nobis quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dy eſtis vos.* Et ratio eſt, quia ſicut eſt proprium Dei, quòd eius intuitus terminetur ad futurum ac ſi eſſet pręſens, ita quod terminetur ad prętęritum in ſeipſo ac ſi eſſet pręſens, nam ad hoc requiritur intuitus ambiens omnia tempora. Secundò ratione probatur. Si Angelus nunquam nouit rem eſſe, perinde ſe habet ad illam ac ſi nunquam fuiſſet, ergo ex ſe non magis cognoſcit fuiſſe quàm non fuiſſe. Patet, quia ex eo quod res fuerit, nulla mutatio facta fuit in Angelo; & ex parte obiecti eodem modo ſe habet res poſtquam deſijt eſſe, ac ſi nunquam fuiſſet: Ergo non eſt vnde Angelus cognoſcat rem fuiſſe. Quod ſi objicias quoſdam Patres docuiſſe Angelos pręterita cognoſcere: Reſpondeo illos loqui de pręteritis de quibus poſteà habuerant notitiam, nam de alijs eadem eſt ratio ac de futuris.

Angelus nequit præteritum cognoſcere quod nũquam cognouerat.

Secunda Aſſertio, Angelus cognoſcit pręterita quæ exiſtentia

cognouerat. In hoc omnes Doctores conueniunt, & ita habet Scotus. *in 4. diſt. 45. q. 3. a.* Probatur, quia per cognitionem rei præſentis producitur in intellectu Angeli ſpecies impreſſa illius cognitionis, vt poſteà per illam cognoſcere poſſit Angelus eiuſmodi rem aliquādo fuiſſe. Confirmatur, nam viſio quâ rem illam vidit Angelus, aliquid reliquit in eius intellectu, atqui illud ſic relictum non poteſt eſſe niſi ſpecies illius rei, non vt præſentis, cùm ex hypotheſi non ſit amplius præſens, ſed vt præteritæ, cùm cognoſcere præteritum tanquam præſens ſit proprium Dei propter immutabilitatem eius.

Quod ad aliud de poſſibilibus attinet, an illa Angelus cognoſcat poſſibilia: Dicimus quòd cùm penetret vim & naturam cuiuſcumque cauſæ & creaturæ, cognoſcit quoque omnes effectus ab illis poſſibiles, & qui in illis cauſis virtualiter continentur. *Angelus poſſibilia cognoſcit, & quomodo.* Probatur, qui penetrat cauſam, cognoſcit relationem quam dicit ad effectum, ſed relatio nequit cognoſci quin terminus cognoſcatur, ergo cùm cauſæ dicant relationem ad ſuos effectus poſſibiles, neceſſe eſt vt cognoſcantur tales effectus: Et ita Angelus penetrans ignem ſaltem confusè & in generali, cognoſcet omnes ignes ab illo producibiles: Ita dicendum de alijs. Aduertunt porrò nonnulli, quòd ſi aliquæ ab Angelo ignorentur cauſæ in quibus virtualiter effectus poſſibiles contineantur, aut à ſolo Deo produci poſſint tales effectus, non habent Angeli in quo illos cognoſcant.

Aliqui alij volunt Angelum per ſpecies impreſſas cognoſcere poſſibilia quoad ſuas ſpecies diuerſas, quas Deus poteſt creare, immò alias quàm creatæ iam ſint, abſque eo quòd tamen cognoſcat quænam ſint in ſpeciali, cùm infinitæ ſint. Indiuidua autem poſſibilia earumdem ſpecierum, quia etiam infinita ſunt, ſimul cognoſcere nequit, ſed forſitan paulatim & ſigillatim, inquiunt, & per ſpecies de nouo acceptas, cùm vt dictum eſt, poſſit à rebus ipſis ſingularibus ſpecies abſtrahere. Quamuis alij conſtanter aſſeuerent non eſſe ſpecies de poſſibilibus abſtrahibiles ab Angelo, cùm illæ ſolùm ſufficiant quæ ei neceſſariæ, aut vtiles ſunt, vt ſit in ratione intelligendi perfectus: At verò ſatis in tali ratione conſtituitur perfectus per ſpecies rerum quæ ſunt, aut futuræ ſunt, aut etiam præteritæ, abſque illis quæ ſolùm ſunt rerum poſſibilium; ergo, &c.

Obijcies primò, quod obiecta exiſtant, vel non, eſt quid accidentarium; ſed ſi tales naturæ poſſibiles exiſterent, eſſent Angelis debitæ ſpecies illarum ad eaſdem intelligendas; ergo etiam quando ſunt merè poſſibiles. Reſpondeo negando maiorem, nam res exi-

ſtentes ſunt per ſe aptæ ad immutandam potentiam, at verò poſſibiles, vel futuræ non niſi in aliqua cauſa exiſtente.

Obijcies ſecundò, Quia ſequeretur Angelum priuari cognitione plurium rerum à ſe naturaliter ſcibilium, quod eſt Angelo inferre vim. Reſpondeo nullam eſſe vim, quia cognitio poſſibilium non eſt debita Angelo, ſi non exiſtant, niſi aliquo ex prędictis modis cognoſcantur.

Obijcies tertiò, Quia dari tales ſpecies poſſibilium non repugnat, immò eſt excellentia Angeli illas habere; ergo illi ſunt concedendæ. Reſpondeo quòd licèt non repugnet de potentia Dei abſoluta, repugnat tamen ſecundùm ordinem naturalem, quia natura Angeli non petit niſi cognitionem exiſtentium. Deinde darentur infinitæ ſpecies infinitarum rerum poſſibilium, quòd iuxta aliquos repugnat ſecundùm ordinem naturalem.

SECTIO VIII.

An ſecreta cordis noſtri poßint ab Angelo naturaliter cognoſci, & illa de facto cognoſcant.

PENVLTIMA ſectione reſoluimus quænam futura contingentia poſſit cognoſcere Angelus, & quomodo. Et poſtremâ dictum eſt de pręteritis, & poſſibilibus, quomodo pariter illa cognoſcere valeat. Pręſenti igitur ſectione eſt dicendum, quomodo contingentia præſentia, ſiue actu exiſtentia cognoſcat, vel cognoſcere poſſit. Vt autem id faciliùs nobis innoteſcat, eſt aduertendum illa eſſe duplicis generis. Aut enim ſunt externa, vt pleræque humanæ actiones imperatæ, verbi gratia, ambulare, ſedere, loqui, &c. aut interna ſeu occulta, vt omnes actiones tum intellectus, tum voluntatis, quæ dicuntur cogitationes & affectiones, ſeu actus liberi, ſiue à voluntate eliciti, ſiue imperati. De contingentibus præſentibus prioris generis nulla eſt difficultas, certum eſt enim illa ab Angelo cognoſci poſſe, at de contingentibus poſterioris generis difficultas eſt, an Angelus aliquis ea naturaliter cognoſcere poſſit, & de facto cognoſcat, ſiue alicuius hominis, ſiue etiam alterius Angeli. Quia igitur proponitur quæſtio de poſſe, ſeu potentia, & de facto, eidem duplici aſſertione eſt reſpondendum.

Rerum præſentium duplex genus.

Angelus contingentia præſentia cognoſcit, & quænam.

Prima Aſſertio. Secreta cordis humani, aut Angelici, videlicet occultæ cogitationes & affectus omnes, nec-non actus liberi à voluntate eliciti, vel imperati, ab alio Angelo ſuapte natura, ſeu ſuis viribus derelicto, cognoſci poſſunt, niſi talis cognitio à Deo impediatur. Hæc aſſertio eſt Doctoris [a] Subtilis, & ſequacium, necnon Gabrielis [b] Maioris, [c] Ochami, & quorumdam aliorum.

Angelus Deo non impediente poteſt alterius Angeli occultas cogitationes affectus, &c. cognoſcere, & quomodo.

a in 2. diſt. 9. & in repor. diſt. 10. eiuſd. lib. 2.

b in 2. diſt. 9. qu. 2.

c diſt. 9. q. 3.

Probatur primò. Quodcumque obiectum reale intelligibile actu in ſe, & proportionatum cuicumque intellectui Angelico, & ei ſufficienter præſens, poteſt naturaliter cognoſci ab omni tali intellectu; ſed cogitationes & affectus humani & Angelici ſiue naturales ſint, ſiue liberi, ſunt huiuſmodi: Ergo poſſunt cognoſci naturaliter à quocumque intellectu Angelico. Maior eſt clara. Minor probatur, quia huiuſmodi cogitationes & affectus ſunt entia realia & vera, & intellectui Angelico proportionata, ac præſentia: Ergò ab eo naturaliter intelligi poſſunt niſi impediatur. Nam ex communi omnium ſententia, actiuo & paſſiuo naturaliter proportionatis, & approximatis non impeditis ſequitur actio. Reſpondebis verum eſſe argumentum, niſi eiuſmodi cordis ſecreta occultentur, poſſunt tamen occultari per volitionem Angeli à quo eliciuntur: ſed contrà obijcit Scotus. Primò, non eſt maior ratio, quare Angelus poſſit occultare cognitionem ſuam, vel affectum, quàm eſſentiam ſuam, cùm vtrumque ſit ens reale exiſtens & præſens, ſed eſſentiam ſuam non poteſt occultare: Ergo neque cogitationem & affectum. Secundò, volitio quâ Angelus vult occultare ſuam cogitationem, aut affectum, eſt intelligibilis per ſe, cùm ſit ens reale exiſtens & præſens: Ergo ſi poteſt occultari, debet occultari per aliam, quæ etiam eſt intelligibilis, & illa per aliam, & ſic dabitur proceſſus in infinitum: Ergo prima cogitatio & volitio nequeunt ab Angelo occultari. Nec valet ſi quis dicat eſſentiam Angeli eſſe eius ſubſtantiam, & cogitationem, ſeu affectum, accidens: Hoc enim nihil refert, quia tam ſubſtantia quàm accidens ſunt reale & actuale; & per conſequens per ſe naturaliter intelligibile.

Probatur ſecundò, quia cognoſcere ſecreta cordium per ſe loquendo non ſuperat facultatem naturalem Angelorum, vt patet, quia Angelus cognoſcit eorum cogitationes qui conſentiunt, at talis conſenſus non auget naturalem facultatem intellectus Angelici, neque illum reddit magis proportionatum ad intelligendas eas, quàm antea erat. Deindè, quia ſi homo ſuos actus internos intellectus & voluntatis intelligit, multò magis Angelus qui eſt longè maiori intelligendi acumine præditus. Et denique Angelus ſuâpte naturâ intelligere poteſt cuiuſlibet hominis intellectum & ſpecies in

eo receptas, nec-non etiam eius voluntatem: Ergo poterit quoque naturaliter cognoſcere actus internos vtriuſque facultatis, ſi vt ſupponimus, ordinem naturalem non excedant.

Controu. 8. art. 3. concl. 2.

Porrò illa cordis ſecreta per effectum poſſunt duobus modis ab Angelo cognoſci (inquit Rada) videlicet certò, & per coniecturas: certò, ſi per ſuas cauſas cognoſcat, ſicut ſi Angelus videt hominem currentem nemine impellente, ſcit quòd ille vult currere: per coniecturas verò, vt per nutus & ſigna varia, ſicut medici ex pulſu venarum ſæpè animi affectus occultos intelligunt, & ſicut per mutationem vultus, aut alijs indicijs externis perpenditur quandoque affectio interior, & varius animi motus; nam quantò Angelus eſt homine ſubtilior & maiori ingenij acie prędítus, tantò ſubtiliùs eo tales mutationes perpendit. Vbi nota ex S. Auguſtino, leuiora quędam cogitationum ſigna interdum exhiberi, quæ licet obtuſo hominum ſenſu diſcerni non valeant, acuto tamen Dęmonum poſſunt. Aduertit tamen Richardus, quod etiamſi eorum naturalia remanſerint integra quoad ſubſtantiam, ita tamen per culpam ſunt obnubilata, vt in eorum intelligentia ſit deceptio, in voluntate obliquatio, & in memoria inhabilitas ad recolenda multa quæ fecit eis Deus, & indè fit, vt ſæpè ſæpius fallant, & fallantur, maximè in contingentibus, ſecundùm S. Auguſt.

Lib de diuinatione Dęmonum cap 8.

Aug. in lib de diuinationibus.

Angelus non cognoſcit de facto ſecreta cordis Deo ita ſtatuente.

3. Reg. 8. Pſal. 7. Pſal. 43. Hierem. 17. Act. 1. Heb. 4.

Secunda Aſſertio. Secreta cordis Deo ita ſtatuente, non cognoſcuntur ab Angelis de facto, ſed ab ipſo ſolo Deo. Probatur 1. ex ſcriptura, in 3. Regum, *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* In Pſalmis, *Scrutans corda & renes.* Et iterum, *ipſe enim nouit abſcondita cordis.* Apud Hieremiam, *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* In Act. Apoſtolorum, *Tu Domine qui noſti corda omnium.* Et S. Paulus, *Diſcretor cogitationum & intentionum cordis.*

a Hom. 3. in Matth. b Lib. 1. in Luc c Lib 2 in Ioan c 15 d In nonum cap. Matthęi Luc 12. Ioan 2.

Secundò probatur auctoritate Sanctorum Patrum, vt Chryſoſtomi [a], Ambroſij [b], Cyrilli [c], Hieronymi [d] in illud Sancti Matthæi, *Sciens Ieſus cogitationes eorum*, ex eo maximè, ſicut alij S S. Patres, ait Chriſti Diuinitatem comprobari quòd omnium cogitationes propria virtute exploratas haberet, vt conſtat adhuc apud S. Lucã, *Vt autem Ieſus vidit cogitationes illorum*, &c. Et apud S. Ioannem: *Eo quod ipſe noſſet omnes.* His ergo omnibus auctoritatibus tum ſcripturæ, tum Sanctorum Patrum, liquidò patet Deum ipſum ſolum de facto cognoſcere poſſe cordis ſecreta cuiuſcumque hominis vel Angeli, prout ſunt in eorum intellectu & voluntate, cùm ſit rerum omnium cauſa atque operationis illarum nedum in fieri, ſed etiam in facto eſſe, & illæ ad ipſum ordinentur, nullum autem Angelum de facto illud pręſtare poſſe, quando ergo aliqui prędictas

auctoritates obijciunt, vt probent Deum ſolum, non verò Angelum ſecreta cordis humani & Angelici cognoſcere. Reſpondemus primò, illas eſſe intelligendas quòd Deus de facto, vt dictum eſt, illa perfectiſſimè cognoſcat, non verò eaſdem concludere Angelum eas non cognoſcere de poſſibili, quamuis non de facto, vt dictum eſt: Tales etenim auctoritates nec dicunt, nec dicere poſſunt eiuſmodi ſecreta eſſe intellectui Angelico improportionata, & non eſſe realia, atque ex conſequenti intelligibilia, quia quod eſt proportionatum Angelo inferiori, erit etiam ſuperiori; ſed infimo Angelo actus liber ipſius eſt proportionatus: ergo ſuperiori. Deinde, quia conſentiente Angelo cuius eſt actus liber, cognoſcitur talis actus ab altero Angelo: ergo eſt illi proportionatus. Secundò reſpondemus quòd etiamſi Angelus de facto cognoſceret eiuſmodi cordis ſecreta, & abſcondita, non tamen eo modo quo ipſe Deus, qui ſolus illa cognoſcit vniuerſaliter & ex propria perfectione, & tanquam Iudex vniuerſalis omnium talium occultorum, & abſque eo quòd à quoquam impediri poſſit; nullo autem horum modorum Angeli boni & mali, vel etiam animæ ſeparatæ: imò nec beati talia vnquam cordis ſecreta nouerunt: Et hoc etiam modo poſſunt ſolui quæcumque aliæ auctoritates ſimiles, & obiectiones in contrarium. *Si Angelus cordis ſecreta cognoſceret non tamen eo modo quo Deus cognoſcit.*

Obijcies Angelos eſſe per naturam ſpecula clara, vt ait D. Dionyſius, videntes animæ ſubſtantiam, cùm ſint ſpirituales ſubſtantiæ, & ex conſequenti videre intima ipſius animæ ſecreta. Reſpondemus ex S. Bonauentura illos non proindè eius intima de facto proſpicere, quia non poſſunt illabi animæ, ſicut vnus Angelus videns alterum, ſecreta illius non cognoſcit, niſi ille voluerit reuelare. Vnde non eſt ſimile de ſpeculo naturali, ſiue artificiali, ac de voluntario, nam illud repręſentat ſe, & quod lucet in ſe, ita quòd illo ſpeculo viſo videantur omnia illa quæ illi obijciuntur, & in eo repręſentantur, hoc autem quale eſt, anima vel ſubſtantia ſpiritualis non manifeſtat actu, quæ ſunt in eo, niſi vt vult, &c. Angeli igitur non cognoſcunt medio tali, cordium noſtrorum arcana naturaliter, ſed modo ſolùm conicecturali, vt dictum eſt. *Angeli non poſſunt illabi animæ.*

Interim etiamſi Angelus ſingulari mentis acumine ad cuncta intelligenda polleat, non expedit tamen, vt ipſe de facto ſecreta cordium cognoſcat (inquiunt aliqui Doctores) quia libertas Angelica, imò & humana naturaliter petit, vt ſecretum eius non cognoſcatur. Et ſi quis ſciret alterum abſque ſuo conſenſu cognoſcere ipſum ſuum ſecretum, profectò illud non eliceret: meliùs eſt ergo vt illa ſecreta non pateant niſi Deo, ob incommoda multa quæ in *Deo ſoli ſecreta patent &c.*

republica intellectuali adferre poſſet eorum cognitio: & propterea Deus (aiunt) non concurrit ad eorum cognitionem, ob ſuauem ſuæ prouidentiæ in creaturæ rationalis gubernatione diſpoſitionem, niſi Angelus vel homo, liberâ voluntate conſenſum præbeant, vt cognoſcantur. Vult enim dominium libertatis perfectæ conſeruare, quod vnicuique naturaliter debetur, quodque ex natura habet vnuſquiſque in ſuos internos actus, at tale dominium impediretur & violaretur, ſi Angelus inuito alio Angelo vel homine, illos eorum actus internos cognoſceret, & ſecluſa eorum liberâ manifeſtatione.

SECTIO IX.

An & quomodò Angelus cognoſcat myſteria gratiæ.

Gratiæ myſteria duobus modis ſunt ſupernaturalia.

AD faciliorem huius quæſtionis reſolutionem, Aduertendum primò myſteria gratiæ eſſe ſupernaturalia duobus modis: primò per ſe, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam vel entitatem, quæ ſcilicet continentur aliqua re, quæ per ſe eſt altioris ordinis quàm ſit ordo rerum naturalium, cuiuſmodi eſt Incarnatio Verbi, iuſtificatio impij per gratiam, habitus fidei, ſpei, charitatis, & alia huiuſmodi noſtræ fidei myſteria. Secundo modo quoad modum ſolum productionis, quæ videlicet fieri nequeunt à naturali aliqua cauſa, ſed ſolùm à Deo, licèt in ſe, & ſecundùm ſuam eſſentiam ſint ordinis naturalis, vt verbi gr. illuminatio cœci, reſurrectio mortui, conſeruatio puerorum in igne Babylonico, conuerſio aquæ in vinum in nuptijs Chana Galileæ.

Angeli triplex ſtatus.

Aduertendum ſecundò Angelum in triplici ſtatu conſiderari poſſe, videlicet in ſtatu naturæ, ſiue ſecundùm naturales eius vires; vel in ſtatu gratiæ, fidei, & aliorum donorum ſupernaturalium, quæ in ſuæ creationis initio illi infuſa ſunt: vel denique in ſtatu gloriæ & viſionis beatificæ.

Angelus naturaliter cognoſcere myſteria gratiæ nequit & quę.

His notatis ſit prima aſſertio, Angelus ſuæ virtuti naturali relictus, non poteſt cognoſcere, atque clarè & diſtinctè intueri myſteria gratiæ, quæ dicuntur ſupernaturalia per ſe, aut ſecundùm ſuam entitatem & ſubſtantiam, ſiue cùm ab initio tantùm futura erant; ſiue etiam cùm actu exiſtunt. Probatur, quia ſicut res illæ in ſua entitate ſunt ſupernaturalis & altioris ordinis, ita & in ſua cognoſcibilitate (ſi ita fari liceat,) & proindè excedunt facultatem naturalem intellectus

intellectus Angelici, eique ſunt improportionatæ. Deinde eiuſmodi myſteria, cùm ex merâ Dei voluntate pendeant, cognoſcere nequit per proprias eorum ſpecies, cùm ſupernaturales ſpecies Angelicæ naturæ ſint indebitæ: nec per aliquid quod habeat cum re connexionem, cùm nihil naturale connexum ſit naturaliter ſupernaturali: Igitur nullomodo ea ſuapte naturâ cognoſcit Angelus. Quòd ſi illa ſuapte natura cognoſceret, poſſet etiam Dæmon, cuius naturalia remanſerunt integra, naturali virtute videre in anima hominis gratiam & habitus infuſos; quod eſt contra S. Auguſtinum, qui dicit Dæmonem non tentaturum homines, ſi in illis videret internam ſpeciem virtutum. Et adducit exemplum ſancti Iob, cuius mirabilem patientiam ſi Diabolus potuiſſet cernere, non fuiſſet eum aggreſſus, quia non voluiſſet ab eo ſuperari, nimiâ ſiquidem tumeſcit ſuperbiâ.

Lib. 11. de Geneſi ad litt. cap. 17.

Obijcies primò; Dæmones cognouiſſe Incarnationis verbi myſterium, cùm Chriſtum, apud S. Lucam, eſſe Dei Filium declararint dicentes: *Nos ſcimus quia tu es Filius Dei.* Reſpondent Doctores breuiter illos adulatoriè loquutos fuiſſe, vt veritatem elicerent, an eſſet Dei Filius, & Meſſias in mundum miſſus, nec ne; non tamen inde ſequi illos viribus naturalibus cognouiſſe Incarnationis myſterium.

Dæmones quâ mente Chriſtum eſſe Dei Filium declararint.

Obijcies ſecundò, Illa entia ſupernaturalia eſſe nihilominus creata, ens autem creatum eſſe obiectum accommodatum intellectui Angelico, & ab eo intelligibile. Reſpondemus verum eſſe, imò ens in ſe & omne intelligibile eſſe obiectum adæquatum cuiuſcumque intellectus etiam humani, & entia ſupernaturalia ſub eius conceptu communi comprehendi, ſicque ſub illa entis ratione in communi, & quaſi in confuſo cognoſci; ſed non inde ſequitur (aiunt multi) quod tale ens ſub ratione & modo ſuæ ſupernaturalitatis ſpectatum naturaliter cognoſcatur.

Obijcies tertiò, Qui poteſt id quod maius eſt, poteſt etiam & id quod minus eſt; ſed Angelus poteſt naturaliter intueri propriam ſuam ſubſtantiam, quæ perfectior eſt gratiâ & donis ſupernaturalibus, quæ ſolùm ſunt accidentia, ergo multò magis poteſt illa cognoſcere. Reſpondeo illam propoſitionem, qui poteſt maius, poteſt minus, debere intelligi de ijs quæ ſunt eiuſdem ordinis, vt ſi aliquis poſſit portare pondus ſex librarum, poterit etiam portare vnius libræ; non tamen habet locum in ijs quæ ſunt diuerſæ rationis, quia homo poteſt ratiocinari, & loqui, quod eſt maius, non tamen volare, quod eſt minus; at verò ſubſtantia Angelica eſt diuerſæ rationis à donis ſupernaturalibus: Licèt ergo ipſa ſit naturalis, & illa dona

E

ſint altioris ordinis: quia tamen eſt ipſis donis in genere entis perfe-ctior, eſt etiam magis intellectui Angelico proportionata, quàm quælibet ſupernaturalia.

Angelus modum ſupernaturalem myſteriorum gratiæ, vi ſuâ naturali non cognoſcit.

Secunda Aſſertio. Angelus vi ſuâ naturali poteſt clarè & euidenter cognoſcere myſteria gratiæ quæ dicuntur ſupernaturalia, licèt non poſſit modum illum ſupernaturalem perſpicuè videre. Probatur, quia potèſt Angelus proprijs viribus cognoſcere Deum eſſe omnipotentem, & infinitâ pollere virtute, & propterea poſſe multa naturalia modo ſupernaturali pręſtare, vt vitam mortuo, & viſum cœco reſtituere, &c. Vita enim mortuo reſtituta & oculus cœco, entia ſunt naturalia quoad ſubſtantiam, & ſic naturaliter ab Angelo cognoſcibilia. Poteſt etiam naturaliter cognoſcere Deum poſſe ſupplere efficientiam cauſarum naturalium, ac proinde poſſe dare alicui viſum quem cauſæ naturales dare poterant, ſi non fuiſſent impeditæ. Nota porrò Angelum non tantùm intelligere vitam mortuo miraculosè reſtitutam, & viſum cœco quoad id quod naturale habet, ſed etiam aliquo modo & confusè quoad id quod habet ſupernaturale, quia cognoſcit ea miraculosè, & non virtute aliquâ naturali eſſe peracta, cùm planè ſciat nullam cauſam naturalem habere virtutem ad reſtituendam vitam aut viſum, quia à potentia ad habitum naturaliter regreſſus dari nequit, quomodo autem id factum ſit, non poteſt perfectè & clarè intueri.

Angeli in via cognouerunt myſteria Trinitatis, Incarnationis, &c. & quomodo.

Lib. 5. ſuper Gen. cap. 19.

Ioan 8.

Tertia Aſſertio. Angeli in ſtatu gratiæ & fidei, quibus erant præditi, dum adhuc eſſent in via, cognouerunt per reuelationem, & infuſam ſupernaturalium rerum ſcientiam ac fidei lumen, reconditum Sanctiſſimæ Trinitatis arcanum, necnon altiſſimum Incarnationis verbi æterni myſterium, ſaltem in communi, nempe fore vt Filius Dei naturam humanam ſumeret, & ſic eſſet futurus hominum Redemptor, Saluator, Iuſtificator & Remunerator. Probatur ex ſanctis Patribus, Auguſtino, Ruperto in illud Ioannis, *Homicida erat ab initio*, Bernardo, & alijs etiam modernis, vt Suare, & Vaſqueſio, quorum aliqui tenent ex reuelatione huius myſterij Angelorum peccatum occaſionem accepiſſe. Id etiam probant omnes qui docent Verbum aſſumpturum fuiſſe carnem humanam, etiamſi Adam non peccaſſet; & qui non ſine fundamento exiſtimant gratiam, & gloriam fuiſſe Angelis collatam, propter merita Chriſti futura: Rationi enim conſentaneum erat, vt fidem haberent de ipſo Chriſto venturo, ex cuius præuiſis meritis gratia quâ beatitudinem mererentur, fuerat eis collata. Confirmatur, quia cùm Chriſtus eſſet futurus Summus Pontifex, & Eccleſiæ Angelicæ Caput & Iudex, æquum valdè erat vt ſtatim ab om-

Etiamſi Adamus non peccaſſet, Verbū Diuinum tamen incarnatum fuiſſet.

nibus Angelis cognoſceretur, & in eum crederent, ſicut in hominum Eccleſia contingere videmus. Denique docet ſanctus Thomas eſſe valdè probabile hoc Incarnationis myſterium Adamo reuelatum fuiſſe in ſtatu innocentiæ; immò & Prophetis antiquæ legis; atqui nulla eſt ratio cur potiùs illis quàm Angelis innotuerit, & non fuit vnquam myſterium aliquod magis aptum ad ipſorum Angelorum ſubiectionem, & fidei illorum exercitium quàm iſtud Incarnationis Verbi æterni. Aduertunt tamen & rectè nonnulli eſſe probabile multas iſtius myſterij, & noſtræ redemptionis circumſtantias, & modos illis non innotuiſſe, cùm veriſimile ſit in eo ſtatu æquale reuelationis lumen omnibus creditum non fuiſſe; at illa poſteà in ſtatu gloriæ explorata habuerunt, ſicut idem de myſterio Trinitatis & alijs fidei noſtræ myſterijs eſt iudicandum, vt ſequenti ſectione videndum.

1.2.q.2 art.7.

Incarnationis myſterium fuit Adamo &c. reuelatũ.

Quarta Aſſertio. In ſtatu gloriæ, & beatificæ viſionis multò plura fidei noſtræ myſteria, & quoad plures eorum circunſtantias & modos, fuerunt de facto Angelis detecta, quàm dum ſolùm in via erant. Probatur, quia id iſtius ſtatus dignitas poſtulabat, quoniam iſta facillimè in verbo repræſentari potuerunt. Et primò de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio conſtat, cùm ex omnibus Theologis ſatis innoteſcat claram & intuitiuam ipſius notitiam ad eorum fœlicitatem ſpectare. Apparet etiam de Incarnationis myſterio, pertinebat enim ad Angelos in illo ſtatu, vt in verbo cognoſcerent redemptionem generis humani cum omnibus ſuis ſaltem notabilioribus circunſtantijs, non tantùm comitantibus, verùm etiam antecedentibus & ſubſequentibus, quæ ſunt verbi gratiâ, lapſus generis humani, quod ad eius reparationem de Virgine naſceretur Chriſtus, cõuerſaretur cum hominibus, eos erudiret, pro illis mortem ſubiret, reſurgeret, cœlum conſcenderet. Vnde nulli dubium eſſe poteſt, quin tale myſterium notum fuerit Archangelo Gabriëli, dum illud Beatæ Virgini annuntiauit, & in Natiuitate ipſius Chriſti reliquis Angelis, vt ex S. Luca ſatis conſtat: Nam poſtquam Chriſtum eſſe in Bethleem Iudæ natum indicauit Paſtoribus, ait ſacer Textus: *Et facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis clamantium, & dicentium: Gloria in excelſis Deo*. &c. Nonnulli tamen rectè aduertunt, Angelorum aliquos perfectiùs cæteris illa cognouiſſe ob inæqualitatem luminis gloriæ, ſicut dum erant in via inæqualiter cognouerunt myſteria gratiæ, ob inæqualitatem luminis fidei ac reuelationis.

Angeli in gloria perfectiùs cognoſcunt fidei noſtræ myſteria, quã dum in via erant.

Luc. 2.

Obijcies primò Apoſtolum, qui de Incarnatione ſermonem inſti- Ad Epheſ. 3.

tuens ait, *eſſe Sacramentum abſconditum à ſaculis in Deo, vt innoteſcat Principibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei*, &c. Quæ verba exponens S. Hieronymus, ait illud Incarnationis myſterium dici abſconditum, quia ſpiritualibus creaturis non innotuit, ſed per Eccleſiam illud didicerunt. Idem Apoſtolus videtur idem ſentire; *Magnum* (inquit) *pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis*, &c. Reſpondeo S. Paulum, atque S. Hieronymum non loqui de ſubſtantia Incarnationis, ſed de eius circunſtantijs ac fructibus ſeu effectibus, quorum notitiam ſolùm temporis decurſu ſunt adepti per ſpecialem reuelationem ipſis à Deo factam.

1. ad Tim 3.

De modo quo Angeli Incarnationis myſterium cognouerũt.

Dum igitur aliqui reperiuntur Patres negantes Angelos cognouiſſe Incarnationem, debent intelligi de facto non nouiſſe quoad omnes circunſtantias. Et dum alij affirmant, loquuntur de ſubſtantia myſterij. Et dum alij Patres expreſsè dicunt Angelos cognouiſſe ſubſtantiam Incarnationis, non tamen ab initio, loquuntur per experientiam, nam illam non habuerunt Angeli donec actu Chriſtus fuit. Et certum eſt ſecundùm omnes, Angelos ante Chriſti exiſtentiam eum cognouiſſe. Et ſic illi Patres ſolùm negant Angelis ſcientiam experimentalem.

Obijcies ſecundò nonnulla Scripturæ loca, in quibus ex quorundam Patrum interpretatione, introducuntur Angeli quaſi dubitantes, ac ex conſequenti aliquid circa iſtud myſterium interrogantes, vt apud Eſaïam: *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* Quæ interrogatio ſecundùm S. Ambroſium fuit Angelorum inferiorum ad ſuperiores ignorantium myſterium Chriſti, vel fuit omnium Angelorum ad ipſum Chriſtum, vt ſentiunt SS. Hieronymus, Dionyſius, Cyrillus, &c. Reſpondeo cum Cyrillo illam Angelorum interrogationem non fieri ex ignorantia, ſed ex admiratione, & exultatione. Et ita etiam docet S. Auguſtinus, explicans illud Pſalmi 23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et idem habet alibi; alij addunt has interrogationes ſignificare nouam quandam notitiam, circa ſpeciales aliquas circunſtantias Incarnationis, aut gloriæ ipſius Chriſti cælum conſcendentis. His itaque modis ſunt intelligendi Patres, quando in oppoſitum præfatæ aſſertionis citantur.

Eſa. 63.

Lib. 4. de Fide.

SS. Hieron. Dionyſ. Cyrill. &c.

Serm. 138. de tempore.

Serm. 5. de Aſcenſ Domini.

SECTIO X.

Vtrùm Angeli in verbo cognouerint diem Iudicij.

HÆc quæſtio paſſim à Doctoribus proponitur, ex eo quòd Chriſtus apud S. Matthæum de die iudicij ſermonem inſtituens ait, *De die illa autem & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, ſed ſolus Pater.* Et apud S. Marcum, *De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater.* Docent itaque Doctores quod cùm beati in verbo cognoſcant myſteria fidei, vt ſuprà probatum eſt, & dies iudicij inter illa myſteria annumerari debeat, dicendum eſt Angelos illum diem in verbo cognoſcere ſaltem in generali: Nam quod Prophetæ per reuelationem nouerunt, non ignorant Angeli in cælo, non tamen cognoſcunt diem determinatum. Sic S. Thomas, Argentina, Abulenſis, Scotus, Suares: & eo modo ſunt præfata Chriſti verba intelligenda. Hæc autem cognitio non reſtringitur ad ſolos Angelos ſuperiores, vt vult S. Bonauentura, quia cùm ſit eadem ratio ſuperiorum & inferiorum, & quilibet gradus beatitudinis ſufficiat vt hic dies videatur, certum eſt inferiores quoque Angelos illum videre, non tamen determinatum, vti dictum eſt, non enim ipſi Angeli in verbo cognoſcunt omnia futura.

Math. 24. Marc. 13.

Angeli cognoſcunt diē iudicij ſaltem in generali.

Suar. lib. 6. cap. 5.

in 4. diſt. 48. q. 3. art. 1.

Deindè dies ille paſſim & conformiter ad ſcripturam Sacram, & Sanctos Patres dicitur occultus: ſi autem ab Angelis determinatè cognoſceretur, iam dici non poſſet occultus, illud enim occultum non eſt, quòd à pluribus ſcitur.

Obijcies primò, ad ſtatum Angelorum ſpectat cognoſcere quantùm ſua miniſteria erga homines & res alias durabunt; at certum eſt vſque ad illum iudicij diem durare debere, id enim ſatis omnibus ex ſcriptura & Sanctis Patribus innoteſcit: Ergo etiam determinatè illum cognoſcere poſſunt. Reſpondent nonnulli ſufficere ſcire quòd tale miniſterium finietur, abſque eo quòd ſciant determinatè qua die & hora finem accipiet.

Obijcies ſecundò S. Auguſtinum in Enchiridio dicentem Sanctos Angelos ſcire numerum prædeſtinatorum; ſed hoc myſterium eſt magis occultum quàm dies iudicij: Ergo ſi de illo ſunt edocti, ita de iſto. Reſpondeo optimè ſcire poſſe in verbo & per reuelationem numerum prædeſtinatorum, non tamen diem iudicij; nec ignorantia talis dici prouenit ex myſterio magis occulto, quia Trinitas,

Cap. 56.

Angelis quomodo per reuelationem numerus prædeſtinatorum innoteſcat.

Euchariſtia, & nonnulla alia myſteria ſunt magis occulta, & nihilominus cognoſcuntur à Beatis; ſed quia ex ſancta Scriptura locis citatis, ſatis colligimus ipſum iudicij diem non cognoſci.

Obijcies tertiò, Angeli vident diem iudicij in generali: Ergo etiam in ſpeciali eundem videre poſſunt. Patet, cùm illa viſio ſit intuitiua. Reſpondeo quòd ad viſionem intuitiuam ſufficit quòd cognoſcantur prędicata eſſentialia & indiuidualia illius diei, vt exiſtentia & pręſentia in verbo; non tamen requiritur, vt cognoſcatur diſtantia quæ inter hunc diem, & illum intercedit.

Sed mirùm quod ipſe Chriſtus ſe ab illa cognitione excipere videtur, per hęc verba *neque filius*, & nihilominus docent omnes SS. Patres & Doctores ab initio ſuæ conceptionis ipſum fuiſſe plenum ſapientiâ & gratiâ, nec in neutra creſcere potuiſſe, iuxta ea quæ habet Sanctus Ioannes in ſuo Euangelio, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Dicunt ergo SS. Patres Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, nec-non Origines, Beda, & alij nonnulli quòd ipſe Chriſtus Dei filius illum diem iudicij & conſummationis ſæculi bene ſciebat, & determinatè, cùm eſſet conſtitutus mundi iudex, vt pręclarè aiebat S. Petrus in Actis, *Ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum & mortuorum:* Sed tamen non ſciebat illum diem, vt hominibus reuelare poſſet; ſiue illud reuelare non habebat in mandatis à Patre, tanquam publicus ad nos Legatus; ſicut ſi Legatus alicuius Regis rogetur vt ſecreta Domini ſui reuelet, verè reſpondere poteſt ſe ea neſcire, etiamſi illa ſciat, quia illa neſcit vt Legatus; nam tanquam Legatus illa ſolùm refert quæ illi à Rege dicenda commiſſa ſunt, ei enim iuſſit Rex vt eius ſecreta taceret, & nulli vnquam reuelaret. Addit Chriſtus, *ſed ſolus Pater*, qui ab æterno in mente ſua tempus, videlicet annum, menſem, diem, & horam huius diei ſtatuit & decreuit, illudque apud ſe ſecretum ſeruat. Porrò per dictionem *ſolus*, non excluditur Filius, nec Spiritus Sanctus, nam & ipſi ſciunt diem & horam iudicij æquè ac Pater, cùm tres illæ perſonæ ſint eiuſdem eſſentiæ & naturæ, & eadem tribus ſit maieſtas, voluntas, mens, poteſtas, intellectus & ſcientia: Regula enim Theologorum eſt quòd eadem dictio *ſolus* ſi addatur attributis eſſentialibus Dei, quale eſt ſcientia, tribuaturque vni perſonæ diuinæ, non excludat reliquas duas, ſed tantùm creaturas quæ alterius ſunt eſſentiæ & naturæ: at in attributis notionalibus eadem dictio *ſolus* excludit alias perſonas diuinas, vt cùm dicitur, ſolus Pater generat, ſolus Filius generatur, &c.

Ioan. 1.

Chriſtus iudicij diem ſciebat, & quomodo.

Actor. 10.

Iudicij diem quomodo ſolus Pater ſcire dicatur.

SECTIO XI.

Vtrùm in Angelis detur cognitio matutina, & veſpertina.

RESPONSIO eſt affirmatiua. Et hæc duplex cognitio nobis tradita fuit à Sancto Auguſtino pluribus in locis, & præſertim in libris de Ciuitate Dei, & ſuper Geneſim ad litteram, quia exiſtimat per ſex dies, quibus conditus eſt mundus non intelligi ſex dies propriè dictos, veros, & in temporis ſucceſſione conſiſtentes, ita vt dies temporalis alteri diei etiam temporali ſuccederet, ſed tantùm analogicos & ſimilitudinarios: & nihil eſſe aliud quàm ipſam notitiam & cognitionem Angelicam, quatenus illa terminatur ad ſex rerum genera, quæ ſex diebus dicuntur eſſe creata: ita vt cognitio illa quatenus terminata eſt ad res quas Moyſes in Geneſi narrat primo die creatas fuiſſe, dicatur primus dies, & eadem cognitio quatenus fuit earum rerum quæ ſecundo die narrantur creatæ, dicatur ſecundus dies, & ita deinceps. Porrò quia vnuſquiſque dies iuxtà eandem Moyſis narrationem habet, *manè & veſperè*, ideò Sanctus Auguſtinus in citatis locis diſtinguit cognitionem Angelicam, in matutinam & veſpertinam. Matutina eſt cognitio rerum vel creaturarum, provt ſunt & relucent in Verbo ſeu in Deo, à quo ſumpſerunt exordium: Veſpertina eſt earundem cognitio in proprio genere, ſeu ſecundùm quod ſunt in ſeipſis & in propria natura. Prior dicitur matutina, quia ſicut in die conſueto mane eſt principium diei, ita hęc cognitio eſt primordialis eſſe rerum: poſterior verò dicitur veſpertina, quia ſicut veſpere eſt terminus diei, ita hæc cognitio eſt terminus eſſe rei quod in propria natura habet; vel ſicut veſpertino tempore incipit tenebreſcere, ita hæc cognitio veſpertina comparatione factâ ad matutinam poteſt dici obſcura, & quaſi quibuſdam tenebris inuoluta.

Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 10. & 19. & lib. 4. ſuper Gen. ad litt. c. 22. & 31.

In Angelis eſt cognitio matutina & veſpertina, & quænam ſint.

Vtraque autem cognitio duplex eſt, videlicet naturalis, & ſupernaturalis. Cognitio matutina naturalis eſt ea quâ cognoſcit Angelus naturaliter eſſe diuinum, quod eſt primordiale rerum, idque per ſuam ſubſtantiam ſine ſpecie ſuperaddita. Supernaturalis verò eſt cognitio beatifica, quâ Angelus ſupernaturaliter & per lumen gloriæ abſque vlla ſpecie intermedia, clarè & diſtinctè illud eſſe diuinum cognoſcit. Cognitio veſpertina naturalis eſt illa quâ

Vtraque cognitio matutina, ſcilicet & veſpertina eſt duplex.

Angelus per ſpecies ſiue infuſas, ſiue à rebus acquiſitas cognoſcit naturaliter eſſe rerum in ſeipſis, hoc eſt in proprio genere ſeu in propria natura: ſupernaturalis verò eſt cognitio beatifica, quâ cognoſcit ipſe Angelus eſſe rerum in ſeipſis per viſionem diuinæ eſſentiæ, quæ vice ſpeciei intelligibilis repræſentat illi res omnes creatas, ſicut & alijs beatis.

Idem autem S. Auguſtinus duobus exemplis oſtendit, aliter creaturas videri in Deo, aliter in ſeipſis. *Lib. cit. de Ciuit. Dei c. 23.* Primum eſt de rectitudine lineæ, quæ aliter ſcitur, cùm intellectu conſpicitur, aliter, cùm in puluere ſcribitur; nam in intellectu eſt vndequaque perfecta, in puluere autem non eſt ſine aliquo defectu:. Sic ergo creaturæ quatenus cognitione matutina in Verbo diuino ſeu in Deo, ſecundùm eſſe eminens vel diuinum videntur & cognoſcuntur, ſunt perfectæ & incorruptibiles, quatenus verò cognoſcuntur cognitione veſpertina in proprio ſuo genere vel natura, imperfectæ ſunt & corruptioni obnoxiæ. Aliud exemplum eſt de Iuſtitia, quæ aliter deſcribitur in Deo qui veritas eſt incommutabilis, aliter in anima iuſti: illa enim quæ eſt in Deo, eſt ipſemet Deus incommutabilis; in ſeipſa verò poteſt deficere, & vitiis ac imperfectionibus quibuſdam corrumpi. *Iuſtitia non in Deo, ſed in creatura poteſt deficere.* Ita creaturæ vt cognitione matutinâ cognoſcuntur & videntur prout ſunt vel relucent in Deo qui eſt incommutabilis veritas, habent quoque eſſe incommutabile, & ſunt vita, iuxtà illud Sancti Ioannis in ſuo Euangelio, *Ioan. 1.* *Quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Proindeque ob ſuum perfectius eſſe quod in eo habent quàm in ſeipſis, meliùs etiam & perfectiùs videntur & cognoſcuntur: quatenùs autem cognitione veſpertina in ſeipſis ſeu in propriò genere vel propria naturâ cognoſcuntur, poſſunt deficere, & multis imperfectionibus ſcatent, & ideò obſcuriùs & imperfectiùs videntur quàm in Deo. *Creaturæ perfectius eſſe in Deo habēt, & ideo perfectiùs videntur quàm in ſeipſis.* Et ob hanc rationem idem Sanctus Auguſtinus docet per ſolam cognitionem matutinam non potuiſſe diſtingui creatorem à creatura, & ideò neceſſariam fuiſſe cognitionem veſpertinam, vt per illam creatura cognoſceretur ſecundùm propriam rationem formalem, quæ per matutinam erat cognita ſecundùm eſſe eminens quod habet in Deo. *Lib. 4. de Gen. ad litt. c. 32.*

His duabus cognitionibus aliqui ex Sancto Auguſtino addunt diurnam ſeu meridianam, ſic dictam ob fulgoris & ardoris ſui excellentiam, & illam dicunt eſſe ſupernaturalem cognitionem verbi per lumen beatificum: ſed Sanctus Auguſtinus pro eodem vſurpat cognitionem illam diurnam, ſeu meridianam & ſupernaturalem, ac matutinam. *Aug. lib. 83. qq. qu. 26.*

Aduerte autem non omnes Angelos habuiſſe cognitionem matutinam

matutinam & veſpertinam ſupernaturalem, mali ſiquidem nunquam fuerunt ſupernaturaliter beati; cognitionem autem matutinam & veſpertinam naturalem omnes communem habuerunt, dum eſſent in via, omnes ſiquidem initio cum vtraque cognitione creati fuerunt.

Angeli omnes in via cognitionem matutinam naturalem habuerunt.

SECTIO XII.

Quàm ingens ſit Angelorum ſcientia, & quàm exigua illius comparatione ſit noſtra.

EX ſupradictis facilè colligere eſt, quàm eximia ſapientia & ſcientia mirificè valeant Angeli, vt ex S. etiam Sophronio habemus, qui eos vocat cognitionis fontes & ſcaturigines; & illorum comparatione quàm valdè exigua ſit noſtra, vt ait Maſſutius. Nam ſi bene conſiderauerimus, vix vnius formicæ naturam & proprietates agnoſcere poſſumus, ſicut propoſitis de illa pluribus inſolubilibus quæſtionibus S. Baſilius manifeſtè conuincit; & ideò dixit Eccleſiaſtes: *Cuncta res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone.* Et quidem hæc ipſa etiam quæ nos ſcire arbitramur, parùm profundè, imperfectè, & quaſi tantùm in cortice, vel ſuperficie percipimus, nec non cum magna ingenij tarditate & diuturno labore, ac non modica moleſtia modicum illud imperfectæ noſtræ ſcientiæ aſſequimur. Hinc quidam ex Ethnicis ſapientibus doctiſſimum librum ſuum longâ rerum experientiâ & obſeruatione conſcriptum his verbis exorditur: *Vita breuis, ars longa, tempus preceps, experimentum fallax.* Et alius tunc ſe vitam relinquere dicebat in extrema ſenectute, cùm diſcere, & vitam homine dignam agere incepiſſet. Et alius item ſapiens veriſſimè dixit maximam partem eorum quæ ſcimus, nõ æquare minimam eorum quæ neſcimus, eòque maiorem eſſe inſcitiam noſtram, quòd ex his quæ ignoramus, multa neſcimus nos ignorare, multa etiam ignorata optimè ſcire nobis falsò perſuademus. Angelicus verò intellectus ſummâ facilitate, mirâ celeritate ac incredibili perſpicacitate & fœlicitate, ſcientiam ferè omnium rerum exiſtentium, præſertim naturalium, omni cum plenitudine ſtatim adipiſcitur, omnes artes & diſciplinas ſimplici intuitu obtinet, & quæ tot Philoſophi multis laboribus non ſunt aſſecuti, ille ſine labore aſſequitur; & ideò nomine intelligentiæ à Philoſophis donatur, nihil enim eſt in mun-

Scientia noſtra eſt valde exigua, ſi cum ſcientia Angelorum cõparetur.

De Cæleſti conuerſ. lib. 8. cap. 4.

Epiſtola 168. ad Eunom.

Eccleſ. cap. 1.

Hipoc. aphor. 1.

do cum materia coniunctum, vel ab ea ſeparatum, incorruptibile, aut caducum, tempore finitum aut ſempiternum, quod non intimè, diſtinctè, ac ſecundùm omnem ſui partem abſque vllis phantaſmatibus intelligat, vel intelligere valeat. Nouit autem non tantùm in genere, vel in ſpecie rerum naturas, proprietates, virtutes, ſed etiam ſecundùm omnia indiuidua & ſingularia, ſi eis attendere velit: neque ſolùm ſenſibilia & corporea, ſed etiam inſenſibilia & ſpiritualia; exceptis futuris liberè contingentibus, & occultis noſtri cordis cogitationibus & affectionibus, quæ ad ipſos liberâ voluntate non diriguntur, vt ſuprà expoſitum eſt præſenti capite, ſect. 8.

Præterea nullius rei ſpiritualis propriam ſpeciem in hac vita nos obtinemus, ſed rerum quarundam tantummodò corporalium, non omnium, neque multarum, ſed earum ſolùm quas experientiâ ſenſuum acquirimus, nec tam de ipſa ſubſtantia, quamuis materiali & corporea, quàm de quibuſdam illius magis ſenſibilibus accidentibus. Quapropter cogimur per alienam & impropriam ſpeciem ſpiritualia quæcumque perueſtigare, etiamſi ipſa quantum ex ſe magis intelligibilia ſint, quàm corporalia: vt propterea ſapienter dixerit Ariſtoteles loquens de difficultate quam experimur in rebus ſpiritualibus atque immaterialibus contemplandis: *Fortaſſis cauſa eius non rebus ipſis, ſed nobis ineſt: quemadmodum enim Veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & intellectus animæ noſtra ad ea quæ manifeſtiſſima omnium ſunt.* Hæc ille. Vnde fit vt nos in hac vita intuitiuam ſcientiam habere non ſoleamus, niſi de rebus corporalibus ſecundùm accidentia viſibilia, quandiu ante oculos obſeruantur: De ſpiritualibus autem, vel procul abſentibus, vel etiam præſentiſſimis nonniſi quandam imperfectam notitiam abſtractiuam: De ſupernaturalibus verò tantùm ſubobſcuram fidem. De his tamen communiter Angeli ſcientiam habent intuitiuam, & de pleriſque etiam comprehenſiuam, eamque per propriam ſpeciem, aut medio nobiliori per ſuam videlicet ipſiuſmet Angeli ſubſtantiam, quæ tanquam lumen clariſſimum intellectui Angelico ſibi inhærenti perfectè applicatum, ſeipsâ ſine alia ſpecie primùm innoteſcit; Deinde tanquam in nitidiſſimo ſpeculo diuinas Creatoris reflectit ac repræſentat perfectiones. Iuxta id quod legimus in libro Sapientiæ, *à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Sicut ſi ſpeculum eſſet animatum, & ſemetipſum poſſet intueri, ante omnia ſe videret, ſimulque ſuum in ſe ſibi repræſentaret opificem, cum videlicet per quem eſt, & cuius manibus ſuſtentatur. Idem quoque anima noſtra exhibere proprio intellectui per ſe deberet, cùm in ea imago & ſimilitudo

Ariſt. 2. metaph. textu 1.

cap. 13.

reluceat ſui conditoris, non quidem adeò perfectè, ſicut in Angelica ſubſtantia homine ſuperiori, multò tamen perfectiùs, quàm in alia quacumque corporea mundi creatura homine inferiori, in qua Dei perfectiones non tanquam in imagine, ſed vt in veſtigio diſcernuntur, vt bene notant SS. Auguſtinus [a] & Thomas [b], ſed tamen quandiu mortali corpori noſter animus alligatur, ſicut ab eo quantum ad compoſitum pendet ineſſe, ita etiam inoperari per conuerſionem ad materialia phantaſmata, vt inter iſta veluti nubila & imagines caliginoſas, ſicut appellat S. Auguſtinus, aliquos excipiat, & non aliter radios veritatis.

a *Lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 12.*
b *1. p. q. 93. art. 2. & 6.*
Lib. 8. de Trinit. c. 2.

Denique non indigent Angeli pro vſu & exercitatione ſcientiæ tam abſolutæ ac perfectæ, ſicut nos indigemus, replicata compoſitione conceptuum, ratiocinationum ambage, longoue diſcurſu; ſed ſimplici primæ operationis intuitu, quemadmodum nos prima principia, ſic ipſi plurima quæ inde ſequuntur, videndo quâ ratione inferantur, non tamen expectatâ ratiocinatione, vel diſcurſu temporaneo, vnico eoque celeri motu mentis perfectiſſimè aſſequuntur.

CAP. III.

De Locutione, & illuminatione Angelorum.

QVONIAM Angelorum cognitio quandam habet affinitatem & proportionem cum eorum locutione; cùm loqui nihil aliud ſit quàm alteri ſuum mentis conceptum aut affectum aperire & declarare, quocumque modo id fiat: Ideò poſtquam de ipſa multiplici Angelorum cognitione dictum eſt, poſtulat ordo vt etiam nonnihil de ipſa Angelorum locutione dicamus, & poſtmodum de eorundem illuminatione.

SECTIO I.

Quomodo Angeli cum Deo, & Deus cum ipſis, cum hominibus, & inter ſe loquantur.

SI rectè Scripturas perpendamus, clarè percipiemus Angelos non ſolùm inter ſe loqui, verùm etiam cum Deo, ſicut Deus cum ipſis, atque cum hominibus, & inter ſe. Cum Deo quidem,

Angeli cum Deo loquuntur. 1.p.q.107.art. 5. *Zachar.* 1.

vt docet S. Thomas, & probatur apud Zachariam, vbi legimus Angelum Deo reſpondiſſe & dixiſſe: *Domine Deus exercituum vſquequo non miſereberis Hieruſalem, &c.* Tum aperta eſt ratio, nam nulli dubium eſſe poteſt, quin Angeli ſeſe coram Deo effundant, & conceptus ſuos proprios, & vt ita dicam, ſuas cogitationes & deſideria ad ipſum dirigant, licèt tamen illa ipſi Deo iam ab æterno ſint manifeſta, nihil etenim rerum omnium eum latet, cùm ex

Hebr. 4.

Apoſtolo: *Omnia ſint nuda & aperta oculis eius.* At verò coram Deo ſuos conceptus aut deſideria effundere, ad eumque illa ordinare, & ei offerre vel obijcere nihil aliud eſt quàm loqui.

Lib. 16 *de Ciuit. Dei c.* 4. *Gen* 11. Deus Angelis loquitur, & quomodo.

Deus etiam cum ipſis aut ipſis loquitur, ſicut bene notat S. Auguſtinus, dum ait Deum Angelis dixiſſe hæc verba Geneſis. *Venite igitur, deſcendamus & confundamus linguam eorum.* Non ſic loquitur Angelis Deus (inquit) quomodo nos inuicem loquimur nobis, vel Deo, vel Angelis, vel ipſi Angeli nobis, ſed ineffabili ſuo modo; Dei quippe ante ſuum factum locutio, ipſius ſui facti eſt immutabilis ratio, quæ non habet ſonum ſtrepentem atque tranſeuntem, ſed vim ſempiternè manentem, & temporaliter operantem.

2.*Moral. cap.* 5.

Hæc Auguſt. & S. Gregorius, loquitur (inquit) Deus ad Angelos ſanctos, eo ipſo quo eorum cordibus occulta ſua inuiſibilia oſtendit, vt quidquid agere debeant, in ipſa contemplatione veritatis legant, &c. Et ſic locutio Dei ad Angelos non eſt ſimplex narratio, ſed potiùs inſtructio, ſeu illuminatio & manifeſtatio ſuæ voluntatis.

Angeli cum hominibus loquuntur, & quomodo.

Cum hominibus dicuntur loqui vel per voces externas humanis perſimiles, quas efficiunt interdum in corporibus aſſumptis, aut etiam quandoque non aſſumptis: vel certè per viſiones imaginarias & phantaſiæ immutationem, ac reliquorum ſenſuum internorum. Quo pacto Angelus Domini in ſomnis apparuit Ioſeph & alijs de quibus Scriptura, in qua multa etiam prioris externæque locutionis exempla inueniri poſſunt.

Angeli cum Ethnicis quãdoque loquuti ſunt, & potiſſimùm Dæmones.

Cum hominibus etiam Ethnicis quandoque loquuti ſunt, potiſſimùm verò Dæmones, vt idipſum Platonici teſtantur, apud quos frequens eſt ſermo de Genij Socratis cum ipſo Socrate ſermocinatione ac colloquio, qui quidem Socratis Genius (vt plures aiunt) malus erat.

Angel inter ſe loquuntur. & quomodo. *Zach.* 2.

Inter ſe quoque loqui dicuntur, hoc eſt, poſſunt ſibi inuicem cogitationes & deſideria ſua manifeſtare, & ita docent omnes Theologi. Probatur ex ſcriptura, primò apud Zachariam, *Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus egrediebatur in occurſum eius, & dixit*, &c. Et in Apocalypſi, vnus Angelus clamauit ad quatuor

Apoc. 7.

Angelos dicens, *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus*, &c. Item Daniel & Michæas Angelos inter ſe loquentes viderunt, vt in ſuis Prophetiis paſſim narratur. Et in Epiſtola 1. ad Corinthios: *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. Ibi Gloſſa dicit, quòd Angeli ſuperiores ſignificant inferioribus quod Dei voluntate ſentiunt manifeſtandum. Et Theodorus, Oecumenius, & Anſelmus in prędictum Apoſtoli locum fatentur Angelos inter ſe loqui & ſecreta ſui cordis ſibi mutuò manifeſtare: Non quòd illis corporea lingua effingatur, ſed ſolùm ſpiritualis aut mentalis, cùm ipſi ſpirituales ſint. Et non ſolùm ex aliis Patribus, ſed etiam ratione id confirmatur: nam ſi Angeli ſibi mutuò non loquerentur, nulla inter eos eſſet ſocietas, nec eſſe poſſet, hęc enim communicatione comparatur, & ſine illa conſtare nequit. Sed difficultas ſolùm eſt de modo quo Angeli ſibi mutuò loquuntur. Exiſtimant aliqui illam locutionem fieri per nutus quoſdam, ſignaque ſpiritualia quæ ille qui loquitur, vel à natura accepit, vel ipſe inuenit ad exprimendos ſuos conceptus in intellectu audientis, quaſi eo modo quo nos vocem adhibemus; ſi enim ſic noſtros manifeſtemus conceptus, quod non exiguam dicit perfectionem, profectò non debebit hęc perfectio Angelis denegari. Alij docent, Angeli locutionem eſſe verbum mentis, vel aliquem conceptum ſeu intellectionem ſecretum cordis exprimentem; ſed requiri, talem conceptum ad aliquem dirigi à quo vult Angelus loquens audiri vel intelligi: ſicut in verbo noſtro exteriori contingit; nam quamuis aliquis ita altâ voce loquatur, vt à multis audiatur, non tamen ſemper dicitur omnibus illis loqui, ſed ſolùm illis ad quos verba ſua peculiari quâdam ratione dirigit, eſt enim locutio, manifeſtatio ſecreti, gratiâ manifeſtandi illud. Et hęc ſententia probabilis eſt, & parùm diſtans à Scoti ſententia; docet enim, & eius diſcipuli vnum Angelum alteri loqui, imprimendo in eius intellectu intellectionem eiuſdem obiecti quod ipſe cognoſcit, vel eius ſpeciem; cùm enim aliàs dixerimus Angelum poſſe accipere ſpecies à rebus ſingularibus, & quotidie proficere in noua cognitione intuitiua de rebus ſingularibus & contingentibus, certum eſt Angelum ita loquentem, abſtrahere ſpeciem ab obiecto de quo loquitur; quod quidem obiectum, audiens non cognoſcebat, tunc enim eiuſmodi obiectum concurrit partialiter cùm intellectu agente ipſius loquentis ad producendam talem ſpeciem, & ita talis productio ſpeciei dependet à voluntate Angeli loquentis applicante intellectum ad producendam ſpeciem, & illam conferendam cui vult. Hanc autem intellectionem vel ſpeciem ſic ab vno Angelo ex eius voluntate intellectui alterius impreſſam,

1. Cor. 13. Gloſſa.

Theodorus Occumeni⁹, Anſelmus, in Ep ad Cor.

In 2. diſt. 9. q. 2.

Scotus vocat locutionem, quatenùs eſt effectus Angeli imprimentis illam: appellat autem auditionem, comparatam cum Angelo qui illam recipit. Angelus ergo loquens ſe habet actiuè, nam conſtitutus eſt in actu primo ad producendam intellectionem, & illam in intellectu audientis imprimendam; Angelus verò audiens, & qui capax eſt talis intellectionis, ſe habet paſſiuè, quia talem intellectionem vel ſpeciem recipit.

Angelus immutari non poteſt paſſione corruptiua, ſed perfectiua.

Objicies primò, non poteſt vnus Angelus ab alio immutari per aliquam paſſionem, nam hoc eſſet imperfectionis in Angelo patiente. Reſpondeo Angelum immutari non-poſſe paſſione corruptiuâ, bene autem paſſione perfectiuâ, inquantùm audiens & recipiens illam, magis perficitur, cognoſcitque Angelum loquentem, & qui talem intellectionem ſibi imprimit. Hoc etiam confirmat Sanctus Thomas, vbi concedit quòd ſicut ſignum ſenſibile excitat noſtrum auditum, ita per aliquam virtutem intelligibilem poteſt excitari mens Angeli ad audiendum, quæ excitatio non eſt ſine paſſione, nam qui excitat, agit; & excitatus patitur, quia hæc excitatio eſt actio in loquente, & paſſio in audiente.

1. p. qu. 107. art. 1. ad 3.

Angelus animæ ſeparatæ loqui poteſt, ſed non ſic corpori immerſæ, & cur.

Objicies ſecundò, ſi ita Angelus alteri loqui poſſit, etiam hoc modo animæ noſtræ loqui poterit. Reſpondeo de facto ita eſſe ſi ſit ſeparata, non verò ſi ſit corpori immerſa, cùm, vt ſic, ſequatur ordinem communem intelligendi, qui à phantaſmatibus incipit, nihil enim eſt in intellectu quin priùs fuerit in ſenſu.

Objicies tertiò, ſi Angelus loquens cauſat in audiente actum quo audit, fruſtrà ſimul cauſat ſpeciem obiecti. Reſpondeo non eſſe fruſtrà, nam tranſacto actu poterit audiens ſi habeat ſpeciem, elicere actum quo etiam percipiat obiectum, de quo Angelus loquutus eſt.

SECTIO II.

An poſſit vnus Angelus loqui cum altero in quacumque diſtantia.

S. Bonauent. 2. Sent. diſt. 9. art. 3. qu. 1.

SANCTVS Bonauentura, Richardus, Gabriel Maior, & alij dicunt Angelos ad loquendum requirere determinatam diſtantiam, quia diſtantia nimia impedit locutionem. Pro hac ſententia referuntur Suares & Vaſques, quorum poſtremus dicit hanc eſſe ſententiam Scoti, ſed falſum eſt, quia in ſcripto Oxonienſi corre-

ctio non habetur, ſed aliquos recentiores decepit quædam additio in illo ſcripto facta: Ipſe enim Scotus [a] tenet diſtantiam localem non conferre ad Angelorum locutionem, & ita vnum Angelum bene ſic poſſe loqui Angelo diſtanti ac propinquo. Et eiuſdem ſententiæ ſunt Alexander [b] & Sanctus Thomas [c] quorum ratio eſt, quia locutio Angelica eſt ſpiritualis, ſpirituale autem abſtrahit à loco, & tempore, quia iſta ſunt corporalia, & ideò localis diſtantia nihil operatur in iſta locutione, ſicut nec etiam temporis diuerſitas.

Angelus poteſt alteri Angelo loqui, quamquam valdè diſtanti, & quomodo.

a in 2. diſt. 9. q. 2. & in reportatis diſt. 9. q. 2.
b 1. p. qu. 27. membro 7.
c 1 p. q. 107.

Ratio autem Scoti hæc eſt, medium quod intercedit inter Angelum loquentem, & alterum audientem, & longè diſtantem, eſt corporale; actio verò ſeu intellectio eſt ſpiritualis, quæ non fit medio corpore, nec in corpore recipitur: ergò diſtantia localis nihil impediet, illud enim medium eſt ac ſi non eſſet medium: Licèt ergo (aiunt Faber [a] & Tamarit à Tauaria, [b]) Angelus loquens non ſit pręſens alteri Angelo cui loquitur, ita quòd ſit contactus Mathematicus eſſentiarum, neque fiat iſta approximatio per aliquod medium Mathematicum videlicet per ſuperficies, vel aliquid ſuperficiebus correſpondens, eſt tamen illi immediatus & pręſens contactu virtutis, quia ſubſtantia Angeli loquentis mediante intellectu habet virtutem operandi & extendendi ſuam potentiam ad Angelum quantumcumque diſtantem diſtantia locali: hic ergo eſt contactus virtutis non corporalis nec Mathematicus, ſed vicem gerens medij Mathematici, nam diſtantia & medium corporale habent ſe tanquam indiſtantia & quaſi non medium.

a Lib 2. diſt. 9. diſp 37.
b Tract. 4. qu. 12 de Angel.

Notandum verò Angelum loquentem non poſſe diſtare in infinitum ab Angelo audiente, quia cùm Angelus ſemper debeat eſſe in loco determinato & finito, & impoſſibile ſit inter duo loca determinata & finita eſſe infinitum interuallum, bene ſequitur non poſſe Angelum aliquem ab altero in infinitum diſtare cùm terminis & extremis concludatur illud interuallum, non poteſt tamen ſignari quantum eſſe debeat magnum aut longum, vel diſtans illud interuallum aut ſpatium ad hoc vt aliquis Angelus audiat & perficiat, quæ illi alter Angelus loquitur: Solùm hîc dicunt nonnulli quòd ſicut conſpicimus ſtellas etiam in cælo exiſtentes, licèt longiſſimè à nobis diſtent, ita & Angeli etiamſi longiſſimè ab inuicem diſtent, ſeſe tamen mutuò videntes mutuos conceptus inuicem ſibi manifeſtare poſſunt, modò id fiat intra Spheram ſuæ virtutis & potentiæ, neque enim infinitæ ſunt virtutis, ſed ſuis limitibus concluſæ; ſicut vox humana auditur, ſed per ſpatia certa: Et ſic veriſimile eſt Luciferum, ſuum conceptum inſinuaſſe omni-

bus Angelis eoſque tentaſſe ſimul, & magnam partem in ſuum conſenſum pertraxiſſe. Quibus autem volunt, manifeſtant Angeli ſuorum cordium ſecreta, & quibus volunt abſcondunt & celant.

7. *Phyſic.*

Obijcies primò, agens & paſſum debent eſſe ſimul, ex Ariſtotele: ergo diſtantia & preſertim illa quæ excederet ſpheram actiuitatis Angelicæ obeſſet ad agendum. Reſpondet Scotus Angelum poſſe dici preſentem quoad contactum virtutis Angelo cui loquitur, vt dictum eſt, etiamſi ſit valdè diſtans. Deindè quod allegat Ariſtoteles, cenſetur verum loquendo de agente & paſſo corporeis; nam ex eo agentia corporea determinatam diſtantiam poſcunt ad agendum, quia cùm agant in medium priuſquam in diſtans, actio in medium paulatim minuitur, nam non ita fortiter agit in diſtans quàm in propinquum: at verò cùm locutio Angeli ſit actio ſpiritualis & non ſit in medio, non minuitur. Sicque non eſt par ratio de rebus corporeis ac de ſpiritualibus.

SECTIO III.

An vnus Angelus poſsit vni loqui, & non alteri, & poſsit loqui abſque eo quod ab alijs audiatur.

Vnus Angelus poteſt vni loqui, & non alteri.

PRIORI quæſito affirmatiuè reſpondemus: Nam cùm eius locutio ſit libera, poterit ſuum ſermonem ad vnum ſolùm dirigere, & non ad alios, & vni ſuum imprimere conceptum & non alijs, vt verbi gratia poterit Michaël imprimere ſpeciem vel actum intelligendi Gabrieli & non alijs, etiamſi alij audiant vel non audiant, nam hoc per accidens eſt ad locutionem, ſicut poſſet accidere, vt ſi Petrus cum Ioanne diſputaret coram multitudine, licèt cæteri aut ſaltem aliqui ex illa multitudine audirent, non tamen cum illis loqui diceretur, ſed ſolùm cum Ioanne.

Locutio Angelica quomodo fiat.

Quoad aliud quæſitum, nonnulli reſpondent locutionem fieri per ſigna, & omnes Angelos cognoſcere quid ſigna illa denotent, aut naturaliter, aut etiam ex libera Angelorum impoſitione: Ergo non poteſt vnus Angelus ſecretò alteri loqui, quin alij audiant ſi attendere velint. Alij cenſent illam locutionem conſiſtere in productione ſpeciei impreſſæ in audientem, & ideò vnum Angelum poſſe in intellectũ alterius Angeli producere ſpeciem, & ita illum audire abſq; eo quòd alij audiant, quia non habent ſpecies inditas quibus poſſint videre illam ſpeciem in audiente productam. Deinde quia cùm vnus

vnus Angelus aperiat ſecretum cordis ſui alteri Angelo, ad quem ſolùm voluntate ipſa dirigitur, ſequitur ita poſſe aperiri vni, vt cęteris maneat occultum,& ſic vni loquetur non audientibus alijs: nam loqui eſt explicare ſecretum cordis, audire autem eſt illud percipere, intelligere. At Scotus & ſui ſequaces cenſent quòd ſi Angeli ſuis viribus relinquerentur, non poſſet vnus alteri ſecretè loqui, quin omnes viderent talem actum vel ſpeciem productam in audientem, ſi attendant. Probat Scotus, quia talis actus & ſpecies ſunt entia realia exiſtentia & naturalia, ergo intelligibilia ab Angelo, qui omne intelligibile creatum poteſt intelligere, tamen de facto impediuntur à Deo alij Angeli quanquam præſentes, ne videant tales actus & ſpeciem; nam hoc ſpectat ad ſuauem Dei prouidentiam, vt ita Reſpublica Angelorum ad ſuum commodum ſit bene & ſuaviter ordinata, cùm tales actus & ſpecies pertineant ad ſecreta cordis, & proinde non concurrit Deus vt paſſim intelligantur. Non deſunt tamen aliqui etiam Scotiſtæ, qui aiunt vnum Angelum poſſe alteri loqui abſque eo quòd ab alijs audiatur etiam præſentibus, adhuc ſecundùm ordinem naturalem, etiamſi Deus illos non impediret, & dicunt id etiam Scotum ſupponere ſe de huiuſmodi aliàs dixiſſe. Sequatur Lector beneuolus quod ſibi veriſimilius videbitur.

Sed dubitatur an poſſit vnus Angelus pluribus loqui. Et reſpondent moderni quidam Theologi affirmatiuè. Nam ſicut obiectum viſibile ſimul actuat plures viſus per plures ſpecies; ita etiam poterit vnus Angelus producere plures ſpecies in alios, non tamen in infinitos, ſed in determinatos; nam cùm virtus productiua ſit finita & determinata, ita & eius terminus; neque eſt æqualis virtus in omnibus Angelis, ſed inæqualis iuxta cuiuſque perfectionem. Quæ ſententia doctrinæ Scoticæ conformis eſt, quâ quidem nouimus Angelum poſſe ſimul producere plures intellectiones plurium obiectorum, non tamen diſtinctas; Ergo ita poterit pluribus loqui ſimul de pluribus rebus licèt non diſtinctè, & poterit etiam de vna & eadem re pluribus loqui, producendo in illis plures actus, vel plures ſpecies. Et ita etiam ſentit Faber. *Angelus poteſt pluribus loqui, & quomodo.*

Obijcies, Vnum agens non poteſt ſimul producere plures effectus adæquatos, Ergo neque Angelus loquens plures actus vel ſpecies in plures audientes. Reſpondeo non poſſe vnum Angelum plures actus cauſare ſimul ita perfectos, ac ſi ſeorſim cauſaret. Addo quod vna intellectio non eſt effectus adæquatus intellectus intenſiuè & extenſiuè, & ita poterit vnus Angelus plures cauſare, non tamen infinitas. Propter quod Scotus docet non poſſe vnum *Diſp. 18.*

agens quoſcumque effectus cauſare ſimul.

In 2. diſt. 9. q. 2.
Angeli plures quomodo poſſunt ſimul vni loqui.

Sed hîc quæritur an plures Angeli poſſint ſimul loqui vni, cauſando cognitionem. Reſpondeo cum Licheto quòd ſi ſint cognitiones æquè intenſæ & eiuſdem obiecti, audiens vel nullam recipiet, vel ſolùm vnam quam Deus voluerit. Ratio Scoti eſt, quia plures intellectiones eiuſdem rationis nequeunt eſſe in eodem intellectu; ſi verò Angeli loquantur de diuerſis obiectis, poterit audiens omnes intellectiones percipere, ſed non diſtinctè omnes.

Angelus poteſt loqui alteri de obiecto iam ipſi audienti noto.

Quæri item poteſt, an Angelus poſſit alteri loqui de obiecto iam noto audienti. Reſpondeo cum Scoto ita eſſe, talis enim locutio non eſſet fruſtranea, & proinde concedenda, quia de facto eſſet auditio liberaliter conceſſa à loquente audienti, quod ſpectat ad communicationem politicam Angelorum, ſicut inter homines ſapientes eſt etiam locutio de rebus ab ipſis cognitis, ſolùm vt liberaliter communicent conceptus ſuos. Ruſus Angeli Deo loquuntur, & tamen Deus nihil de nouo cognoſcit.

Sed obijcies, Secundùm Scotum nequeunt eſſe duæ cognitiones eiuſdem rationis in eodem intellectu, quod contingeret ſi Angelus loquens produceret in audientem cognitionem obiecti quod audiens cognoſcebat; ergo hæc locutio non eſt concedenda. Reſpondeo primò, quòd poteſt contingere, vt audiens tunc actu non cognoſcat tale obiectum, quia diſtractus, & ſimul diſtinctè plura non poteſt cognoſcere. Reſpondeo ſecundò ex Scoto, quòd iſtæ duæ cognitiones ſunt diuerſæ rationis; nam auditio non eſt ita certa ac eſt viſio. Certius eſt enim mihi quod oculis video quàm quod aure percipio; & ita cùm ſint diuerſæ rationis, poſſunt ſimul eſſe in eodem intellectu. Deinde contingit pluries vt vna intellectio aut quælibet alia actio, ſit perfectior vel intenſior alterâ. Ex dictis conſtat inter Angelos eſſe reciprocam locutionem, vt ita inter illos ſit mutua communicatio: Nam ſicut ſuperiores illuminant inferiores, ita inferiores poſſunt interrogare ſuperiores, vt conſtat ex illa interrogatione in Pſalmis contenta, quam diximus eſſe inferiorum ad ſuperiores, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et petere etiam poſſunt ab ipſis ſuperioribus, vt ipſos doceant. De tali autem Angelorum illuminatione ſequenti ſectione dicendum venit.

Inter Angelos eſt reciproca locutio

Pſal. 23.

SECTIO IV.

Vtrùm vnus Angelus illuminet alium.

a *in 2. diſt. 9. q. 2.*
b *diſput 39.*

PRo huius quæſtionis ſolutione aduertendum ex Scoto,[a] & Fabro Fauentino,[b] illuminationem eſſe quandam locutionem

Angeli ad alium Angelum producendo & imprimendo aliquam notitiam in eius mente, ita quòd bene valet, eſt illuminatio, ergo locutio, non verò è contrà, nam non omnis qui alteri loquitur illum docet & illuminat: Illuminatio ergo (inquit Faber) eſt qua manifeſtatur & explicatur aliqua veritas perfectiua intellectus in actu ſecundo, vt ſunt res quæ videntur in Verbo; vel ſecreta à ſola Dei voluntate dependentia: vnde licèt cognitio rerum naturalium ſit perfectio in Angelo, ſi enim illâ careret, eſſet valde imperfectus, comparatione tamen factâ ad cognitionem earum rerum quæ ex illuminatione habentur, non dicitur perfectio propriè loquendo, quia eam naturaliter habere poteſt. Quò fit vt S. Thomas [c] doceat veritates naturales non eſſe materiam illuminationis. Ex quo clarè intelligitur S. Dionyſius, [d] qui ponit tres actus Angeli illuminantis reſpectu illuminati, videlicet purgationem, illuminationem & perfectionem, qui quidem actus ſolâ ratione inter ſe differunt, nam idem actus quatenus à neſcientia intellectus Angelicus liberatur, purgatio vocatur; illa ſiquidem neſcientia quæ per eum actum abigitur, quaſi labes quædam eſſe videtur, quamuis tamen culpa aut peccatum non ſit, cùm in illis ſupremis mentibus in gratia & gloria confirmatis culpa nulla reperiri poſſit: Idem etiam actus quatenus eo veritas occulta dignoſcitur & manifeſtatur, dicitur illuminatio; atque tandem prout ille idem actus perficit quodammodo intellectum illuminati, perfectio appellatur. Ex hoc colligit idem S. Dionyſius Deum in Eccleſia militante inſtituiſſe, vt ſacerdotalis ordo inferiores illuminaret: quod quidem illuminationis nomen deſumitur ex S. Paulo: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſeculo in Deo.*

Vnus Angelus alium illuminat, & de quibus.

[c] 1. p. q. 107. art. 3. ad 2.

[d] De cœleſti hier. cap 8.

Tres actus Angeli illuminantis reſpectu illuminati, quinam ſint.

Lib. de Eccleſia hierar. cap. 5.

Ad Epheſ. 3.

Sacerdotalis ordo alios illuminat.

His notatis ſit hæc aſſertio; Secundùm legem ordinariam, & à Deo ſtatutam Angeli inferiores illuminantur à ſuperioribus. Ita omnes Theologi cum Scoto loco citato. Probatur, quia Deus ex ſuaui ſua prouidentia diſtribuit illuminationes ſuarum veritatum, priùs ſuperioribus, & poſteà inferioribus, cùm illi iſtis ſint digniores. congruit ergo vt iuxta eandem prouidentiam talis ordo dignitatis quoad illuminationes ſeruetur in Angelis, vt ſuperiores virtute quâ pollent, inferiores illuminent, eiſque Dei voluntatem manifeſtent. Deinde verè ille illuminatur qui inſtruitur in his quæ anteà non nouit; at Angeli inferiores inſtruuntur à ſuperioribus circa ea quorum cognitionem anteà non habuerunt, vt auctor eſt S. Dionyſius. Cognoſcunt præterea Angeli inferiores multa myſteria gratiæ per reuelationem factam à ſuperioribus, vt docent plerique Pa-

Angeli ſuperiores illuminant inferiores.

Lib. cœl. hier. cap. 3. & 13.

Epheſ.3. tres in Epiſtolam ad Epheſios: Et videtur ex eo colligi, quòd ordo diuinæ prouidentiæ poſtulet, vt inferiora gubernentur per ſuperiora. Licèt autem Angeli inferiores illuminentur modo ſupradicto à ſuperioribus, nihil tamen repugnat quominùs inferiores extraordinariè, & de potentia Dei (inquit Scotus) illuminare poſſint ſuperiores, ſicut ordinariè eis loqui valent. Et ratio eſt, quia cùm Deus poſſit reuelare aliquid inferiori quod ignoretur à ſuperiore, poterit inferior ex Dei voluntate illud ſuperiori manifeſtare. Quod non negauit S. Thomas, & eius diſcipuli, cùm itaque docent Scolaſtici, inferiores tantùm à ſuperioribus illuminari, id intelligunt ſuâpte naturâ ſecluſâ gratiâ peculiari; quam gratiam Chriſto conceſſam crederem, ita vt anima eius illuminauerit Angelos ſupremos, quos ſuapte natura illuminare non poterat.

Angeli inferiores poſſunt extraordinariè illuminare ſuperiores, & quomodo.

1.p.q.106.art.3. & 4.

Quomodo autem fiat talis illuminatio, non omnes conueniunt: aliqui enim ſentiunt illam fieri per infuſionem alicuius luminis ſupernaturalis, vel alicuius ſpeciei impreſſæ menti Angeli qui illuminatur, vel per deriuationem cuiuſdam radij ſpiritualis ab Angelo ſuperiori illuminante, per quem Angelus inferior excitatur, & format in ſe ſimilitudinem per quam intelligit obiectum, de quo à ſuperiori inſtruitur, purgatur, & illuminatur.

Illuminatio Angelica quomodo fiat

Alij volunt conformiter ad doctrinam S. Thomæ, illuminationem conſiſtere in duobus: Primò, in eo quòd Angelus illuminans proponat ei quem illuminat obiectum proportionatum, & confortet atque corroboret eius intellectum, illi oſtendendo medium per quod præbiturus eſt aſſenſum; ſicut id ſeruatâ proportione in illuminatione corporali reperitur. Secundò, in eo quòd ſuperior Angelus, veritatem quam vnico ſimplici & communi conceptu diſtinctè cognoſcit, in ſingulares rationes diſtribuit, vt inferior capere poſſit, ſicut magiſter, quod vnico ex paucioribus conceptibus intelligit, pluribus verbis & conceptibus diſcipulis exponit.

1. p. q. 106. art. 1. & q. 111. art. 1.

Alij alia de eiuſmodi illuminatione docent: at à nobis eſt opinio Scoti potiùs ſuſtinenda, qui vult illuminationem fieri ſicut locutionem, cùm illuminatio ſit quædam locutio, & ſolùm ab inuicem diſtinguantur; primò, quod locutio ſit manifeſtatio cuiuſcumque rei, etiamſi magna & ardua non ſit; at illuminatio cùm perficiat intellectum audientis & illuminati, ſolùm ſit de rebus arduis & veritatibus reuelatis myſteriorum & futurorum quæ ex ſola Dei voluntate pendent, etiamſi naturalis ordinis ſint, vt quòd Deus ſit puniturus aliquem, vel aliquid huiuſmodi facturus. Sic notat cum Scoto Baſſolis, & communiter alij.

Loco cit.

Secundò, Differunt, quòd illuminans quando cauſat aliquid in

illuminato, non eſt neceſſe quòd cauſet aliquid in ſe, ſicut cauſat quando loquitur, nam Deus illuminat, & nihil cauſat in ſe, cauſat tamen aliquid in illuminato, ſcilicet notitiam rei & veritatis, de qua illuminat; Ita Angelus ſuperior, quando illuminat inferiorem, cauſat in eo actum, in ſe tamen nihil cauſat. Probabile etiam eſt ſecundùm Scotum quòd illuminans (præter Deum) in ſe etiam aliquid cauſat. Hæc doctrina eſt contra Alenſem, [a] S. Bonauenturam, [b] Ægidium & alios quos ſequitur Vaſques. [c] Qui docent Angelum ab alio illuminari per externam ſolùm propoſitionem, ſicut inter homines magiſter dicitur illuminare diſcipulum, abſque eo quod illi imprimat aliquid. Aduerſus hos itaque ſic arguimus: Talis illuminatio fit ad modum locutionis, vt dictum eſt ex Scoto; at locutio, vt ſuprà oſtendimus, non ſolùm fit externâ doctrinâ & propoſitione aliqua, ſed aliquid imprimendo intellectui audientis: ergo idem iudicandum de illuminatione; vnde S. Auguſtinus docet Angelum agere in mentem hominis, vt capiat lucem Dei, & per hanc intelligat; quòd ſi Angelus hominem illuminando in eius mentem agit vt veritatem imprimat, multò magis alium illuminando Angelum, eius intellectui aliquid imprimere poterit, & per conſequens, ſi eſt actio, immò & vitalis ex parte Angeli illuminantis, paſſio erit & receptio in Angelo illuminato recipiente lucem Dei, Angelo influente ſimul cum ipſo Deo. Idem docet S. Cyrillus Alexandrinus, *Rationalis* (inquit) *creatura omnis illuminata illuminat traditione, qua à mente ſua in mentem alterius doctrinam infundit.* Ex qua quidem doctrina tanti Patris colligimus, quòd ſicut magiſter in hominibus docendo diſcipulum, aliquid agit & cauſat in intellectum eius, quia mouet ſenſum eius externum per ſigna ſenſibilia, & tandem intellectum eius; ita nulli dubium eſt, quin ſi Angelus ad modum magiſtri, vt dictum eſt alterum illuminet, non poſſit quoque in eius intellectum operari, & in ipſo notitiam veritatis Dei imprimere. Et confirmatur, Nam Chriſtum Dominum dedit nobis Pater magiſtrum, & præceptorem, iuxta illud Eſaïæ; *Dedi te in lucem & præceptorem gentibus*: Et illud, *Vnus eſt enim magiſter veſter.* Et in Euangelio S. Ioannis. *Ego Dominus & Magiſter.* Et nihilominus nos illuminans Chriſtus aliquid imprimit menti; ergo ſi Angelus habeat rationem magiſtri, poteſt illuminando inferiorem menti illius aliquid imprimere; & per conſequens, illuminatio non ſolùm fit externâ doctrinâ & veritatis propoſitione, ſicut nec locutio.

Angelus illuminans an aliquid cauſet in ſe.

a 1 p. q. 38. memb. 3.
b In 2 diſt. 10. q 2. art. 2.
c 1. p. diſput. 216. cap. 1.

In Pſal. 118. conc. 18.

Lib. 1. in Ioan. cap. 9.

Eſaïæ 55.

Ioan. 13.

SECTIO V.

Reſoluuntur quædam dubia circa Angelorum illuminationes, & quo ordine fiant.

De quibus obiectis Angelus alium illuminat.

Lib 6. cap. 19.

QVÆDAM dubia occurrunt reſoluenda circa illuminationes Angelorum. Primò ergo quæritur de quibus Angelus ſuperior pòteſt illuminare inferiorem. Reſpondemus poſſe illum illuminare, vt iam ſuprà tactum eſt, de aliquibus obiectis quæ ſuperior cognoſcebat in verbo, & non erant nota inferiori. Et ita inſinuat Scotus, & tenet quoque Suares. Nam quæ videntur in verbo, vel videntur formaliter id eſt eâdem viſione quâ videtur verbum; vel videntur cauſaliter, hoc eſt ex ſpeciali reuelatione & per proprias ſpecies. Quocumque modo ſit, poterit optimè ſuperior producere aliquem actum vel ſpeciem de his in intellectu inferioris, & ita illum illuminare. Et ex his manifeſtè conſtat malos Angelos ſe inuicem non poſſe illuminare, ſed bene inter ſe loqui; in qua quidem locutione ſeipſos ſæpè decipiunt, illuminare enim eſt manifeſtare aliquam veritatem ad Deum ordinatam; illi autem nihil ad Deum ordinant, ſed ad explendam prauam ſuam voluntatem.

Dæmones non ſe inuicem illuminant, ſed bene inter ſe loquuntur

Maius dubium proponitur, vtrum ſuperior Angelus poſſit illuminare inferiorem de illis rebus quæ inferior videt in verbo. Suares docet Angelum non poſſe illuminari de his quæ in verbo videt formaliter. Probatur, quia illuminatio fit de rebus non cognitis: ergo de cognitis in verbo non fit illuminatio: de illis verò rebus quas videt in verbo cauſaliter, id eſt per proprias ſpecies, bene poſſe Angelum illuminari. Probatur, nam ſicut Deus illuminat Angelum per illas ſpecies, bene poterit Angelus ſuperior inferiorem illuminare producendo etiam ſpecies eiuſdem rationis, an hoc ſit videre in verbo, vel non, quæſtio eſt de nomine. Hic autem dicendi modus Scotiſtis non diſplicet, ſi cum Scoto dicamus quòd Angelus illuminans, loco ſpeciei producit actum in illuminato, & quòd ad illuminationem non requiritur abſolutè quòd ſit de obiecto ignoto.

Loco citato num. 13.

Sed quærit Scotus vtrum Angelus illuminans poſſit facere inferiorem videre aliquid in Verbo; & reſpondet poſſe, non quidem perfectè, ſed diſpoſitiuè. Probat primã partem, quia viſio verbi & rei in verbo eſt ſupernaturalis, quæ nequit cauſari à cauſa creata: ergo Angelus non poteſt cauſare viſionem rei in Verbo. Secunda pars

probatur, ſcilicet diſpoſitiuè. Angelus ſuperior cognoſcens aliquid in verbo poteſt cauſare cognitionem talis rei in inferiorem, qua recepta in inferiori, ipſe inferior conuertit ſe ad intellectum loquentis, & in eo videt aliquo modo perfectiùs talem rem de qua illi loquebatur ſuperior. Quòd ſi illud quod videt in intellectu loquentis ſicut in ſpeculo imperfecto, deſideret videre in ſpeculo perfecto, ſe conuertit ad Verbum, & illud in Verbo videt gaudens & perfectiſſimo modo, & tunc perfectè illuminatur à Verbo, imperfectè autem & diſpoſitiuè ab Angelo.

Quoad poſtremam huius ſectionis partem, videlicet de ordine quo inter Angelos illuminationes fiunt, aduertendum ex Viguerio, & multis alijs, primam Hierarchiam recipere illuminationes immediatè à Deo, & Angelos huius Hierarchiæ dici à Sancto Dionyſio collocari in veſtibulis Dei, quia ei proximè aſſiſtunt tanquam eius laudibus perpetuò intenti. Quo ordine fiunt illuminationes inter Angelos.

Secunda verò Hierarchia recipit illuminationes ſiue reuelationes diuinorum non immediatè à Deo, ſed ab Angelis primæ Hierarchiæ, quas illuminationes & reuelationes per intellectualem cognitionem, de quâ ſupra dictum eſt, effundunt in inferiores, hoc eſt veritatem quam illis reuelant ſuperiores, eis oſtendunt, & ſic illuminantur hi ſuperiores ſecundæ Hierarchiæ & alios inferiores illuminant. Et in his illuminationibus is ordo ſeruatur, quòd videlicet Angeli primi ordinis huius ſecundæ Hierarchiæ illuminantur à Seraphim, & illuminant Angelos primi ordinis tertiæ Hierarchiæ; & Angeli ſecundi ordinis à Cherubim, & illuminant Angelos ſecundi ordinis tertiæ Hierarchiæ, & Angeli tertij ordinis illuminantur à Thronis, & illuminant Angelos tertij ordinis tertiæ Hierarchiæ, & ſic ordines primæ Hierarchiæ correſpondent Angelis ſecundæ qui eis ſubordinantur, & ordines ſecundæ ordinibus tertiæ.

Tertia Hierarchia eſt inferiorum Angelorum qui illuminantur à ſuis ſuperioribus, & non illuminant alios Angelos, licet illuminent homines ad quos à Deo in hunc mundum mittuntur, per illuminationem & miniſterium ſuperiorum Angelorum. Vnde cùm dicit Apoſtolus, *Omnes Angelos in miniſterium mitti propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*: id non debet intelligi, quòd Angeli primæ & ſecundæ Hierarchiæ ad homines ſemper immediatè mittantur, ſed mediantibus Angelis ab eis illuminatis tertiæ Hierarchiæ, quorum vt ſuprà dictum eſt, aliqui miracula quæ hominum ſalutem reſpiciunt, operantur, vt Virtutes; alij maiora hominibus nuntiant, vt Archangeli; alij minora, vt Angeli; qui quidem poſtremi retinent nomen communiſſimum, & dicuntur Angeli; Angelus autem nun- Hebr. 1.

tium ſignificat, vt aliàs dictum eſt, & quia omnes cæleſtes ſpiritus ſunt manifeſtatores diuinorum arcanorum, ideò Angeli & nuntij dicuntur; ſed ſuperiores Angeli habent quandam eminentiam ſuprà communem manifeſtationem, à qua ſuperiores ordines ſpeciali nomine vocantur; Infimus autem Angelorum ordo, nullam excellentiam addit ſuprà communem manifeſtationem, & ideò à ſimplici manifeſtatione nominatur, & ſic commune nomen remanet infimo ordini, vt dicit Sanctus Dionyſius: vel poteſt dici infimus, quia Angeli huius Hierarchiæ nobis immediatè annuntiant, quia ſecundùm Sanctum Gregorium ad infimum ordinem pertinet minima nuntiare, & procurare ea quæ ad hominum ſalutem ſpectant. Hinc Sanctus Thomas docet Angelos ex illo ordine eſſe ad cuſtodiam hominum deputatos.

Angeli nomen remanet infimo ordini, & cur.

CAPVT IV.

De voluntate Angelorum.

QVEMADMODVM ſuprà probatum eſt Angelos eſſe intellectu, & proindè multiplici cognitione præditos, ita apud omnes inconfeſſo eſt illos eſſe quoque voluntate & actibus eiuſdem exornatos, etiam à conditionis ſuæ ortu, & quemadmodum eorum intellectus non eſt realiter, ſed formaliter ſolùm ab Angeli eſſentia & ſubſtantia diſtinctus; vt idem de animæ rationalis potentijs, Tractatu de anima rationali cap. 4. Sect. 11. dicemus, ita de eorum voluntate iudicandum.

SECTIO I.

Quomodo Angeli voluntas ab initio ſit libera, & in qua beatitudine ſint creati Angeli.

DVÆ ſunt huius Sectionis partes breuiter explanandæ. Et quod ad priorem ſpectat, ita clara eſt, vt in eius probatione non ſit immorandum. Deindè ſi in hominibus liberum reperiatur arbitrium, vt Tractatu de anima dicemus Cap. 4: Sect. 3. multò magis in Angelis qui hominibus ipſis longè perfectiores ſunt & nobiliori intellectu præditi. Libertas enim in quocumque reperiatur non exiguam

Angeli voluntas ab initio libera.

quam dicit perfectionem. Et hoc certum eſt de fide, ſicut de fide etiam eſt certum, illos capaces fuiſſe præcepti atque potuiſſe mereri & peccare: Vi autem & conſtantiâ tantæ libertatis efficaciſſimè velle poterant Angeli ab initio tum boni tum mali, & immobiliter atque inuiolabiliter eligere ea quæ cupiebant: quò fit vt ipſa eorum voluntas dici poterat inuertibilis, & tenaciter tenere omnem affectum quem priùs ſuſceperat, non enim poterat ei diſplicere quod placuerat, neque valebat ſe retractare & à ſemel propoſito reſilire, talis enim fortis eſt, vt fixa & immobilis perſeueret ſemper in eo quod diligit aut odio habet, ſicut eorum intellectus fixus & immobilis perſeuerat in eo quod ſemel percepit, & in eo impreſſum eſt: quamuis tamen probabile etiam ſit Angeli voluntatem etiam electione factâ, naturâ ſuâ eſſe flexibilem, vt docent Sanctus Bonauentura, Scotus, Durandus, & alij, licèt non ſit diffitendum quin longè difficiliùs quàm homo dimoueatur ab eo quod ſibi ſemel propoſuit, nam vt eſt perfectiori intellectu & voluntate prędítus, ita etiam firmiori conatu apprehendit & eligit. Si tamen communiori ſententiæ ſtemus, dicendum erit Angeli voluntatem fixè & immobiliter adhærere rei quam vel diligit, vel odio habet.

Angeli voluntas an flexibilis ſit.

S. Bonau in 2 ſent. diſt. 7. q. 1 art. 1.

Quod ad poſteriorem partem ſectionis attinet, aduertendum eſt duplicem eſſe beatitudinem, naturalem vnam, ſupernaturalem alteram: naturalis illa eſt, quæ in perfectiſſima Dei contemplatione & fruitione naturali eſt poſita: ſupernaturalis verò, quæ excedit vires cuiuſcumque intellectus creati, & conſiſtit in clara Dei viſione & fruitione. Quęritur ergo an Angeli fuerint creati in beatitudine, & qua. Reſpondemus fuiſſe omnes in beatitudine naturali creatos, & non ſupernaturali. Et ita habet Scotus, quod hac ratione probat: Angeli habuerunt ſpeciem impreſſam Dei: ergo congruum fuit ne eſſent otioſi, vt Deum cognoſcerent & amarent: ſed in hoc conſiſtit beatitudo: ergo fuerunt beati ſaltem naturali beatitudine. Sanctus Thomas[a] & eius ſequaces, vt Arrubal, Granados, Suares[b] Alarcon, &c. eandem ſequuntur ſententiam, & præ reliquis Suares eandem Scoti rationem confirmat, nam (inquit) Angelus creari potuit cum perfectâ cognitione Dei naturali iuxtà cuiuſque Angeli capacitatem, & cum actuali amore beneuolentiæ Dei ſuper omnia & ſine vllo peccato, & cum morali poteſtate, imò & facilitate nunquam peccandi, ac denique cum magna vitæ iucunditate, hæc autem ſufficiunt ad naturalem beatitudinem: ergo, &c. Confirmat, nam ſic creare Angelos erat magis conſentaneum ſapientiæ & bonitati Dei.

Beatitudo duplex, & in qua fuerunt creati Angeli.

in 2. diſt. 3. qu. 9.

a 1. p. qu. 62. art. 1.
b Lib 3. de Angelis cap. 11.

Obijcies primò, de ratione beatitudinis eſt perpetuitas, ſed Dęmo-

nes non perſeuerarunt in amore Dei naturali, cùm odio Deum proſequantur, ergo non fuerunt creati in beatitudine naturali. Reſpondemus perpetuitatem non eſſe de ratione eſſentiali beatitudinis; & ita quamuis Dæmones non perſeuerarint, non eſt minùs dicendum illos quandiu fuerunt in via, eſſe illa naturali beatitudine beatos.

Beatitudo ex ſua eſſentia non eſt perpetua.

Obijcies ſecundò, naturalia in Dæmonibus manſerunt integra; ergo in illis modò manet beatitudo naturalis. Reſpondemus concedendo antecedens quantùm ad eſſentiam & potentias, non verò quantùm ad omnes actus naturales.

Non fuerunt autem Angeli in beatitudine ſupernaturali & perfecta creati, vt citati authores, & cum eis Suares, Vaſques, &c. probant ex Sanctis Patribus Gregorio, Damaſceno, Gelaſio, Nazianzeno, &c. Sed ſufficiat Gelaſius in diſputatione contra Pelagium, qui docet ipſos Angelos ad perfectum conditos promerendæ ſalutis; ſed meritum non eſt cum beatitudine ſupernaturali: ergo, &c. Ratione probatur, nam ſi ab initio fuiſſent hac beatitudine beati, & clarè vidiſſent Deum, ſicut modo vident & omnes beati, ſequeretur quòd nunquam potuiſſent peccare nec mereri, nam Angelus non poteſt eſſe ſimul viator & comprehenſor: at eorum aliqui, vt conſtat, de facto peccarunt, & alij meruerunt: ergo ſequitur illos nondum ſupernaturaliter fuiſſe beatos: vnde cùm multis in locis videatur dicere Sanctus Auguſtinus Angelos malos aliquando fuiſſe in beatitudine creatos, intelligendus eſt de beatitudine viæ imperfecta & naturali, non verò de beatitudine patriæ perfecta & ſupernaturali, ſicut idem Sanctus Auguſtinus affirmat Adamum in paradiſo terreſtri fuiſſe beatum, quia in rectitudine naturali & ſpirituali erat conditus. Confirmatur noſtra ſententia ex eo quod probandum erat liberum Angelorum arbitrium, priuſquam ſupernaturalem fœlicitatem conſequerentur, & congruum quoque fuit vt boni & mali eſſent æquales in creatione: ſed mali non fuerunt illâ beatitudine beati in eorum creatione; ergo neque boni. Deinde beatitudo illa reddit beatos impeccabiles ſiue ex viſione, ſiue ex manutentia Dei: ſed mali de facto peccarunt, boni potuerunt peccare: ergo non erant illâ ſupernaturali beatitudine beati. Præterea glorioſius erat Angelis vt illa ſupernaturalis fœlicitas eis daretur ex meritis, quæ ad beatitudinem naturalem conſequendam non ita requiri videntur. Et denique quia iſta beatitudo ſupernaturalis eſt finis ad quem creatura nonniſi per aliquam operationem perduci congruebat, quare in ipſa creari non debuerunt.

Lib. 11. de Geneſi ad litteram cap. 18.

At obijcies: ſi Angeli fuerint creati in beatitudine naturali, vt

ſuprà probatum eſt; ergo habuerunt etiam beatitudinem ſupernaturalem in primo inſtanti. Probatur conſequens, quia cauſa naturalis tardior eſt, & lentior ad producendum ſuum effectum quàm ſupernaturalis: cùm ergo beneficio ſpeciei naturaliter & diſtinctè repræſentantis eſſentiam diuinam, in primo inſtanti habuerint fœlicitatem naturalem, citiùs per cauſam ſupernaturalem nempè Deum, habuerunt ſummam felicitatem. Reſpondeo negando illud conſequens, & ad probationem dicimus cauſam ſupernaturalem nempè Deum, potuiſſe eis conferre ſupernaturalem beatitudinem in illo primo inſtanti creationis eorum ſi voluiſſet, ſed non decuit, quia eſt magis honorabile eam habere ex merito; & ita diuina ſapientia diſpoſuit.

SECTIO II.

De amore & dilectione Angelorum.

DVPLEX eſt amor, naturalis videlicet, & ſupernaturalis: prior eſt ad quem eliciendum ſufficit naturalis facultas, hoc eſt ipſa voluntas; poſterior eſt is ad quem ea facultas non ſufficit ſine auxilio diuinæ gratiæ. Quærunt ergo Theologi an ille duplex amor ſit in Angelis, & quoad primum, videlicet naturalem, docet Sanctus Thomas eſſe in Angelo, ipſumque ſeipſum hac dilectione diligere, tum etiam Deum & alios Angelos: ſeipſum quidem, quia nihil ſeipſum naturaliter odiſſe poteſt, quinimò res quælibet etiam cognitione carens, naturaliter appetit conſequi id quod eſt ſibi bonum, ſicut ignis locum ſurſùm; Vnde Angelus & homo naturaliter appetunt ſuum bonum, & ſuam perfectionem, conſeruationem, & beatitudinem naturalem; cùm autem ſibi velle bonum ſit amare ſeipſum, conſequens eſt Angelum ſeipſum dilectione naturali diligere: & quia etiam Angelus ſibi aliunde poteſt liberè & per electionem aliquod bonum deſiderare, ideò dicere poſſumus eum ſeipſum quoque amore libero ſeu electiuo diligere. Angelus quoque naturali dilectione plus appretiatiuè diligit Deum quàm ſeipſum. Probatur, nam vnaquæque res modo naturæ ſuæ conſentaneo plus inclinatur naturaliter in id à quo totum ſuum eſſe dependet, & in quod totum ordinatur quàm in ſeipſam: ſed quælibet creatura atque etiam Angelus, ſecundùm id totum quod eſt dependet à Deo, & in illum vt in finem vltimum ordinatur; igitur quælibet creatura modo conſentaneo naturæ ſuæ,

Amor duplex naturalis & ſupernaturalis.

1. p. q. 60.

Angeli ab initio naturali amore ſeipſos, Deum & proximum dilexerunt.

id eſt per appetitum vel naturalem vel elicitum, intellectualem aut ſenſitiuum, plus naturaliter inclinatur in Deum quàm in ſe; atque adeò etiam Angelus.

Confirmatur ratione Scotiſtarum; quia ratio naturalis dictat, quòd in omnibus actibus & obiectis ſit aliquod ſupremum: ergo ſupremum obiectum ſupremam dilectionem petit; & ideò Angelus plus Deum diligit quàm ſeipſum, nam bonum diuinum bono noſtro præferendum eſt, ita enim petit charitas, quæ non opponitur naturæ, ſed eam perficit, aliàs eius inclinatio peruerſa eſſet. Adde quòd charitas naturalis in Angelo, ipſum inclinat ad Deum magis naturaliter amandum quàm ſeipſum. Et denique vnus Angelus alium ſicut ſeipſum diligit, & quò perfectior eſt eò maior eſt dilectio: Et ratio eſt, quia cùm naturaliter (vt dictum eſt) diligat ſeipſum, conſequenter diligit id omne cum quo conuenit, & eſt vnum in naturalibus: atqui plures Angeli conueniunt & vnum ſunt ſpecificè, cùm ex Scoto multi ſint in eadem ſpecie, & omnes ſimul conueniunt & ſunt vnum genericè: Ergo vnus alium naturaliter diligit tanquam ſeipſum, ita ſcilicet vt hæc particula, *tanquam*, ſignificet ſimilitudinem, non æqualitatem. Addunt etiam alij Angelum naturaliter diligere hominem; nam homo eſt eiuſdem naturæ intellectualis cum Angelo ſaltem genericè.

Amor ſupernaturalis ab initio fuit in Angelis.

Quoad ſecundum, videlicet amorem ſupernaturalem, ille fuit pariter in Angelis ab initio ſuæ creationis, ſicut omnes fuerunt prædіti diuinâ gratiâ, vt ſequenti ſectione dicemus; ita vt illo amore Deum ſuper omnia dilexerint, & longè excellentiori modo quàm illum in præſenti vita & mortali hoc corpore, eâdem adiuti gratiâ diligere valeamus, cùm ipſi fuerint & ſemper ſint ab omni concretione materiæ ſoluti & liberi. Nunc verò ſoli beati illo ſupernaturali amore eoque beatifico illum diligunt, & tantò ardentiori quantò ſtatus ille beatificus ſtatu viæ perfectior eſt; & hoc ita clarum eſt, vt nulla probatione indigeat; nam ex Sancto Thoma, hoc amore beatifico Deum diligunt, non tantùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium actus. Et probatur, nam ſicut illi omnes boni Angeli quemadmodum & reliqui omnes beati, nunquam poſſunt ceſſare ab actuali cognitione & viſione ſupernaturali ſummi boni, ſuppoſito lumine gloriæ quo eorum intellectus ſunt exornati, ita numquam ceſſare poſſunt à ſupernaturali ipſius dilectione, ſuppoſitâ charitate quâ eorum exornantur voluntates.

Angeli beati nunc Deum ſupernaturali eoque beatifico amore diligunt.

1 p. qu. 60. art. 5.

SECTIO III.

An Angeli in via fuerint in gratia habituali.

AFFIRMATIVE reſpondent omnes Theologi, etiam recentiores cum ſancto Thoma, [a] & Scoto [b]; & vnanimi conſenſu docent Angelos dum erant in via fuiſſe in gratia habituali & iuſtificante. Probatur primò, ex illo Ezechielis [c] loco, vbi Luciferum in perſona Regis Tyri, dicit fuiſſe plenum ſapientia & decore, & in medio lapidum ignitorum perfectum ambulaſſe. Et ita intelligit S. Hieronymus in eundem locum, atque alij Patres, & vniuerſa Eccleſia.

a *q. 62 art. 3.*
b *In 2. diſt. 5. q. 1.*
c *Ezech. 28.*
Angeli in via fuerunt in gratia habituali.

Secundò probatur ex Euangelio S. Ioannis, vbi de Diabolo dicitur: *Ille in veritate non ſtetit*, hoc eſt, in gratia, ſanctitate, & iuſtitia non perſeuerauit; ergo in illa fuit aliquando. Quod autem veritatis nomine intelligatur iuſtitia & ſanctitas, patet ex libro 4. Regum, vbi dicit Ezechias, *Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate*; Ita de gratia & iuſtitia intelligunt præfatum ſancti Ioannis locum, SS. Auguſtinus [d], Chryſoſtomus, Iſidorus, necnon Beda, Theophilactus, &c. Vnde S. Cyrillus [e] ait de Diabolo, *In veritate non ſtetit, quia lapſus eſt à veritate, nec voluit manere in ſua originis ſanctitate*. Et poſteà ſubdit, quod *Ex iuſto & bono Angelo Diabolus iniuſtus, & malus factus eſt*.

Ioan. 8.
4 Reg. 20.
d *Lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 3.*
e *Lib. 6. in Ioan. cap. 6.*

Tertiò probatur valde efficaci teſtimonio S. Iudæ in ſua epiſtola, vbi ſic ait: *Angelos verò qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*. Per principatum quem non ſeruarunt, & domicilium quod dereliquerunt, non debent intelligi ea quæ ex natura eis conueniebant, cùm naturalia in illis remanſerint integra, vt ſæpiùs dictum eſt; ergo per illa debent intelligi iuſtitia & gratiæ dignitas; et illa ſunt ſupernaturalia quæ amiſerunt, & per conſequens, eiſdem erant exornati. Et ita explicant Theodoretus, Anaſtaſius, Nyſſenus, &c. Et probari poteſt congruentiâ Scoti ex S. Auguſtino deſumptâ, quia rationabile eſt vt Deus non diſcerneret Angelos, antequam ipſi ſe per ſuos actus diſcernerent, vt ita perfectè operari poſſent, & haberent æquale præmium. His ergo ſacræ Scripturæ, & SS. Patrum auctoritatibus, liquidò patet Angelos tum bonos tum malos, fuiſſe in gratia habituali & iuſtificante; dum ad-

S. Iudas in ſua epiſt.
S. Auguſt lib. 11. ſuper Gen. cap. 24.

huc erant in via ante terminos vel beatitudinis vel condemnationis. Sed Doctores non conueniunt quando illâ gratiâ fuerunt exornati. Aliqui enim volunt non fuiſſe in tali gratia creatos, ſed in pura natura; poſteà verò illam habuiſſe. Et ratio illorum eſt, quia gratia eſt medium inter naturam & gloriam; ergo æquum fuit vt priùs Angeli eſſent in naturá, quàm in gratia. Et deinde (inquiunt) non fuit expediens gratiam dari cum natura, ne videretur eſſe debita naturæ. Et hanc ſententiam probabilem reputat Scotus. Alij autem volunt illos eſſe creatos in gratia, & illam probabilem quoque exiſtimat idem Scotus; ſed alij omnes probabiliorem immò veriſſimam, eſt enim ſententia S. Thomæ [a], & aliorum; quam etiam ſequitur noſter Rada [b], & omnes Thomiſtæ, Cajetanus, Ferrara, Capreolus, Suares [c], Vaſques [d], & alij recentiores.

a 1.p. q. 62. art.3.
b Rada controu. 10 art.2.
c Suares lib.5. cap.4.
d Vaſques diſput. 227. cap.2.
e Cap.11. & 12 de Ciuit Dei, & cap.9.
f In Pſal.32.

Probatur etiam ex conſenſu SS. Patrum, qui ferè omnes docent ipſos Angelos & bonos & malos fuiſſe à ſuæ creationis initio diuinæ gratiæ luce decoratos, vt S. Auguſtinus [e] de Angelis loquens ait: *Deus erat ſimul condens naturam & largiens gratiam*, quod omnes etiam de ipſis Angelis intelligunt. Ita S. Baſilius [f] ſic ſcribit: *Angelos initio vt eſſent, verbum opifex omnium condidit, ſanctificationem verò ſimul impendit ipſis Spiritus ſanctus, non enim in infantili natura creati ſunt, deinde paulatim exercitati atque perfecti, ſic ſpiritus ſuſceptione digni ſunt habiti, ſed in prima conſtitutione atque conſperſione ſuæ ſubſtantiæ ſimul infuſam habuêre ſanctitatem.* Loquitur quidem S. Baſilius præcipuè de ſanctis Angelis, qui minimè ſe ad malitiam tranſmouerunt: at idem & de malis affirmare neceſſe eſt, qui ſimul cum bonis conditi, & ex nullo capite inferiores illis initio fuerunt. Et eſt quod ait ſanctus Hieronymus [g], *Dæmones* (inquit) *qui lapſi de propria dignitate, & nihil antiquæ gratiæ poſſidentes aridi ſunt & veteri ſiccitate marcentes.* Et S. Damaſcenus [h] apertè dixit Angelos omnes Spiritus ſancti gratiam & ſanctificationem participaſſe. Et S. Gregorius [i] idem de Lucifero ſenſit; & per conſequens de omnibus ſuis complicibus. Ita alij multi, qui idem innuunt, dum aiunt Angelum ſicut & hominem conditum eſſe à Deo rectum & bonum, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Deus fecit hominem rectum.* Rectitudo enim in Scriptura eſt ſanctitas, & iuſtitia apud Deum, hoc enim eſt eſſe rectum coram Domino; & illud eſt quod apertè docet Concilium Tridentinum, dum ait primum hominem initio ſui ortus antequam peccaret, in maxima abundantia diuinæ gratiæ munus accepiſſe. Si autem Deus ipſe ita erga primum hominem ſe geſſit, non eſt quod dicamus aliter ſe erga Angelum geſſiſſe, & illi gratiam in initio ſuæ creationis denegaſſe, cùm ſit vtriuſque

g In 3. cap. Oſee.
h Lib. 2. orthod. fidei cap. 3.
i Lib.32. moral. cap 18.
Eccleſiaſtici 7.
[illegible] Seſſ. 5.

eadem ratio, nec poſſit aſſignari ſufficiens ratio diſcriminis, & ambo æqualiter ordinati fuerint ad finem ſupernaturalem & gloriam, ad quam vt peruenirent, diuina poſtulabat prouidentia, vt Deus eos conderet in ſtatu gratiæ, in quo ipſa gloria deberetur.

Probatur item noſtra ſententia ratione Theologicâ S. Thomæ loco citato, & aliorum conformiter ad principia etiam Philoſophica, quæ talis eſt: Vt ſe habet ratio ſeminalis in natura ad effectum naturalem, ita ſe habet gratia gratum faciens ad beatitudinem comparata; ſed omnia naturalia ab initio ſunt à Deo producta ſecundùm rationes quaſdam ſeminales, quarum beneficio apta ſunt producere ſibi ſimilia, vel agere quicquid ſingulis quibuſque conuenit; ergo cùm Angeli ſint gloriæ æternæ capaces, dicendum eſt illos ab initio ſuæ creationis fuiſſe gratiâ inſtructos, quæ ſemen eſt gloriæ, alioquin Angeli in ordine ad gloriam deterioris fuiſſent conditionis quàm ſint res quæque infimæ, quibus ſemina quædam indita ſunt vnde ſuos producant effectus. Quod autem gratia ſit gloriæ ſemen, docet S. Ioannes in ſuis Epiſtolis: *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Verùm aduertendum eſt circa rationem hanc quòd quamuis ſit probabilis, non tamen eſt demonſtratiua, poteſt enim illius negari conſequentia; & ad probationem dici eſſe magnum diſcrimen inter ſemina materialia & gratiam, quoniam ſemina ſunt connaturalia viuentibus materialibus (inquit Rada) & ordinantur ad actionem ipſis etiam connaturalem; & ideò viuentia eſſent imperfecta in ſuo eſſe ſi carerent eis, aut virtutibus in quibus continerentur: at verò neque gratia neque meritum cuius eſt principium, habet connaturalitatem cum natura intellectuali: & ideò huiuſmodi natura non erit imperfecta in ſuo eſſe quamuis careat gratiâ: Vt verò creatio ſit omnino perfecta & completa ex parte termini, ſatis eſt quod per ea tribuatur rei creatæ tota perfectio ipſi connaturalis ſecundùm ſuum eſſe, at quicquid ſit, bene conuenit illa ſimilitudo, licèt (vt aiunt) claudicet vno pede.

1. Ioan. 3.

Controu. 10.

Aduerte porrò quòd in Angelis ſimul cum gratia fuerunt infuſa fides, ſpes, charitas, dona Spiritus ſancti, & reliquæ virtutes etiam morales quarum erant capaces, temperantiæ enim non ſunt capaces ratione ſui ſtatus. Certum eſt quoque illorum habituum actus elicuiſſe, ſaltem bonos, & ſic beatitudinem ſupernaturalem meruiſſe, vt poſteà dicemus, ipſa quippe præmium eſt virtutis.

Angelis fuerunt cum gratia in via infuſæ virtutes.

Obijcies primò S. Auguſtinum dicentem Diabolum cecidiſſe non ab eo quod acceperat, ſed ab eo quod accepiſſet ſi ſubdi voluiſſet. Reſpondeo S. Patrem loqui de beatitudine quam accepiſſet

2. de Gen. ad litteram cap. 23.

Angelus ſi permanſiſſet, non verò diſputat an ceciderit à gratia.

Lib. 32. Moral. cap. 18. Obijcies ſecundò, Sanctum Gregorium loquentem de primo Angelo ſic, *habuit ergo foramina, ſed per ſuperbiæ vitium charitatis auro non ſunt repleta.* Vbi per foramina intellexit capacitatem ad recipiendam gratiam & charitatem. Reſpondeo quòd Gregorius ſolùm negauit gratiam & charitatem perſeuerantem & conſummatam.

Cap. viſis, 26. qu. 2. Obijcies tertiò, Ioannem Papam dicentem Diabolum dolere & erubeſcere, quod ipſe in cælo non habuerit charitatem quam homines habent in terra, vnde ſequitur Diabolum numquam habuiſſe gratiam; quia gratia ſemper eſt coniuncta cum charitate, immò ſecundùm Scotum ab ea non differt realiter, bene tamen formaliter. Reſpondeo loqui pontificem de charitate perſeuerante quàm multi homines habent, & Diabolus non habuit, itaque dolet & erubeſcit, quòd cùm ipſe amiſerit gratiam, adhuc videat homines perſeuerare in gratia. Alij tamen aliter explicant, videlicet Dæmonem dolere quòd homo charitatem & gratiam ſemel amiſſam poſſit recuperare, & ipſe non poſſit, cùm non ſit ampliùs in via, ſed in termino damnationis æternæ.

SECTIO IV.

An Angeli ad illam habitualem gratiam quam ab inſtanti ſuæ creationis habuerunt, ſe ſe per aliquos actus diſpoſuerint.

RESPONDENT nonnulli, Angelos per nullos actus ad ipſam gratiam habitualem ſe diſpoſuiſſe, ſed per naturam fuiſſe ſatis diſpoſitos: & dant exemplum de pueris gratiam in baptiſmo recipientibus, qui cùm vſu rationis & libertatis careant, non poſſunt ad illam recipiendam per aliquem actum ſe diſponere. Deinde cùm gratia illa ſit collata Angelis in ipſo primò inſtanti creationis, non potuerunt ad illam ſe diſponere, & priùs debet concipi Angelus vt gratiâ præditus, quàm vt aliquid operans, priùs enim concipiuntur habitus procreati in Angelis, quàm vlli actus ab ipſis eliciti.

Angeli per proprios actus ſe diſpoſuerunt ad gratiam.

Melior tamen & tutior eſt eorum ſententia, qui docent ipſos Angelos per proprios actus ſe diſpoſuiſſe ad infuſionem illius gratiæ habitualis. Ita Sanctus Thomas, [a] Cajetanus, Ferrara, Bannes, Granados, Suares, [b] & Vaſques. [c] Et eſt communis, propter quod magis

a 1. p. qu. 62 art. 1.
b lib. 5. cap. 8.
c diſp. 218 c. 1.

magis placet. Et licet Scotus nihil de ea expreſsè determinet, eam tamen ex eius dictis colligimus in ſcripto Oxonienſi, [d] & in reportatis. [e] Ibi enim docet de prima mora Angelorum ſatis probabiliter dici, quòd durauerit per aliquod tempus in quo potuerunt Angeli elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ſimul, quæ eſſent diſpoſitiones ad gratiam habitualem; imò ſi eſſet vnicum inſtans noſtri temporis, adhuc poterant fieri omnes prędicti actus qui neceſſarij ſunt in via ad ſanctificationem. Ex dictis Scoti igitur eſt ſupponendum diſpoſitiones illas potuiſſe eſſe in eadem mora, in qua producta fuit in illis gratia habitualis, etiam ſi eſſet inſtantanea, vel quia mora illa durare potuit per tempus quamquam exiguum, & diuiſibilis fuit in partes, vt docet idem Scotus.

d in 2. diſt. 5 qu. 1.
e diſt. 4. qu. 1.
in 2. diſt. 5. q. 11.

Probatur autem hæc ſententia primò ex Sancto Auguſtino, *Iſtam bonam voluntatem quis fecerat, niſi ille qui eos in bona voluntate cum amore caſto quo illi adhærent, creauit?*

Aug. l. 12 de Ciuit. Dei cap. 9.

Probatur ſecundò, nam cùm naturalis modus operandi omnium agentium ſit, vt diſponantur ad recipiendam formam: ergo debuerunt diſponi auxilio gratiæ pręuenientis ad habitualem gratiam recipiendam, vt contingit in hominibus adultis, quibus ex Concilio Arauſicano inſpirat Deus fidem, ſpem, & amorem ſui, tanquam diſpoſitiones ad iuſtificationem; nam dare gratiam ſine diſpoſitione vt datur paruulis, eſt ſanctificare eos modo mortuo; Ergo hoc non eſt tribuendum Angelis, ſed potiùs quòd viuo modo cum eiuſdem gratiæ præuenientis auxilio ſe diſponentes, meruerint de congruo ipſam gratiam habitualem, & in eadem prima mora in qua illam receperunt modo quo ſupra expoſitum eſt.

Can. vlt.

Obijcies primò; Chriſtus Dominus ſecundùm humanitatem paulò minoratus eſt ab Angelis; ſed illi datus eſt habitus gratiæ ab inſtanti ſuæ conceptionis, ſine propria diſpoſitione, & ab illo actu prouenie bat primus actus ab eo elicitus; ergo idem de Angelo eſt iudicandum. Reſpondeo in Chriſto Domino eſſe magnum diſcrimen, nam in eo prima gratia habitualis erat veluti reſultans ex dono ſeu gratia vnionis, & ita illam habebat nobiliori modo quàm per diſpoſitionem. Secundò, & meliùs, nam primi habitus Chriſti fuerunt viſio & fruitio beata, qui non poterant eſſe diſpoſitiones ad gratiam, ſed potiùs erant fructus illius.

Obijcies ſecundò, Deus alias res creauit cum fructibus perfectas, verbi gratia arbores, & abſque vlla diſpoſitione ex illarum parte; ergo multò magis Angelos condidit cum fructibus, hoc eſt gratia habituali & iuſtitia inhærente, abſque præuia eorum diſpoſitione. Reſpondeo res alias non poſſe per diſpoſitiones proprias recipere

altiores perfectiones, ſicut poſſunt Angeli & homines adulti.

Eſt autem ſedulò cum Scholaſticis aduertendum hoc diſcrimen reperiri inter dona gratiæ collata hominibus, & collata Angelis, quòd hominibus non conferantur cum proportione ad naturam, ita vt homini in donis naturalibus perfectiori, perfectiora ſupernaturalia non ſemper tribuantur, idque ex fide conſtat: nam quandoque bardi & ſtulti eleuantur à Deo ad maiora dona ſupernaturalia quàm doctiores & acuti ingenij; at verò Angelis data ſunt dona gratiæ cum proportione ad naturam, ita vt in prima creatione pro diuerſitate perfectionis, excellentiæ, & dignitatis naturalis cuiuſque Angeli, data ſint ei diuerſa & perfectiora dona ſupernaturalia; & proinde eo perfectiores ſunt in donis gratiæ quò perfectiores ſunt in natura; non quòd illa gratiæ dona tali naturæ Angelicæ ſint debita, implicat enim eſſe gratiam, & ſimul eſſe naturæ debitam, ſed quia Deus tanquam Dominus gratiæ ſuæ, pro mera voluntate ſua, in diſtribuendis his donis gratiæ Angelis, attendit ad eorum diuerſas naturas, ſicut abſque vlla violentia ipſis facta, poterat non attendere, & omnibus ęqualem gratiam largiri. Ratio autem potiſſima cur non ità ſuam largiatur gratiam hominibus, iuxtà eorum naturalem perfectionem, vt Angelis, eſt ne ob exiguam eorundem hominum cognitionem decipiantur ipſi, exiſtimantes gratiam non diſtingui à natura, vel eis debitam eſſe, ſicut multi in hoc errarunt: illud autem periculum non erat in Angelis, qui longè maiori pollent cognitione. Hæc doctrina confirmatur à S. Damaſceno, vbi poſtquam dixit omnes Angelos in ſui creatione gratiâ Dei fuiſſe perfectos, ſubiungit, *Ita tamen vt pro ſua quiſque dignitate & claſſe gratiæ & luminis participes ſint.* Et S. Baſilius [a] ait Angelos iuxtà proportionem eminentiæ inter ſeipſos ſanctificationis menſuram à ſpiritu ſancto accepiſſe. Quod ſequitur S. Thomas, [b] & communiter Scholaſtici. Lege S. Dionyſium [c] de cæleſti Hierarchia: quæ ſententia vera non ſolùm eſt de Angelis qui permanſerunt, ſed etiam de his qui ceciderunt.

Angelis data ſunt gratiæ dona cum proportione ad naturam, & non hominibus & cur.

Lib. 2. de fide cap. 3.

a *Lib. 2. de ſpiritu ſancto cap. 16*

b *1. p. q. 62. art. 6.*

c *De cæl. Hierar. cap. 6.*

Sed obijcies; natura quæ eſt inferior quàm gratia non debet eſſe menſura illius; ergo gratia nequit dari ſecundùm perfectionem naturæ, aliàs incongruum videtur Luciferum qui damnandus erat, in tam ſublimi gratiâ collocari. Reſpondeo negando naturam eſſe menſuram gratiæ, ſola enim eſt voluntas diuina diuidens ſingulis prout vult; eſt tamen in ipſa natura Angelica aliqua occaſio remota, vt Deus ità faciat.

Natura non eſt gratiæ menſura, ſed Dei voluntas.

Quemadmodum autem pro proportione perfectionis naturalis Angelorum fuit illis collata gratia, ita pro gratiæ merito iuſta merces

nempe gloria, licèt etiam vltra condignum fuerit reddita; vt de hominibus ipſis, vel animabus ſanctis, docent omnes Theologi.

SECTIO V.

An Angeli meruerint ſuam beatitudinem, & per quæ opera.

ANGELI boni habituali & ſupernaturali gratiâ adiuti in qua vt dictum eſt creati fuerant, ipſi Deo firmiſſimè adhærentes, illumque perfectiſſimè diligentes, beatitudinem ſupernaturalem meruerunt, ſeu illam nonniſi proprio merito ſunt conſecuti. Ita S. Thomas, [a] Scotus, [b] & alij paſſim.

Perquæ opera Angeli meruerunt ſuam beatitudinem.

a 1. p. qu. 62. art. 2.

b in 2. diſt. 5. qu. 1.

Probatur primò ex Apocalypſi, [c] vbi habetur, *in illa cæleſti Hieruſalem eandem eſſe hominis & Angeli menſuram*, hoc eſt eandem eſſe rationem ſecundùm quam vtrique fœlicitatis gradus tribuitur, nempe meritum. Secundò, Probatur auctoritate S. Auguſtini, [d] *Angeli ſancti* (inquit) *qui perſtiterunt, meruerunt illius vitæ mercedem recipere.*

c Apoc. 22.

d De Correct. & gratia c. 16.

Denique ratione probatur. Omnis creatura conſequitur ſuam perfectionem per operationem propriam; ſed beatitudo eſt perfectio naturæ intellectualis; ergo per propriam operationem illam conſequitur non producendo illam, cùm excedat vires naturæ intellectualis, ſed illam merendo.

Confirmatur primò, quia homines per ſua merita conſequuntur beatitudinem, non enim eſt eorum naturæ debita; ergo & Angeli etiam per ſua merita debuerunt illam conſequi, cùm ſimiliter ſuæ naturæ non debeatur.

Confirmatur ſecundò, quia cæteris paribus meliùs eſt habere aliquid ex merito quàm ſine merito: Confirmatur tertiò, quia mali Angeli amiſerunt beatitudinem per peccatum, ergo poterant illam mereri ſi voluiſſent, quia ſi potuiſſent tantùm demereri, & non mereri, fuiſſet peſſima eorum conditio. Concludendum itaque bonos eam meruiſſe.

Sed diſputant Theologi, quomodò & quibus operibus illam meruerint. Magiſter ſententiarum [e] docet Angelos priùs donatos beatitudine quàm eandem meruerint, & quod poſtmodum per obſequia hominibus impenſa eam mereantur, ſicut Chriſtus Dominus ſimul fuit comprehenſor & meruit; quem Albertus [f] & Altiſſiodorenſis

e in 2 diſt. 5.

f in 3. diſt. 18. art. 4.

a Lib. 3. Tract. 1. cap. 7.

Angeli non meruerunt per ſubſequentia merita.

[a] ſequuntur. Sed reijcitur hæc ſententia, quia ſine fundamento negat meritum in Angelis per conuerſionem ad Deum, ex gratia quam ipſe Magiſter fatetur, cùm in tali conuerſione reperiantur omnes conditiones meriti. Secundò, reijcitur, quia ſtatus viæ eſt neceſſarius ad meritum ſecundùm omnes, ſiue ex natura rei ſiue ex pacto, vt ex Scoto docent eius ſequaces; ſed beati non ſunt viatores, ſed in termino, & in eodem inſtanti non poſſunt eſſe duo ſtatus, viæ ſcilicet, & beatitudinis, & non conſtat in hoc Deum diſpenſaſſe: Ergo Magiſter & alij Doctores ſupra nominati loquuntur contra omnes Theologos ſine fundamento ſufficienti. Tertiò, hanc opinionem reijcit Scotus, nam ſequeretur hominem poſſe mereri primam gratiam per opera ſubſequentia, quod eſt falſum. Quartò, ſicut merita ſubſequentia primam gratiam oriuntur ex ipſa gratia tanquam ex principio, ſic etiam merita ſubſequentia gratiam deberent oriri ex gloria tanquam ex principio, principium autem meriti non cadit ſub meritum. Quintò; Dæmones à principio non acceperunt pœnam propter peccata ſequentia; ergo nec boni Angeli præmium ob ſequentia merita.

Petereà aduersùs hanc opinionem inſurgunt alij hac ratione: ſi homo creatus non fuiſſet cui Angelus miniſtraret, nihilominùs Angelus conſequutus fuiſſet beatitudinē quam modò habet: ergo illam non meruit per obſequia exhibenda. Et confirmatur, nam ſi primus parens non peccaſſet, etiam homines alij creati eſſent, minuſque indigerent Angelorum cuſtodia: ergo non propter illam meruerunt ſuam beatitudinem.

Obijcies, non implicat quòd præmium ſit ante meritum, nam interdum Rex vel Dux per anticipationem tribuit militibus ſtipendia, quia illos præuidet ſtrenuè dimicaturos, ſicut agnoſcit illos ſe ſe contra inimicos aliàs geſſiſſe; aut etiam, cuidam militi equum ferocem tribuit, eâ animaduerſione quòd per eum ſit benè dimicaturus: ſic quia bene agere debebant Angeli circà homines, priùs ſuam receperunt mercedem & beatitudinem quàm de facto bene egerint aut meruerint. Reſpondeo non eſſe impoſſibile quòd Angeli per opera ſubſequentia beatitudinem ſuam meruerint, nihilominùs eſt contrà naturam rerum, quæ petunt quòd meritum quod eſt via & cauſa præmij, ſit ipſo præmio prius. Quòd ſi poſt adeptam eſſentialem beatitudinem aliquid mereantur, propter officia charitatis hominibus impenſa: dicimus illud eſſe beatitudinem accidentalem vſque ad diem iudicij ad minus, quia vſque ad illud tempus durant obſequia quæ hominibus ipſis exhibent, & quia vltrà hunc diem nihil nouum beatis poteſt euenire. Eſt autem gloria ſeu beati-

Gloria accidentalis & eſſentialis quid ſint.

tudo accidentaria gaudium de quacumque alia re prĕter Deum, ſicut eſſentialis eſt viſio & fruitio ipſius Dei, vt docet S. Bonauentura [a], S. Thomas, Gabriel, Richardus, & alij. De tali gaudio accidentali Angelorum loquitur Chriſtus apud S. Lucam, *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Quibus verbis conſtat Angelos noua poſſe gaudia experiri, & quædam de nouo cognoſcere per nouas reuelationes ipſis à Deo factas, ex quibus etiam noua percipere poſſunt gaudia, quæ nihil aliud ſunt niſi gloria accidentalis. Et ita S. Thomas conformiter ad multos Eccleſiæ Patres tenet Angelos in ipſa accidentali gloria proficere.

[a] in 2. diſt 11. qu. 2. art. 2. Luc. 15. qu. 62. art. 8. Loco cit. art. 5. Suar. lib 6. cap 4. Vaſq. diſp. 229 cap. 10. & 11.

Angeli meruerunt per merita præcedentia.

Melius ergo alij docent Angelos meruiſſe beatitudinem per merita præcedentia. Ita S. Thomas, & Scotus citatus, & ferè omnes Thomiſtæ, Suares, &c. Probat Scotus, quia voluntas non poteſt ſimul velle mutabiliter & immutabiliter: at verò quando voluntas vult meritoriè, vult quidem mutabiliter; quando verò afficitur præmio, vult immutabiliter; ergo meritum & præmium ſimul eſſe non poſſunt, ſed vnum ſequitur aliud, nempe præmium ſequitur meritum, quod quidem meritum eſt diſpoſitio ad finem & via ad præmium. Sed Vaſques loco citato rationem Scoti reprehendit, & falſitatis arguere nititur, dum ait illam eſſe contra ipſum dicentem alibi quòd poſitâ Dei clarâ viſione, voluntas etiam eleuata & beata liberè & non neceſſariò quantum eſt de ſe Deo fruitur, & modò dicit quòd immutabiliter vult quando afficitur præmio, quod eſt neceſſariò velle, hi autem modi (inquit) ſunt oppoſiti. Sed contra, quia quando Scotus hîc dicit beatum velle præmium vel affici præmio immutabiliter, non dicit velle non liberè, nam optimè ſtat quòd liberè velit, & tamen immutabiliter ex manutentia Dei: & ita Scotus eſt ſibiipſi conſtans.

In 1 diſt. 1 q 4.

Confirmatur noſtra ſententia, quia quodcumque meritum dicitur procedere ex fide, ſed fides non eſt cum beatitudine; ergo ante beatitudinem fuit meritum, aliàs merita in æternum eſſent duratura, ſicut & beatitudo, & ita quotidie augeretur beatitudo Angelorum, immò vſque in infinitum; ergo ne hoc dicamus, concludendum eſt terminum meriti fuiſſe beatitudinem, & ita quod omne meritum illam præceſſit, ſicut diſpoſitio ſeu via ad illam.

Obijcies: Ante beatitudinem Angelorum ſolùm præceſſerunt quædam inſtantia ſeu breues moræ, vt ſequenti ſectione oſtendemus; ſed non eſt veriſimile quòd in tam breui ſpatio potuerint tantam mereri fœlicitatem; nam etiam plures ſunt hominibus beatiores, quamuis tamen ipſi homines dum ſunt in via, longo tempore exerceant multa bona opera & difficilia. Reſpondet Scotus

Meritum intenſum magis deſideratur, quam multa remiſſa.

Luc. 7.

non requiri meritorum multitudinem vt quiſquam dicatur plurimùm mereri; ſed multò magis deſideratur vnum meritum intenſum quàm decem millia remiſſa: Vnde illud S. Lucæ de Magdalena: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multùm.* At ita eſt quòd cùm intellectus & voluntatis Angelorum naturalia ſint noſtris perfectiora, ſeſe liberrimè conuerterunt ad Deum actu intenſiori, quàm quiuis homo naturaliter poſſit, & præſertim quando Verbo diuino incarnando eis prçoſtenſo, placuit eis (vt volunt multi) diuinum conſilium de futura illius Incarnatione, dum mali illud myſterium per ſuperbiam ægrè tulerunt; & inſuper quando eis placuit diuina ordinatio, quòd eſſent futuri hominum cuſtodes. Iuxta illud Apoſtoli: *Nonne ſunt adminiſtratorij ſpiritus?* &c.

Hebr. 1.

Adde quòd fuit etiam difficultas in eorum merito, non quod ſit contra inclinationem voluntatis, ſed quia obiectum ipſius quod eſt Deus ipſe, excedebat naturam cuiuſcumque illorum operantis.

SECTIO VI.

Vtrùm inter creationem Angelorum, & beatitudinem vel damnationem eorumdem, fuerit aliqua mora ſeu ſpatium in quo fuerint viatores.

SVPPONENDVM primò, quòd ſicut Deus prçſcripſit hominibus certum tempus viæ, in cuius termino confert illis prçmium pro meritis, aut pœnam pro demeritis; debet eſſe eadem ratio de Angelis, & ſic illi priùs fuerunt in via quàm in termino. Hinc S. Thomas [a] reuocat ſententiam quam ſecutus erat [b] cùm docuiſſet meritum & præmium Angelorum fuiſſe ſimul tempore, licèt meritum fuerit prius natura & cauſalitate.

a 1. p. q. 62 a. 4.
b In 2. diſt. 5 q. 2. art. 1. & quodlib 9. art 8.

Quærunt ergo Scholaſtici, an fuerit mora aliqua vel morulæ inter Angelorum creationem, & eorum terminum ſiue beatitudinis ſiue damnationis: Et affirmatiuè reſpondent, ſed in illis aſſignandis non conueniunt. Nam S. Thomas [c] (vt refert etiam Scotus [d]) duo inſtantia ſeu duas morulas conſtituit in ipſis Angelis, vnam in qua fuêre in via, & aliam in qua fuêre in termino: In priori fuerunt creati in gratia & meruerunt, in poſteriori boni perſeuerauerunt in merito & præmio ſunt affecti; & mali peccauerunt, & pœnis ad-

c 1. p. q. 63. art. 5.
d In 2. diſt. 5. q. 1

dicti ſunt. Ita Cajetanus, & plures alij Thomiſtæ.

Quot morulæ ſeu ſpatia exſtiterint inter Angelorum creationem, & eorumdem beatitudinem vel pœnam.

Magiſter ſent. conſtituit tres moras, in prima omnes fuerunt in puris naturalibus; in ſecunda meruerunt boni, & mali peccauerunt; in tertia bonis fuit conceſſa gratia qua meruerunt & ſimul fuerunt in præmio, mali autem demeruerunt ſibi gratiam apponi, & ſic conſtituuntur in pœna. Hæc tamen opinio non arridet, nam ſi gratia & meritum poſſunt eſſe ſimul, meritum tamen quod fundatur in gratia nequit eſſe ſimul cum gloria. Sed illam debet antecedere: Ideò ſunt alij modi dicendi magis probabiles; primus eſt quod ſi Angeli fuerunt creati in pura natura (de quo dubium eſt in Scoti doctrina) in illis fuerunt quatuor morulæ; In prima fuerunt in puris naturalibus: In ſecunda omnes habuerunt gratiam, boni meruerunt, & mali peccauerunt: In tertia boni perſeuerauerunt in bono, & mali in malo: In quarta fuerunt omnes in termino, boni in gloria & mali in pœna. Ita Scotus qui hunc dicendi modum probabilem reputat; ita etiam Faber, & alij Scotiſtæ: Et probabilem quoque exiſtimat Suares ſuppoſito quòd Angeli creati ſint in puris naturalibus. Suppoſito autem quòd Angeli creati ſint in gratia, vt ſuprà probatum eſt, in illis fuêre tres moræ ſiue tria inſtantia; In prima mora omnes ſe diſpoſuerunt ad gratiam, & illam receperunt, & meruerunt per actum quo in Deum factorem ſuum & finem ſupernaturalem conuerſi ſunt: In ſecunda boni perſeuerauerunt in merito, exercendo bonos actus per totam illam moram ſucceſſiuè, & meruerunt augmentum gratiæ, mali verò in peccatum prolapſi à primo merito ceſſarunt, & fortaſſis plures malos actus ſucceſſiuè exercendo, gratiam amiſerunt: In tertia omnes fuerunt in termino, nam boni conſequuti ſunt pręmium & gloriam, mali verò ſupplicium & damnationem. Hæ autem tres morulæ ſunt aſſignandæ ſecundùm Scotum ad menſurationem adæquatam totius viæ Angelorum, quoad initium, medium, & terminum viæ. Et de hoc non licet dubitare, ſi enim cum S. Thoma duas aſſignemus, multa ſequuntur incommoda, potiſſimùm verò illud, quòd ſimul boni fuerint in merito & gloria, & mali in demerito & pœna, quod ſuprà oſtenſum eſt fieri non poſſe. Et ita ad faciliùs intelligendum & explicandum omne id quod ad Angelorum negotium pertinet, venit potiùs diuidenda in duas moras, illa ſecunda S. Thomæ, & ſic cum Scoto facilè conueniet. Et vt id etiam meliùs cunctis innoteſcat, ponit Scotus has propoſitiones. Prima, Meritum in Angelis præceſſit præmium. Secunda, Non fuerunt ſimul mali in demerito & in damnatione; in via, & in termino. Tertia, Omnes fuerunt creati vniformes. Quarta, Omnes habuerunt æquale tempus & ſpatium viæ,

Loco cit.

& eo inſtanti quo boni meruerunt, mali demeruerunt. Quinta, Deus non diſcreuit inter illos niſi priùs ipſimet ſeipſos diſcreuerint, vt ex S. Aug. ſuprà notauimus, nam Deus non eſt priùs vltor quàm quis ſit peccator. Sexta, Iſtæ morulæ non erant diuerſa inſtantia temporis diſcreti, nam aliàs diximus nullum eſſe tale tempus, nec erant quoque momenta indiuidua temporis ſucceſſiui, qualia ſunt inſtantia noſtri temporis, & indiuiſibilia cuiuſcumque motus ſucceſſiui, ſed erant diuerſa nunc æui, vel durationes quædam abſque ſucceſſione, coëxiſtentes tamen alicui motui ſucceſſiuo, & durantes per tempus ſucceſſiuum, ſicut æuum Angelorum, quod in ſe indiuiſibile eſt, coëxiſtit tamen tempori noſtro diuiſibili, immò ſucceſſiuo tempore illud metiri poſſumus. Eſt autem vna mora aut vnum inſtans Angelicum, vna operatio Angeli ſiue intellectus ſiue voluntatis, quæ quidem maiori & minori durationi, & tempori ſucceſſiuo coëxiſtere poteſt, prout Angelus magis aut minùs ſine vlla ſucceſſione intrinſeca in ipſa operatione, poteſt in ea perſeuerare.

Serm. 1 de Aduentu. *Gen. 1.* Quantùm durauit via bonorum & malorum Angelorum.

Sed quærunt nonnulli quantùm durauit via bonorum & malorum Angelorum. Reſpondent breuem fuiſſe: Ait enim S. Bernardus Diabolum peccaſſe in momento & in ictu oculi. Et Gloſſa etiam in illud Geneſis: *Diuiſit lucem à tenebris*, docet Dæmones primo die cecidiſſe. Scotus tamen loco citato docet eſſe veriſimile duas priores morulas fuiſſe temporarias, & duraſſe per tempus aliquod; nam quod ſpectat ad tertiam & poſtremam, quæ potiùs dicitur terminus quàm mora viæ, certum eſt quòd durabit à primo inſtanti in quo in termino fuerunt, vſque in æternum, cùm gloria bonorum, & pœna malorum in æternum ſit duratura. Per quod verò tempus aliæ moræ durauerint, valde incertum eſt, & arcana Dei in hoc, ſicut in alijs rebus ſcrutari non debemus, ne decipiamur: Exiſtimat Scot. primam moram fuiſſe modicam & correſpondere non ſolùm inſtanti, ſed etiam alicui parti temporis noſtri, fortè ſpatio vnius *Aue Mariæ*. Secunda fuit paulò diuturnior, multa enim in ea elapſa ſunt, nam Angeli mali peccarunt pluribus peccatis diuerſæ ſpeciei, videlicet luxuriâ ſpirituali, ſeu inordinato amore ſui, ſuperbiâ, odio Dei, inuidiâ, & alijs de quibus fusè dicemus in ſecundo Tractatu; hos autem actus nequiuerunt omnes ſimul habere, ſed vnum poſt aliud, quod non potuit fieri in vnico inſtanti. Et quod ſpectat ad bonos Angelos, prælium magnum iniuerunt aduerſus malos, quos iam tentauerat Lucifer eorum princeps, & ad peccandum induxerat, & victoriam reportarunt, & indè magis ac magis in merito perſtiterunt & firmati ſunt, mali autem ceciderunt. De hoc prælio habetur in Apocalypſi: *Factum eſt prælium magnum in cælo*, &c. Ad hæc

Apoc. 12.

enim

enim omnia tempus requiritur, vel diuerſa nunc æui noſtro tempori correſpondentia; Quantum autem fuerit illud tempus, ignoratur; ſolùm ſcitur Dæmones cecidiſſe antequam peccarent primi noſtri parentes, vt aiunt SS. Cyprianus [a], Chryſoſtomus [b], Iſidorus [c], & alij. Illi ergo primo die creati, ante ſextum diem quo creatus eſt Adam, ceciderunt. Et ſatis clarè patet, ex eo quod eorum vnus quem ferunt fuiſſe ipſum eorum principem Luciferum, in forma ſerpentis eoſdem parentes noſtros ex inuidia tentauit, ne poſſiderent quod ipſi per peccatum amiſerant. Vnde Sapiens, *Inuidiâ Diaboli mors intrauit in orbem terrarum.*

a *Lib. 1. de jeiuniis & tent. Chriſti.*
b *Hom. 22. in Gen.*
c *Lib. 1. de ſummo bono. cap. 12.*
Sap. 2.

Ex his itaque facilè concludendum eſt Angelos tum bonos tum malos, poſt conſummatum & completum viæ ſtatum & ſupradictas moras eis in tali ſtatu conceſſas, fuiſſe in termino; & bonos iuxta vniuſcuiuſque perfectionem, gratiam, & eiuſdem augmentum, necnon meritorum proportionem, beatitudinem ſupernaturalem fuiſſe conſecutos, & in ea confirmatos, tamque firmo ac indiſſolubili nexu Deo copulatos, vt non ſit eis metuendum, ne vllâ vnquam ratione poſſit ab eius amicitia excidere, aut diuelli & ſeparari; ſunt enim (vt de ſpiritibus iuſtorum in ſacra Apocalypſi ſcribitur) *Columnæ in domo Dei immobiles, & foras non egredientur ampliùs.* Sed in ſublimi ac magnifica fœlicitate & gloria exaltati erunt, ſemper in conſpectu eius Principes Regni æterni, & conuiuæ menſæ eius, gaudio æterno, & nunquam intermorituris delicijs perpetuo ſatiandi. Malos verò per oppoſitum, iuxta ſuorum demeritorum rationem, ſupplicijs æternis fuiſſe addictos, & in ſua nequitia obfirmatos & obſtinatos, vt ſequenti Tractatu fuſiùs dicemus. Et hæc doctrina à Sancto Auguſtino confirmatur: *Tales* (inquit) *creati ſunt Angeli vt ſi vellent, in beatitudinis luce perſiſterent; ſi autem vellent, etiam labi potuiſſent: Vnde & Sathanas cum ſequentibus legionibus cecidit, ſed poſt eius lapſum ita confirmati ſunt Angeli qui perſtiterunt, vt cadere omninò non poſſint, quia ne omninò iam caderent, virtutem incommutabilitatis acceperunt.* Et idem S. Aug. de vtriſque Angelis, bonis ſcilicet & malis loquens, necnon de diuerſa eorum ſorte, ait: *Beatitudinis igitur illorum (* bonorum Angelorum*) cauſa eſt adhærere Deo, quocirca iſtorum (* malorum*) miſeriæ cauſa ex contrario eſt intelligenda, quod eſt non adhærere Deo.*

Angelorum bonorum & malorum terminus viæ diuerſus.
Apoc. 3.
Lib. de Eccleſ. dogm.
Lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 1.

& eo inſtanti quo boni meruerunt, mali demeruerunt. Quinta, Deus non diſcreuit inter illos niſi priùs ipſimet ſeipſos diſcreuerint, vt ex S. Aug. ſuprà notauimus, nam Deus non eſt priùs vltor quàm quis ſit peccator. Sexta, Iſtæ morulæ non erant diuerſa inſtantia temporis diſcreti, nam aliàs diximus nullum eſſe tale tempus, nec erant quoque momenta indiuidua temporis ſucceſſiui, qualia ſunt inſtantia noſtri temporis, & indiuiſibilia cuiuſcumque motus ſucceſſiui, ſed erant diuerſa nunc æui, vel durationes quædam abſque ſucceſſione, coëxiſtentes tamen alicui motui ſucceſſiuo, & durantes per tempus ſucceſſiuum, ſicut æuum Angelorum, quod in ſe indiuiſibile eſt, coëxiſtit tamen tempori noſtro diuiſibili, immò ſucceſſiuo tempore illud metiri poſſumus. Eſt autem vna mora aut vnum inſtans Angelicum, vna operatio Angeli ſiue intellectus ſiue voluntatis, quæ quidem maiori & minori durationi, & tempori ſucceſſiuo coëxiſtere poteſt, prout Angelus magis aut minùs ſine vlla ſucceſſione intrinſeca in ipſa operatione, poteſt in ea perſeuerare.

Serm. 1 de Aduentu.
Gen. 1.
Quandiu durauit via bonorum & malorum Angelorum.

Sed quærunt nonnulli quantùm durauit via bonorum & malorum Angelorum. Reſpondent breuem fuiſſe: Ait enim S. Bernardus Diabolum peccaſſe in momento & in ictu oculi. Et Gloſſa etiam in illud Geneſis: *Diuiſit lucem à tenebris*, docet Dæmones primo die cecidiſſe. Scotus tamen loco citato docet eſſe veriſimile duas priores morulas fuiſſe temporarias, & duraſſe per tempus aliquod; nam quod ſpectat ad tertiam & poſtremam, quæ potiùs dicitur terminus quàm mora viæ, certum eſt quòd durabit à primo inſtanti in quo in termino fuerunt, vſque in æternum, cùm gloria bonorum, & pœna malorum in æternum ſit duratura. Per quod verò tempus aliæ moræ durauerint, valde incertum eſt, & arcana Dei in hoc, ſicut in alijs rebus ſcrutari non debemus, ne decipiamur: Exiſtimat Scot. primam moram fuiſſe modicam & correſpondere non ſolùm inſtanti, ſed etiam alicui parti temporis noſtri, fortè ſpatio vnius *Aue Mariæ*. Secunda fuit paulò diuturnior, multa enim in ea elapſa ſunt, nam Angeli mali peccarunt pluribus peccatis diuerſæ ſpeciei, videlicet luxuriâ ſpirituali, ſeu inordinato amore ſui, ſuperbiâ, odio Dei, inuidiâ, & alijs de quibus fusè dicemus in ſecundo Tractatu; hos autem actus nequiuerunt omnes ſimul habere, ſed vnum poſt aliud, quod non potuit fieri in vnico inſtanti. Et quod ſpectat ad bonos Angelos, prælium magnum iniuerunt aduerſus malos, quos iam tentauerat Lucifer eorum princeps, & ad peccandum induxerat, & victoriam reportarunt, & indè magis ac magis in merito perſtiterunt & firmati ſunt, mali autem ceciderunt. De hoc prælio habetur in Apocalypſi: *Factum eſt prælium magnum in cælo*, &c. Ad hæc

Apoc. 12.

enim

enim omnia tempus requiritur, vel diuerſa nunc æui noſtro tempori correſpondentia; Quantum autem fuerit illud tempus, ignoratur; ſolùm ſcitur Dæmones cecidiſſe antequam peccarent primi noſtri parentes, vt aiunt SS. Cyprianus [a], Chryſoſtomus [b], Iſidorus [c], & alij. Illi ergo primo die creati, ante ſextum diem quo creatus eſt Adam, ceciderunt. Et ſatis clarè patet, ex eo quod eorum vnus quem ferunt fuiſſe ipſum eorum principem Luciferum, in forma ſerpentis eoſdem parentes noſtros ex inuidia tentauit, ne poſſiderent quod ipſi per peccatum amiſerant. Vnde Sapiens, *Inuidiâ Diaboli mors intrauit in orbem terrarum.*

a *Lib. 1. de jejuniis & tent. Christi.*
b *Hom. 22. in Gen.*
c *Lib. 1. de ſummo bono. cap. 12.*
Sap. 2.

Angelorum bonorum & malorum terminus viæ diuerſus.

Ex his itaque facilè concludendum eſt Angelos tum bonos tum malos, poſt conſummatum & completum viæ ſtatum & ſupradictas moras eis in tali ſtatu conceſſas, fuiſſe in termino; & bonos iuxta vniuſcuiuſque perfectionem, gratiam, & eiuſdem augmentum, necnon meritorum proportionem, beatitudinem ſupernaturalem fuiſſe conſecutos, & in ea confirmatos, tamque firmo ac indiſſolubili nexu Deo copulatos, vt non ſit eis metuendum, ne vllâ vnquam ratione poſſit ab eius amicitia excidere, aut diuelli & ſeparari; ſunt enim (vt de ſpiritibus iuſtorum in ſacra Apocalypſi ſcribitur) *Columnæ in domo Dei immobiles, & foras non egredientur ampliùs.* Sed in ſublimi ac magnifica fœlicitate & gloria exaltati erunt, ſemper in conſpectu eius Principes Regni æterni, & conuiuæ menſæ eius, gaudio æterno, & nunquam intermorituris delicijs perpetuo ſatiandi. Malos verò per oppoſitum, iuxta ſuorum demeritorum rationem, ſupplicijs æternis fuiſſe addictos, & in ſua nequitia obfirmatos & obſtinatos, vt ſequenti Tractatu fuſiùs dicemus. Et hæc doctrina à Sancto Auguſtino confirmatur: *Tales* (inquit) *creati ſunt Angeli vt ſi vellent, in beatitudinis luce perſiſterent; ſi autem vellent, etiam labi potuiſſent: Vnde & Sathanas cum ſequentibus legionibus cecidit, ſed poſt eius lapſum ita confirmati ſunt Angeli qui perſtiterunt, vt cadere omninò non poſſint, quia ne omninò iam caderent, virtutem incommutabilitatis acceperunt.* Et idem S. Aug. de vtriſque Angelis, bonis ſcilicet & malis loquens, necnon de diuerſa eorum ſorte, ait: *Beatitudinis igitur illorum (* bonorum Angelorum *) cauſa eſt adhærere Deo, quocirca iſtorum* (malorum) *miſeriæ cauſa ex contrario eſt intelligenda, quod eſt non adhærere Deo.*

Apoc. 3.

Lib. de Eccleſ. dogm.

Lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 1.

SECTIO VII.

De conformitate voluntatis Angelicæ cum diuina.

SI boni Angeli (vt ſuprà dictum eſt) ita immobiliter adhæreant obiecto ſupernaturali quod ſemel apprehenderunt, & eo fruantur, nulli dubium eſt quin continuò eorum voluntas maximo affectu diuinæ voluntati ita ſit conformis, vt nunquam ab illa tantillùm diſcrepet, ſicut Pſaltes Regius his verbis comprobat: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius, miniſtri qui facitis voluntatem eius.* Ita vt notet Origenes illos omnem ſuam potentiam non in detrectando Dei imperio, ſed in obtemperando ipſius voluntati collocare, & ad hoc potentes eſſe vt audiant vocem Dei, & opere quæ audierint conſtanti voluntate adimpleant, planè ſcientes omnem ſuam dignitatem & auctoritatem, in obediendo eſſe poſitam. Vnde apud Ezechielem dicitur: *Ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Quod miram eorum in obediendo celeritatem ſignificat. Hinc ipſi non tantùm vulgo ſed etiam in ſacris litteris alati & nudis pedibus depinguntur; & hunc eos depingendi morem obſeruat Eccleſia, vt indicetur eorum celeritas & agilitas in diuinis adimplendis mandatis, vt præclarè admodum notauit S. Dionyſius. Ita vt in rei veritate dicere poſſimus nullam eſſe Ceruorum, Aquilarum, & quorumcumque animalium, immò & orbium cæleſtium velocitatem, quæ eorum celeritatem valeat adæquare. Non habent quidem alatos (vt Mercurius) pedes, ſed promptam & expeditam voluntatem quâ cælum petant, atque inde ad nos reuolent mirabili celeritate, vt diuinis bonis fruamur. Quod expreſsè ſatis in ſcala Iacob conſpicimus, per eam enim *aſcendebant & deſcendebant Angeli*: Vnde S. Cyrillus Alexandrinus in hoc myſterio animaduertit beatorum Angelorum *ſurſum ac deorſum diſcurſum* pro ſalute omnium hominum, ad quam procurandam mirum in modum veloces ſunt, vt diuinæ voluntati faciant ſatis. De his mundi adminiſtris, & protectoribus noſtris, loquens Lactantius. *Quorum* (inquit) *vnum ſolidumque officium eſt ſeruire nutibus Dei, nec omninò quicquam niſi eius iuſſa facere.* Hinc Magnus Dionyſius pingi Angelos Equorum effigie animaduertit, vt ſtatim ex Zacharia dicemus, quò ſignificaretur obedientia celerrima promptuſque animus ad ſequendos Dei regentis & moderantis frænos, & explendam vbique eius voluntatem & ſtudio inflamma-

Angelorum voluntas eſt diuinæ conformis, & illam adimplent.
Pſal. 102.

Ezech. 1.
Eſa. 6. &
Apoc. 4.
Angeli cur alati & nudis pedibus depinguntur.
De Cel. hier. cap. 15.

Gen. 28.
S. Cyrill. in Gen. lib. 5.

Lib. 2. inſt. cap. 17.
De Eccleſiaſtica hier.

to, perficienda incredibili celeritate eius mandata, in his potiſſimùm quæ ad ipſius amplificandam gloriam & iuuandos mortales afflictos & calamitoſos conſiſtunt. Et ob eam quoque rationem notat Cyrillus Alexandrinus vbique in ſacris litteris pòni ſtantes; ſtationis autem vocabulo ſignificari, eos ignauiæ non ſuccumbere, ſed mentem velut erectam & expertem imbecillitatis, atque ad numini obediendum habere promptiſſimam; eoſdemq; in oraculis Prophetarum nominari myſticas rotas, ait S. Dionyſius, ob perennem & continuum motum quo circà bonum voluuntur. De tanta celeritate plura alia dicemus, cùm oſtendemus illos eſſe velociſſimos, capit. 10. ſect. 5. Et proptereà aiebat Sanctus Iob, *Sub quo curuantur qui portant orbem*, id eſt, Angeli qui mouent orbes cæleſtes ſub Deo curuantur & ei obediunt. Et alibi, *Columnæ Cæli contremiſcunt & pauent ad nutum eius.* Hoc eſt, Angeli coram Deo aſſiſtunt, & ad nutum eius obediunt mandatis. Vnde in oratione Dominica, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*; Hoc eſt, Angeli qui in Cælo habitant ſicut tuam exequuntur voluntatem, & ne tantillùm quidem à diuino tuo nutu diſcrepant, ita homines in terra eandem tuam voluntatem exequi cunctis viribus curent. Ad magis autem explicandam eorum obedientiam & ſubiectionem, qua Deo præſidenti in omnibus & per omnia ſine vlla contradictione obtemperant, & voluntatem eius executioni demandant, apud Zachariam in ſimilitudinem grandis exercitus Equorum alborum & variorum, vno ſolo ceſſore viſi ſunt. Et hoc modo de ipſis Sanctis Angelis intelligi poſſunt hæc Canticorum verba: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* Per equitatum enim Nyſſænus, Aponius, & Sanctus Bernardus intelligunt Angelos, qui vti olim tanquam obedientiſſimi Equites Dei proſtrauerunt currus Pharaonis in mare, ita nunc proſternunt Dæmones, & quoſlibet homines animam iuſti impugnantes. Sicque his & alijs penè infinitis modis, ſeſe Deo obedientes exhibent. Aduertendum itaque puriſſimas illas mentes equitatus nomine non inſigniri quòd Deo his armatis legionibus opus ſit, quibus beatæ Patriæ fines & Empyreos Ciues tueatur, cùm tali tantâque ſit potentiâ præditus vt ipſum nullius potentia lædere valeat, nec etiam quod ipſa Angelica natura ad ſui defenſionem, vllis indigeat præſidijs, quaſi aliquos hoſtes timeret, ſed hoc nomine donantur cæleſtes illi ſpiritus, & velut Equis feruntur, clypeum[illegible]que & galeam portant, quaſi armati incedentes, hominis [illegible]olùm gratiâ, quo illum à ſuis hoſtibus Dei mandato tueantur & [illegible] protegant. Quod præclarè oſtenditur ex eo quòd Angeli [illegible]ntur laudantes & canentes, *Gloria in Excelſis Deo, & in terra pax [illegible] hominibus bo-*

In cap. 1. Zachar.

De Eccleſ. hier.

Iob 9.

Iob 26.

Matth. 6.

Zach. 6.

Cant. 1.

Angeli equitatus nomine donantur, & cur.

Luc 2.

næ voluntatis, & pacem hominibus annuntiantes, dicuntur militia cæleſtis: ſed ſi milites ſunt, vbi litui? vbi criſtatæ galeæ? vbi haſtæ aut ſagittæ quæ bellatores demonſtrarent? potiùs ex ipſo cantu nuntiatâ pace hominibus bonæ voluntatis muſicos ſuauiſſimè modulantes ſe exhibent quàm milites. At dicendum ipſos in hominum gratiam & ſubuentionem fieri milites, cùm enim homines eſſent dimicaturi & imbecilles ſint, atque hoſtium viribus impares, operæpretium eſt vt diuinâ prouidentiâ auxiliatores Angelos habeant. Sicut autem ipſi promptâ ac conſtanti voluntate in diuinis exequendis mandatis, atque hominibus cuſtodiendis, protegendis, & inſeruiendis pollent, ita ſunt tantâ tamque tenaci memoriâ præditi, vt nulla illis vnquam ſubrepat obliuio, quod enim ſemel hauſerunt omni æuo conſeruant.

Angeli in hominum fauorem ſunt milites.

CAPVT V.

SECTIO I.

Exponitur Ezechielis locus ad ampliorem prædictorum confirmationem, & ad Angelorum nonnullas perfectiones intelligendas.

Ezech. cap. 28. Angelorum perfectiones plurimæ.

APVD Ezechielem quædam verba legimus, quæ etiamſi ſub figura Regis Tyri à S. Gregorio explicentur de Lucifero ſecundùm naturales eius perfectiones ſpectato; Non deſunt tamen Auctores probatiſſimi, qui illa cuilibet Angelo poſſe accommodari probè iudicent. *Tu ſignaculum ſimilitudinis* (inquit Propheta) *plenus ſapientiâ, & perfectus decore, in delicijs Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaſpis, Chryſolitus, & Onyx, & Beryllus, Sapphirus, & Carbunculus, & Smaragdus, aurum quoque decoris tui, & foramina tua in die quâ conditus es, præparata ſunt.*

Vocat ergo primò Angelum *Signaculum ſimilitudinis Dei*, quia non tantùm ſimilis factus fuit Deo, vt homo de quo dicitur in Geneſi: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſed quia expreſſior ſimilitudo & imago in eo eſt quàm in homine. Et ratio eſt, quia ipſa Dei ſimilitudo & imago in gradu naturæ intelligentis conſiſtit, qui gradus, quia perfectior eſt in Angelo quàm in homine, ideò perfectiùs & excellentiùs Angelus præ homine gerit Dei imaginem & ſimilitudinem. Magna profectò Angelorum

Gen. 1.

dignitas, quibus datum eſt vt Deo ſimiles inueniantur, vt quo modo Pictores vultum ex vultu exprimere ſolent, ſic Angelus ad imaginem Dei ſit factus atque formatus: Et quemadmodum in Deo eſt omnis dignitatis, ſanctitatis, ſapientiæ, poteſtatis & honoris eminentia, ita qui eſt ſignaculum ſimilitudinis eius, ſit & ipſe ſanctitate, ſapientiâ, dignitate, potentiâ & honore ſublimis & eminens, vt tantò perfectior ſit imago & ſimilitudo, quantò ſublimior atque perfectior fuerit ipſa natura eiuſque dona. Hæc enim ſimilitudo in Dei donis ſita eſt atque in virtutibus ipſis, quibus qui magis ſunt exornati, magis etiam Deo ſimiles euadunt. Andręas Cęſarienſis in Apocalypſim docet hoc ſignaculi ſeu ſigilli epitheto, non ſolùm eximiam deſignari cuiuſlibet Angeli perfectionem, verùm etiam egregiam operam quam hominibus præſtant. Quemadmodum enim Regium ſigillum non ſolùm Regis ſtemmata inſculpta pręfert, ſed etiam eadem imprimit & exprimit in alijs rebus, quod eſt ſigilli ſeu ſignaculi proprium munus, ita conſultiſſimè Angelus dicitur *ſigillum ſeu ſignaculum diuinæ ſimilitudinis*, quia totus eſt ad reſculpendam ſeu denuò excudendam in hominibus Dei ſimilitudinem, & probitatis illuſtre ſtemma. Hinc Angeli ipſi ex omni induſtria homines cuſtodiunt, armant, erudiunt, ſeruant, & promouent vſque ad empyream gloriam, vbi ſimiles Deo erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt: vt fuſiùs dicemus dum de eorum cuſtodia ſermonem inſtituemus. *In 19. Apoc.*

Dicitur etiam Angelus *plenus ſapientiâ*, quia vt iam dictum eſt, Deus intellectum eius omni ſcientiarum genere exornauit, quo facillimè & ſeipſum, & reliquos Angelos, & omnia creata poſſet intelligere, nec indiget pro vſu & exercitatione ſcientiæ tam abſolutæ & perfectæ, ſicut nos indigemus replicatâ compoſitione conceptuum, ratiocinationum ambage, longóve diſcurſu, ſed ſimplici primæ operationis intuitu, quemadmodum nos prima principia, ſic ipſi plurima quæ inde ſequuntur, non tamen expectatâ ratiocinatione vel diſcurſu, vni co celeri motu mentis perfectiſſimè aſſequitur; non ſolùm autem Deus illi ſcientias infudit naturales, ſed etiam ſupernaturales, infundendo illi fidem & cognitionem multorum myſteriorum ſupernaturalium. Eius autem voluntatem omni virtutum genere & gratiâ habituali condecorauit, vt ſuprà diximus: & forſitan ob tantas perfectiones intellectui & voluntati Angelorum à Deo infuſas, eos ſub Cęli ac lucis creatione voluit comprehendere Moyſes, quanquam obſcurè & implicitè. Si quis autem percunctetur cur in mundi opificio magis expreſsè eorũ non meminerit, cùm in creaturis corporeis recenſendis tam diligẽtem ſcriptorem ſe oſten-

S. Baſyl. lib. de ſpiritu ſancto c. 16. S. Hieron. epiſt. 139. ad Cypr. Theodor. q. 2. in Gen.

Cur Moyſes creationis Angelorum non meminerit.

derit. Reſpondent nonnulli, vt SS. Baſilius & Hieronymus, ideò ipſum Moyſem ibi Angelorum non meminiſſe, quia ſolam ſcribendam creationis rerum viſibilium ſuſceperat hiſtoriam. Aliter reſpondet Theodoretus, id factum eſſe à Moyſe, Dei afflante ſpiritu, nam cùm populum inſtituendum ſuſcepiſſet, qui ſpiritalia non percipiebat, erat ſiquidem valdè rudis, atque diuinorum myſteriorum incapax, conſulto inuiſibiles illas creaturas deſcribere noluit, ne fortè tactu temporis eis ad idololatriam propenſis, anſam daret illos colendi veluti Deos, potuiſſent enim imaginari (inquiunt alij) hos Angelos quorum pulchritudinem & excellentiam vidiſſent à Moyſe deſcriptos, fuiſſe Dei ad eorum liberationem de Ægypto cooperatores, ac ita potenter ad talem liberationem egiſſe ac ipſe Deus eget, ſicque illos exiſtimaſſent Deos, & vt tales adoraſſent, nam ſi tam facile Vitulum conflatilem tanquam Deum adorauit populus

Exod. 32.

iſte Hebręus, profectò faciliùs Angelos qui pręſtantiſſimæ & eminentiſſimæ ſunt creaturæ tanquam Deos adoraſſet. Propter hanc cauſam de Moyſi corpore altercatus fuit Michaël Archangelus cum

S. Iudas.

Dęmone, vt dicitur in Epiſtola Canonica S. Iudæ, etenim Dęmon nitebatur Hebręis notum facere corpus Moyſi, vt illis errandi & idololatrandi occaſionem pręberet, quam voluit è medio tollere Archangelus Michaël, celans & abſcondens Moyſi corpus vt reuerà fecit. Quod ſi id pręſtitit Sanctus Michaël illos pręuidens in idololatriam lapſuros, ita Moyſes ſpiritu prophetico illuſtratus, ob idem periculum expreſsè mentionem creationis Angelorum facere non debuit, ſed ſolùm ſub cæli & lucis nominibus, maximè ob eorum pręſtantiam, ſapientiam & alias perfectiones eos comprehendere

a. S. Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 19.
b Gen. 1.
c Iacob. cap. 1.

voluit, vt ſuprà dictum eſt. Et hoc ſenſu S. Auguſt. [a] explicat illud Geneſis, *diuiſit lucem à tenebris*, id eſt diuiſit Angelos bonos à malis, id quoque colligi videtur ex eo quod habet S. Iacobus [c] *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*, per illum Patrem, Deum ipſum intelligunt omnes: Sed dubium eſt quænam ſint illa lumina quorum Deus appellatur Pater, quando creaturis perfecta dona largitur. Aliqui Interpretes S. Nazianz. ſequuti, cenſent hæc lumina eſſe Angelos, hæc ſunt verba

Orat. 2. de Paſcha.

S. Nazianzeni, *Secundi ſplendores procreati ſunt, primi ſplendoris adminiſtri, primario Dei fulgore collucentes.*

Angelorum decor quàm ſit ingens.

S. Anſelmus.

Dicitur etiam Angelus in prædicta auctoritate *perfectus decore*, nam eius pulchritudo talis eſt vt vix queat verbis comprehendi, vel mente concipi. Vnde Sanctus Anſelmus in quodam ſermone ait, *Quòd ſi vnus Angelus ſtaret in cælo ſtellato; & tot eſſent ſoles quot ſunt ſtellæ, claritas & pulchritudo iſtius Angeli obfuſcaret omnes illos ſoles; ſi-*

cut modò claritas ſolis obfuſcat claritatem Stellarum. His conuenit quod de illa pulchritudine habet S. Bernardinus Senenſis, *Minimus Angelorum exiſtens in vita æterna, eſt decies pulchrior, quàm eſt pulcherrima, anima quàm fecerit Deus, exceptâ animâ Chriſti, & Virginis glorioſæ.* Et Beata Brigitta, *Si videres*, inquit, *ſpiritualem pulchritudinem Angelorum & animarum ſanctarum, corpus tuum non ſufficeret videre, ſed corrumperetur, quaſi vas corruptum & putridum, propter gaudium animæ tuæ ex viſione, & anima à corpore diſſolueretur.* Et ſancta Ludouica dicere ſolita erat, *Nullus dolor eſt, nulla tanta animi anguſtia & ægritudo quæ non facile euaneſcat, ſi mihi vultum Angelicum liceat contemplari.* Vnde S. Dionyſius in cæleſti Hierarchia ita definit Angeli pulchritudinem, *Angelus eſt imago Dei, manifeſtatio occulti luminis, ſpeculum clarum, clariſſimum, immaculatum, incoinquinatum, totum (ſi conueniens eſt dicere) ſuſcipiens in ſe pulchritudinem omniformis Dei, formoſitatis mundæ reſplendere faciens in ſe bonitatem ſilentij.* Et eſt quod confirmat S. Gregorius Nazianzenus loquens de Angelis, *atque ita* inquit, *ſecundi ſplendores procreati ſunt, primi ſplendoris adminiſtri,* & infrà addit loquens de ijs intelligentijs, *primario Dei fulgore collucentes*, vt paulò ſuperiùs diximus. Ad maiorem igitur tantæ pulchritudinis confirmationem, non eſſet opus in medium aliud adducere quàm quod in verbis quæ exponimus Ezechielis continetur, vbi habetur, *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Sardius, Topazius,* &c. Ezechiel comparat Angelum nouem lapidibus pretioſis, & exquiſitiſſimis, vt denotaret diuerſa virtutum genera, quibus Angeli fuerunt in ſua natura decori. Prior ergo quilibet Angelus *Sardio* dicitur ſimilis, quia ſicut Sardius ignis habet ſpeciem, ac feris terrorem incutit: ſic Angelus & præſertim Seraphin charitate ardet, & Dæmonibus terrorem incutit.

Cap. 8. reuelat.

S. Dyon. de cel. Hierarch.

Orat. de Natiuit. Chriſti.

Topazius eſt viridis gemma, quam dicit Iſidorus lib. 17. cap. 7. omni colore reſplendere: ſic Angelus dum omni virtutum genere reſplendet, earum viriditas nunquam emarceſcit.

Iaſpis viret & iſte lapis admodum firmus eſt, & ſolidus non mutabilis nec inconſtans.

Chryſolitus auro dicitur ſimilis, habens ſcintillas ardentes, *vt ait Beda*, ſic Angelus vera ſapientia fulgens illuminando alios, varias veritates tanquam ardentes ſcintillas è ſe emittit, & inferiores illuſtrat.

Onix gemma eſt tranſlucido colore vnguem hominis referens: ſic Angelus innocentiæ candore nitet.

Berillus viriditate ſimilis eſt Smaragdo, ſed cum pallore qui politur ſex angula figura, alias hebeſcit, *inquit Plinius*, quia ſplendori

virtutum oportet adiungere opera bona per ſenarium numerum ſignificata, quia ſex diebus Deus compleuit omnia opera ſua, & nobis ſex dies aſſignantur, quibus operari opportet, neque enim virtutes poſſunt eſſe otioſæ, aliàs fulgorem ſuum amittent & hebeſcent.

Saphirus cærulea eſt ſicut cælum ſerenum, & aureis punctis collucet, & ſcalpi non poteſt, *teſte Plinio*, lib. 37. cap. 9. huic rectè Angeli comparantur, quia eorum conuerſatio in cælis eſt, aurea puncta inſignem charitatis exprimunt ardorem: & ſcalpi non poteſt, quia firmi ſunt & inuicti.

Smaragdus, hæc gemma adeò viridis eſt, vt quæ maximè viridia cenſentur, illi comparata nequaquam virere videantur, oculorum aciem laſſam recreat, nullius coloris aſpectus iucundior, nam herbas virentes frondeſque auidè ſpectamus, & inſtar ſpeculi imagines rerum reddit, *hec Plinius:* Sic viror Angelorum nunquam deficit, ſed ſemper in eadem quaſi nouitate & viriditate manet: Omnes Angeli igitur inſtar horum lapidum, ſunt omnes perlucidi, puri, ſynceri & veluti clariſſima ſpecula & perlucida, quæ diuinam imaginem & ſimilitudinem perfectè in ſe recipiunt, & elegantiſſimè depictam ferunt.

Quam ingẽs ſit Angelis cuiuſlibet pulchritudo videlicet lapidibus pretioſis cõparata.

Si ergo dicatur quilibet Angelus tot gemmis ſiue lapidibus pretioſis indutus & ornatus, quæ pulchritudo maior poſt Chriſtum, & B. Virginem poſſet excogitari? Sunt tamen nonnulli qui per nouem illarum gemmarum differentias apud Ezech. intelligant nouem Angelorum odines, ſed quicquid ſit, id non officit Angelorum pulchritudini: vnde etiam additur, *aurum opus decoris tui.* Illam Angelicæ naturæ pulchritudinem admiratus S. Ioannes, voluit Angelum qui ei apparuit, adorare, exiſtimans illum eſſe Deum, & de facto illum adoraſſet, niſi ipſe Angelus prohibuiſſet dicens, *vide ne feceris, conſeruus tuus ſum.* Sed mirandum non eſt, nam cùm Moyſes cum Deo in Monte Sinaï vt Legem ſuſciperet conuerſatus eſſet, aliquorum dierum ſpatio, ex illius còlloquio tantus fuit ſplendor in Moſis facie, vt non poſſent in eum intendere filij Iſraël, atque ita impoſito ſuper oculos velamine, cum eis loquebatur; quantus erit ſplendor eorum qui facie ad faciem Deum ſemper vident? quantâ pulchritudine pollere debent? profectò tanta eſt eorum pulchritudo, vt meritò homines cùm aliquem à pulchritudine laudare volunt eum Angelicam faciem habere dicant. Vnde in libro Iudicum legimus, vxorem Manue Samſonis matrem, nunciaturam marito vidiſſe ſe virum egregium, ait illum vultu Angelico fuiſſe preditum. Talis erat iuuenis quem Tobias iunior habuit itineris Ducem, quem Scriptura vocat iuuenem ſplendidum. Regina Heſter dicebat Regi

Apoc. 22.

Iudicum 13.

Tob. 5.

Aſſuero:

Aſſuero: *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, &c.* *Heſter 15.*

Vulgò etiam de puero ſcito & eleganti dici ſolet, cum formâ eſſe ſimilem Angelo. Et ſi qui pueri dantur in Theatrum qui Angelos referant, elegantiſſimi quique ſeliguntur, quod talibus illi ſoleant apparere corporibus cùm Dei nuncios agunt. Sic in natiuitate Chriſti Domini gloria & claritate circumfulſerunt. Ita in *Luc. 2.* eius reſurrectione facies Angeli inſtar fulguris coruſcabat, & veſtimenta eius candida erant ſicut nix, vt aptiùs gloriam Domini ſui repræſentaret. Cùm autem nihil pulchrius formoſiuſque ipſa Chriſti gloria & incomparabili ſplendore ac decore reperiatur: debuerunt Angeli vt tantam repręſentarent gloriam, ſupradicta claritate & pulchritudine irradiare, ſicut de facto in cælo, & vbicumque exiſtunt mirum in modum reſplendent & clareſcunt. Vnde S. Lucas, vt formoſiſſimum fuiſſe S. Stephanum indicaret, ait, *Intuentes in* *Act. 6.* *eum omnes qui ſedebant in Concilio, vt viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli ſtantis inter illos*, quia poſt Dei faciem nihil facie Angelicâ elegantius & pulchrius. Vnde S. Ioannes in Apocal. Scribit Angelum vnum claritate ſuâ illuminaſſe terram: & Hebræi, vt notat Zohar, aiunt Angelos eſſe firmamenti faciem, quia nihil *Gen. 1.* formoſius auguſtiuſque, nihil in rebus corporeis magis elucet; & ſicut claritate ſiderum firmamenti quæ ſunt in eo quaſi ſparſi flores refulget mundus, ita Angeli iſtius mundi flores ſunt, quorum claritatibus ornatur mundus, vt perbellè notat S. Ambr. in hæc verba Lucæ: *Conſiderate lilia agri.* Hæc autem mundialis agri lilia, quæ ni- *Luc. 12.* ueo puritatis candore ſic pulchrè florent, ſunt ipſi Angeli, immò fructus pariunt optimos, atque prouentus fœcundos virtutum, ſanctimoniæ & puritatis in hominibus faciunt.

Abundè nobis ſufficeret ad talem Angelorum pulchritudinem probandam, decor ille cæli empyrei, in quo conditi ſunt, & quod inhabitant, qualis enim aula, tales aulici, immo multò ſpecioſiores, omnis enim corporalis pulchritudo ad illam immaterialem eorum ſpeciem comparata, deformitas quædam & turpitudo eſt. Nulli autem dubium eſt quin tantus decor & pulchritudo Angelorum ex eorum multiplici perfectione coaleſcat. Et ſi ſtatuere velimus *1 p. q. 50.* cum S. Thoma Angelos ſpecie differre, ſicut differt equus à leone, *art. 4.* & miluus à columba, &c. (quamuis aliter ſentiat Doctor noſter ſubtilis, vt poſteà conſtabit) & cum hoc attendamus Ariſtotelem dicere rerum ſpecies vt numeros ſe habere, quòd videlicet ſicut ſuperior numerus inferiorem continet, & aliquid ſibi proprium ſuperaddit; ita ſuperior ſpecies inferiorum ſpecierum perfectiones non ſolùm continet, ſed etiam & ſuam ſibi peculiarem; Hoc ſuppoſito ſi ab in-

feriori Angelorum ordine exordium ſumamus, dicemus primum (ab infimo numerare incipiendo) tātā donari pulchritudine ac perfectione, vt res omnes corporeas maximo interuallo ſuperet, & ſuā nihilominùs retineat; ita ſecundus inferioris huius ordinis, ipſius infimi perfectionem continet, & ſuam quoque retinet; Tertius verò vtriuſque præcedentis pulchritudinem complectitur, & ſuam item ſuperaddit; Quartus etiam Angelus omnes has perfectiones amplectitur, & ſuam item ſuæ ſpeciei & naturæ congruentem: & hâc ratione omnes Angelorum ordines percurrendo & contemplando ab inferioribus ad ſuperiora conſcendentes, ad ſupremum vſque Seraphinum perueniendum erit; Cùm igitur ipſe omnes inferiorum Angelorum quorumlibet ordinum pulchritudines perfectioneſque, & ſuam item contineat, Angeli autem vt ſuprà diximus, nullo numerô à nobis comprehendi valeant, qualis quæſo erit illius ſpeciei pulchritudo & perfectio, quæ innumeras intra ſe perfectiones inferiorum, & ſuam item continet? Poteſt-ne aliquis hominum reperiri qui hoc valeat animo comprehendere, & verbis enarrare? Minimè profectò: Hinc vlteriùs ipſorum Angelorum Dominum conſideremus, qui has omnes perfectiones continet, & inſuper infinitas alias ſuæ diuinitati proprias in ſe vno complectitur: ſi ergo Sole ſplendidiſſimo lucente, & ſuos radios in meridie emittente, tantum fulgorem alia ſidera ferre non poſſunt, & obfuſcantur, multò magis ante jubar fulgentiſſimum Deum Opt. Max. omnes ſiderum, hoc eſt, Angelorum aliarumque rerum creatarum perfectiones vix vllæ erunt, & tantæ pulchritudini diuinæ collatæ, quaſi omninò obfuſcatæ videbuntur.

Angeli creati in fœlicitate naturali.

Additur, *In delicijs Paradiſi fuiſti.* Quibus verbis ſignificat Ezechiel Angelum fuiſſe creatum in beatitudine naturali, & tunc fuiſſe perfectum quoad naturalia, cùm ei contulerit Deus omnia bona naturalia quæ primæ creationi debebantur; non fuiſſe verò creatum in beatitudine ſupernaturali, ſed ſolùm adeptum fuiſſe gratiam & alia ſupernaturalia bona, quibus ad ſupernaturalem illam beatitudinem & gloriam peruenire poterat, vt iam ſuprà diximus:

Lib. 2. diſt. 4.

Vnde preclarè dicit Magiſter Sententiarum, Angeli nec beati nec miſeri ſunt creati, hoc eſt, nec in beatitudine ſupernaturali, nec in miſeria peccati aut pœnæ, ſed tantùm in beatitudine naturali & in gratia ſunt conditi, vt dictum eſt; ſi enim fuiſſent in beatitudine ſupernaturali omnes creati, nulli cecidiſſent: Igitur ſolummodò erant valde parati & diſpoſiti ad illam, vt colligimus ex ipſiſmet Ezechielis verbis: *Et foramina tua in die qua conditus es præparata ſunt.*

SECTIO II.

Nonnullæ aliæ Angelorum perfectiones recenſentur, & potiſſimùm S. Michaëlis in datione Legis in monte Sina.

PRofectò ſi quid in rebus ſenſibilibus pulchrum, ſpecioſum, fulgidum, inſigne & decorum reperiatur, hoc ad effigiendam nobis Angelicam celſitudinem, teſte S. Dionyſio aptatur & ſumitur; ad inſinuandam enim eorum claritatem & multitudinem (de qua poſteà agendum) comparantur ſtellis, ſicut apud Iob legimus: *Vbi eras quando me laudabant aſtra matutina?* Hoc eſt, Angeli, qui diuinas laudes decantabant. Ad eorum oſtendendam potentiam & fortitudinem proponit eos Scriptura ſub ſpecie multorum curruum ignitorum in monte, Elizeo & Gieſi puero ſuo timore conſternato, ad eorum defenſionem apparere, quoniam in tota natura ſenſibili nihil actiuius, efficacius & potentius igne. Ad eandem ampliùs inſinuandam viſi ſunt in ſpecie caſtrorum à Patriarcha Iacob profugo. Vnde cùm vidiſſet eos, protinùs dixit: *Caſtra Dei ſunt hæc.* S. Hieronymus in traditionibus Hebraïcis, notat quòd tunc temporis Iacob fratrem Eſaü natu maiorem placare intendebat, & ideò ne quid detrimẽti ab eo pateretur, occurrerunt ei Angeli Dei, Vbi ait S. Hieron. Pulchrè ad fratrem iturus inimicum, Angelorum ſe comitantium excipitur choris, ſiue illum honoris causâ proſequerentur, ſiue etiam Præſidij, nam militari formâ illi ſe præſentaſſe videntur, quod ſatis denotant verba iſta: *Caſtra Dei ſunt hæc.* Et quod de Iacob dicitur, idem de quolibet fideli eſt iudicandum, ſicut etiam de tota Eccleſia. Et in Machabæorum 2. *Viſi ſunt ſuper Hieruſalem quadraginta Equites per aërem diſcurrentes, atque legiones & cohortes dimicantes.* Et Chriſtus apud S. Mathæum, duodecim legiones Angelorum aduocare ſi vellet ſe poſſe dixit, vt terrori eſſent his qui vt comprehenderent eum, mox venturi erant. Creſolius in myſtagogo, notat Imperatores Romanos locum eſſe voluiſſe Romæ manu & opere munitum, quem dixêre *Caſtra*, vbi milites ad tuendum Imperatorem lecti morabantur: ita Summus Imperator Deus Opt. Max. loca quędam voluit eſſe in Eccleſia, videlicet templa potiſſimùm, & Baſilicas, in quibus Angeli ex eius ordinatione caſtra

Iob 38. Angelorum claritas, potentia & fortitudo. *4. Reg. 6.* *Gen. 32.* Angeli dicuntur Caſtra Dei, & Chori caſtrorum. *2. Machab. 5.* *S. Mathai 26.* *Lib. 3. cap. 30.*

conſtituunt, ad cuſtodiendum hominem quaſi Imperatorem & Regem conſtitutum ſuper opera Dei, & ad procurandam eius ſalutem contra coniuratos eius hoſtes, Dæmonem, mundum & carnem: Vnde Canticorum 6. De ſancta Eccleſia, aut anima ſancta ſcribitur: *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Per caſtrorum aciem bene ordinatam intelligunt Angelos Sancti Patres, qui pro nobis acerrimè pugnant, & cuſtodiam agunt. Et in Canticis: *Quid videtis in Sulamite* (hoc eſt, pacifica, quæ Eccleſia eſt; aut anima ſancta) *niſi Choros caſtrorum?* id eſt, Angelos cuſtodiam agentes. De ſpeciali autem Angelorum cuſtodia poſteà dicemus cap. 8.

Cant. 7.

Angelus quilibet quantæ ſit poteſtatis.

Quantæ autem virtutis & poteſtatis eſt quiſque Angelus, patet multis Scripturæ ſacræ locis, quis enim non mirabitur eorum incredibilem fortitudinem, ſi animaduertat omnes Ægyptiorum primogenitos ab vno ſolo Angelo, videlicet à S. Michaële Angelorum primario, vt multi cenſent, abſque vllo labore & fatigatione, vnâ nocte occiſos fuiſſe? Maris fluctus ſedatos, & currus atque exercitum Pharaonis ſubmerſos, tot gentes & tam robuſtas euerſas, & populum Iſraël in eorum terram introductum? Hæc omnia igitur operatus eſt S. ille Michaël, cùm eſſet Synagogæ Iudaïcæ Præfectus: Is idem eſt, qui hunc populum Iſraël in columna nubis per diem præcedebat, & in columna ignis per noctem; cuius tanta fuit poteſtas & maieſtas in datione legis, toto illo monte in quem deſcenderat tonante atque coruſcante, vt non ſolùm ille populus & ſeniores populi, ſed etiam ipſe Moïſes qui facie ad faciem cum Domino loquebatur, perterritus accedere pertimeſceret. De hac legis datione per S. Michaëlem in monte Sinaï habetur in Deuteronomio, vbi dicitur Deum apparuiſſe, & cum eo Sanctorum millia, hoc eſt, Angelum incredibili luce circumfuſum, qui eius nomine Decalogum proclamaret, opinio ſiquidem communis eſt, cuius Signifer fuit S. Dionyſius, non Deum per ſeipſum apparuiſſe in veteri Teſtamento, ſed Angelum loco Dei. Sic in Geneſi [a] dicitur Deus apparuiſſe Abrahæ, qui tamen à S. Paulo [b] Angelos ſcribitur excepiſſe hoſpitio: Et in eadem Geneſi [c] de Iacob ſcribitur, quòd viderit Dominum, & quòd fortis extiterit in lucta, & tamen apud Prophetiam Oſeæ [d] legitur Iacob decertaſſe cum Angelo. Cùm igitur legimus Deum apparuiſſe, vt legem Iſraëlitis daret, eſt dicendum per ſeipſum non apparuiſſe, ſed eius loco S. Michaëlem: Et de huiuſmodi non dubitant quamplures Sancti Patres; & hoc modo debent intelligi B. Stephani verba, ipſe enim alloquens Iudæos aiebat: *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis,*

Exod. 11. *Exod 14.* *Exod 17.* *Exod. 19.* *Deut. 33.*

Angeli quandoque loco Dei apparuerunt.

1 e celeſt. Hierar h. cap. 4. a *Gen. 18.* b *Hebr. 13.* c *Cap. 32.* d *Oſeæ 12.* *Act. 7.*

hoc eſt, vt Syrus, Tigurina, & Vatablus vertunt, per præcepta & mandata Angelorum: Angelus enim ille ſupremus, videlicet Sanctus Michaël, vice Dei quaſi Legatus, proclamans legem ex Syna, iubebat eam omniaque eius præcepta ſeruari, vel vt alij docent, *in diſpoſitione Angelorum*, id eſt, eorum miniſterio, quia vt Dei miniſtri recto ordine legem diſponentes & ſtatuentes atque populo iubentes, vt ad eam accipiendam ſe præpararet, eam Moïſi tradiderunt; vnde poſtquam in præfato Deuter. dicitur Deum apparuiſſe, hoc eſt, Archangelum Michaëlem, additur: *Et cum eo Sanctorum millia*, vbi certus numerus ponitur pro incerto, quod in Scholio exprimit Vatablus, dicens: *Et venit cum decem millibus Sanctorum, vel venit cum myriadibus ſanctitatis*, id eſt, cum multis ſanctis Angelis. Et hi omnes Angeli S. Michaëli tanquam eorum Principi cum maieſtate in Sinaï ſedenti aſtiterunt, eoſque tanquam ſuos inferiores aſſeclas honoris causâ habebat, qui ignem, fumum, terræ motum, tonitrua, cæteraque prodigia excitabant, vt optimè aduertit Theophilactus, *Ad tubas illas & tonitrua*, inquit, *ac terriculamenta, Angeli adminiſtri erant.* Et ita legem illam Moſaïcam cum S. Michaële diſponebant vt media eſſet inter legem naturæ quaſi eâ perfectior, & legem Euangelij quaſi ad eam vtpotè perfectiorem, ſe ſuoſque dirigens & ducens. Et hoc eſt quod idem S. Stephanus de Moïſe loquens, cui tradita fuit lex illa, ait: *Hic eſt qui fuit in Eccleſia*, (putà in populi fidelis cœtu & congregatione cui ipſe præerat) *in ſolitudine cum Angelo* (videlicet Michaële) *qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare nobis.* Vide Caput 16. Sect. 3.

Angeli legem Moïſi tradiderunt cum eorum Principe Michaële.

S. Steph. loco cit.

Sed cùm tres ſint in vnius diuinitatis myſterio perſonæ, quæri poteſt, quam ex illis potiſſimùm repræſentauerit S. Michaël in his apparitionibus. S. Auguſtinus arbitratur ſecundam perſonam per eum fuiſſe repræſentatam, tum quia vocatur magni conſilij Angelus, tum quia decere videbatur Incarnationem futuram huiuſmodi ſymbolis præſignari.

Lib. 2. de Trin. c. 13.

Si porrò myſticè & anagogicè de hac legis diſpoſitione per S. Michaëlem & innumeros alios Angelos ei aſſiſtentes loqui velimus, talem dicemus diſpoſitionem, ſignificare eos qui legem ſeruarent, ſe diſponere ad vitam ſtatumque Angelorum, vt inter Angelos cæleſtes quaſi Angeli terreſtres angelicè viuant, Deoque ſeruiant, & poſt hanc vitam inter eorum ordines & hierarchias pro meritis diſponantur & referantur, vt preclarè notat Oecumenius. Mirum autem in modum, Tropologicè loquendo, arguendi veniunt Chriſtiani, qui legem Euangelicam non per Angelos, ſed per ipſum Dei

Legem Dei obſeruantes, ſe diſponunt ad Angelorum ſtatum.

Lex Euangelica per Chriſtum non per Angelos data, ſeruari debet.

Hebr. 2. & 11. Filium ea de cauſa incarnatum datam non obſeruant, & proinde maiori longè pœnâ digni ſunt, vt minatur Apoſtolus.

SECTIO III.

Quædam alia miræ virtutis effecta, peregit S. Michaël, atque alij Angeli ſancti.

S. Michaëlis & aliorum Angelorum mira planè poteſtas, multis teſtata effectibus.

QVAMPLVRES ſancti Patres mira à S. Michaële peracta quæ maximam eius fortitudinem oſtendebant, animaduertunt; & primò, ille fuit qui gladio euaginato Baalam apparuit, & in ore aſinæ cui inſidebat voces formauit, eumque detinuit ne vlteriùs progrederetur ad Dei populum maledicendum, vt conſtat in Numerorum libro. Ille eſt quoque qui confortauit Ioſuë, dicens: *Princeps exercitus Domini ego ſum:* eumque animauit, ne dubitaret manus cum hoſticis agminibus conſerere. Idem eſt qui ad bellum Gedeonem impulit, eique auxilio fuit, dum cum trecentis militibus innumeros proſtrauit, qui tandem centum & octoginta quinque millia Aſſyriorum, vnâ nocte abſque vlla reſiſtentia & breuiſſimo tempore, in illorum caſtris interfecit, potuiſſetque eâdem facilitate millia millium eorum ſi tot extitiſſent interficere, quod eloquenter annotat Scholiaſtes S. Auguſtini. Hâc pœnâ mulctatus eſt ſuperbus Sennacherib cum toto ſuo exercitu, quia propter elati animi ſignificationes, hanc quoque edidit: ſcripſit namque rebus ſecundis inſoleſcens ad Ezechiam litteras, dignitati Regiæ, populo & ipſi Deo contumelioſas, quas cùm legiſſet Ezechias, opertus eſt ſacco, & ingreſſus eſt in domum Domini, *Et aſcendit* (inquit ſacer Hiſtoricus) *in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & orauit in conſpectu eius,* &c. Audiuit Deus preces Regis ſubmiſsè & humiliter de ſe ſentientis, tulitque extremi ſupplicij ſententiam contra tyrannum inſolenter ſe efferentem, & eius iuſſu S. Michaël tantam vt dictum eſt, occidit exercitus eius multitudinem. Ille idem eſt, qui apud Daniëlem vnà cum Azaria & ſocijs, deſcendit in fornacem, flammâque tanquam flante quodam rore diſperſâ, tres pueros illæſos conſeruauit; qui eundem Daniëlem in lacum Leonum coniectum ſeruauit, oraque Leonum frænauit. Is eſt præterea (ait Pantaleo Diaconus) qui fidelium populorum Eccleſias exhilarat, Romanorum cuſtodit Rempublicam, Imperatorem armat aduerſus Barbaros, Chriſtianos reddit victores, ab ingentibus maris fluctibus

Num. 22. Ioſuë 5. Iudicum 7. 4 Reg. 19. De Ciuit. Dei c. 18. Daniel 3. Daniel 6. Pantaleo in hom. de S. Michaële.

eos qui ipſum inuocant eripit, fertilitates fructuum terræ ſuppeditat, conſolatur puſillanimes, ægrotos viſitat, fidę-jubet pro peccatoribus, Dæmonum impetus propulſat, vitiorum flammam reſtinguit. Hæc ille.

Præ reliquis autem Eccleſiæ alumnis Reges Galliæ & totum Regnum in S. Michaëlis tutela eſſe creduntur, vti rectè notauit Caſſaneus in ſuo catalogo gloriæ mundi. Reges Franciæ (inquit) ſemper profuerunt in Eccleſia, multaque pro Eccleſia fecerunt quæ alij Principes Chriſtiani non fecerunt: ideò datus eſt eis Michaël pro cuſtodia ſua & ſui Regni.

Galliæ Reges ſub ſancti Michaëlis tutela ſunt, vnde ordo Equitũ eſt inſtitutus. *Caſſaneus pag. 3 Conſ. 14.*

In eodem Galliæ Regno anno Domini 1469. Ludouicus XI. Rex Francorum ordinem Equitum inſtituit, cui nomen eſt Sancti Michaëlis. Inſtitutus eſt hic ordo in memoriam Caroli VII. Francorum Regis, cuius filius fuit ipſe Ludouicus, nam Carolo Aurelianenſem Ciuitatem aduerſus Anglorum impetum defendenti apparuit Archangelus Michaël, cuius ope & auxilio mirabiliter de hoſtibus triumphauit, & proinde hujuſce ordinis Equites ab eo Rege inſtituti, aureum gerunt torquem collo appenſum, à quo pendet imago S. Michaëlis inſculpta, vt memorant Durantus [a] in libris ſuis de Eccleſiæ ritibùs, Guaguinus [b], Azorius [c] & Caſſaneus [d].

Poſſumus hîc addere Argonautas Græcorum, ipſius S. Archangeli auxilio aduersùs Amycum victoriam reportaſſe, vt refers Nicephorus [e]. Idem refert de Leſæo Polonorum Principe Martinus Cromerus [f], qui etiam S. Michaëlis ope multos Lituanos proſtrauit.

a *Lib. 2. cap. 31.*
b *Lib. 10.*
c *Tom 1. Inſtit. lib. 13. cap. 6.*
d *Loco cit.*
e *Lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 50.*
f *Lib. 10. hiſt. Polon.*

Non valde mirabimur hæc omnia ſupradicta à Sancto Michaële peracta, ſi ingentem eius fortitudinem ſpectemus in deijciendo è cælo Luciferum creaturarum omnium præſtantiſſimum, juxta id quod cantat Eccleſia:

Collaudamus venerantes omnes Cæli milites, ſed præcipuè primatem Cæleſtis exercitus, Michaëlem in virtute conterentem Zabulum.

Non mirabimur quoque ſi conſideremus orbes cæleſtes tam vaſtos & amplos ſingulos à ſingulis ſpiritibus Angelicis tantâ velocitate, facilitate & vniformitate, tot ſæculis ſine vllo velocitatis aut tarditatis augmento vel decremento, moueri conſiderauerimus, quorum tamen reſpectu vniuerſa terræ & aquæ amplitudo eſt inſtar puncti. O bone Deus! quanta eſt virtus quæ talem molem tali velocitate ſine fatigatione vlla tanto tempore circumgyrat & voluit! Denique ad huius Archangeli vocem cùm terribili tuba inſonuerit in die judicij, omnes reſurgent, & ante Chriſti tribunal vt judicentur conſiſtent, totum enim terrarum orbem à ſummo vſq; deorsùm, à conuexu Cæli vſque ad infernum abyſſi penetrabit illa vox & tu-

Sancti Michaëlis tubâ reſonante mortui reſurgent. *1. Corinth. 15.*

bæ clangor. O quanta virtus! quanta poteſtas Angelorum! Hæc declaratur à S. Ioanne vnius Angeli poteſtas: *Vidi Angelum deſcendentem de Cælo, habentem poteſtatem magnam, & illuminata eſt terra à gloria eius.* Apoc. 18.

Ratio potiſſima tantæ virtutis Angelicæ etiam naturalis, eſt quia quantò creaturæ nobiliores & perfectiores ſunt in ſuo eſſe, tantò potentiores exiſtunt, vnaquæque enim iuxta naturæ ſuæ conditionem & proportionem agit; at verò Angeli ſunt nobiliſſimæ & perfectiſſimæ creaturæ, longo quippe interuallo homninum etiam nobiliorum naturam ſuperant; dum ergo operantur & agunt ſecundùm Dei mandatum, nonnullas edunt actiones quæ in admirationem homines inducunt, vt ex prędictis conſtat. Et hinc inferunt Doctores, animam noſtram maiorem poteſtatem & auctoritatem in ſui corporis membra non habere, quàm Angeli in res corporeas, vt moueant, aut de loco in locum transferant. Et inſuper addunt omnia corpora particularia cuiuſcumque conditionis aut naturæ ſint, Angelorum voluntati obedire, ſicut corporum noſtrorum membra animarum noſtrarum voluntati obſequuntur, vt nos ipſi quotidie experimur; nam ex quo voluntas vel manibus vel pedibus mandat vt ad opus prorumpant, illicò obediunt; ita Angeli ad nutum ſic rebus naturalibus dominantur, vt illis ita facile ſit domum vel arborem de loco in locum transferre, vt S. Thomas & alij Theologi declarant, ac homini manum vel pedem mouere, & hoc abſque vllo labore aut fatigatione, vt conſtat de eodem S. Michaële, quem ferunt multi portaſſe Habacuc capillo capitis ſui à Iudæa in Babylonem, vt paſceret Daniëlem, quem quidem poſteà ſaluum in locum vnde eum aſſumpſerat, retulit; hoc autem eſt ita intelligendum, quaſi ipſe S. Michaël per manum illius corporis quod aſſumpſerat, ſolummodò videretur vnum capillum tangere & tenere, cæterùm verè totum Prophetæ corpus inuiſibiliter ſuſtentabat & ferebat, ſi enim ſolùm vnum capillum tenuiſſet, pondere corporis capillus ruptus fuiſſet, & cecidiſſet Habacuc, aut certè grauiſſimam pœnam ſenſiſſet; itaque licèt Angelus de corpore aſſumpto non applicaret ad ipſum Habacuc niſi digitos ad vnum de capillis illius tantùm, extendebat tamen virtutem ſuam inuiſibilem, & illam applicabat toti corporis moli, & ita ab eo portabatur. Et quod de Angelis bonis dicimus, id quoque de malis dicendum (ſi Deus illis permittat aut non impediat,) cùm nihil de ſuis naturalibus facultatibus amiſerint: ita Diabolus Chriſtum aſſumpſit, & tenendo eius manum & brachium, ſi in hominis figura quam primò acceperat, permanſit, & nihilominùs applicando virtutem ſuam ad ſuſtentandum &

Corpora particularia Angelorum voluntati obediunt.

S. Michaël tulit Habacuc & quomodo.

ferendum

ferendum totum Chriſti corpus, & illum ſuper pinnaculum templi conſtituendum, tum ſuper montem excelſum valdè, quia ita Chriſtus ei permiſit. Sic ſe geſſit erga Simonem Magum quem in aëra leuauit, & poſteà S. Petri oratione demiſit, ita alios vt etiam Sagas de loco in locum tranſtulit, & adhuc transfert, vt multi animaduertunt. Aduerte porrò ex doctrina S. Thomæ quemlibet Angelum & bonum & malum virtutem habere limitatam, ideò non poſſe eorum quemuis totam terræ molem mouere & ad orbem Lunæ eleuare, immò nec totum vnum elementum à loco ſuo in alium locum transferre, quo totus ordo vniuerſi ſolueretur. Opuſc.2.art.5.

Hæc poteſtas & virtus Angelica tum S. Michaëlis, tum aliorum Angelorum cum multis alijs etiam prædictis proprietatibus ipſorum apprimè delineatur apud Daniëlem, vbi Dominus Daniëli oſtendit Angelum, *Leuaui oculos meos* (inquit Daniel,) *& vidi, & ecce vir vnus veſtibus lineis, & renes eius accincti auro obryſo, & corpus eius quaſi Chryſolitus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsùm ſunt vſque ad pedes quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius vt vox multitudinis, vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo.* Magna planè viſio. Veſtis linea ſignificat Angelorum puritatem & decorem; Cingulum aureum, ardentem & eximiam charitatem; corpus quaſi Chryſolitus immortalitatem; facies vt fulgur ſummam agilitatem & incredibilem celeritatem, quâ etiam motu diſcreto, mouentur; oculi vt lampas perſpicaciſſimum & acutiſſimum intellectum, quo ſimplici intuitu & abſque diſcurſu omnia penetrant; brachia verò & pars corporis deorsùm vt æs candens, eorum omnia opera charitatis igne ſuccenſa. Ideò ait Pſaltes Regius: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & Miniſtros ſuos ignem vrentem*, id eſt, eos qui naturâ ſuâ ſunt ſpiritus facit Angelos, id eſt, nuntios, quòd ſint *Adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*, Quia ab initio huius Tractatus diximus Angelum ſignificare nuntium ſeu legatum & miſſum, quod quidem nomen ſolebant Perſæ ſuis curſoribus poditibus, quos pro ſuis negotijs mittebant attribuere, vt notat Suidas in huius nominis explicatione: *Angeli ſunt* (inquit) *qui ex ſucceſſione litteras perferunt, Perſicâ conſuetudine*; Sed qui magis fideles & prompti nuntij poſſunt excogitari quàm ipſi Angeli, & cæleſtes ſpiritus, qui à Deo ad eius voluntatem nobis ſignificandam, & etiam magnos conſeruandos, & à Dæmonibus protegendos mittuntur? Addit autem Pſaltes Regius: *Et Miniſtros ſuos ignem vrentem*, ob eorum actiones igne charitatis accenſas: Denique vox vt multitudinis, Angeli fortitudinem & robur pluſquam virile nobis indicat, vnde

Daniel. 10.

Pſal. 103.

Hebr. 1.

Angeli nuntij ſunt fideles & prompti

Apoc. 18. S. Ioannes in Apocalypſi, ait: *Vidi alium Angelum deſcendentem de Cælo habentem poteſtatem magnam; Et terra illuminata eſt à gloria eius.* Caligant mortalium oculi, & omnis humanæ naturæ potentia nutat ad quemuis vnius Angeli aſpectum.

Angelorum definitio ampliſſima. Ex prædictis igitur & poſteà dicendis vltra ipſorum Angelorum ordinariam definitionem, I. Cap. Sect. 4. ex S. Damaſceno allatam, poſſumus etiam ex alijs multis eoſdem compendio ſummatimque maximè bonos ita deſcribere, quòd videlicet ſint intellectuales ſubſtantiæ, ſimplices, incorporei, & immateriales, arbitrio liberi, à Deo ex nihilo conditi, cælo, tempori, elementiſque coæui, mortis legibus & corruptionis naturæ ſuæ pręſtantiâ ſoluti, acutiſſimo atque promptiſſimo ingenio præditi, ſub cæli ac lucis creatione comprehenſi, ciues Cæli empyrei vbi ſunt creati, potentes, pulcherrimi, glorioſi, beati, diſtincti in perſonas, diſpoſiti in dignitate, ab initio ſtantes in ordine ſuo, in genere ſuo perfecti, nobiliſſimis atque maximis gratiæ & naturæ donis inſignes, immortalitate perpetui, impaſſibiles, mente puri, affectu benigni, religione pij, caſtimoniâ integri, vnanimitate indiuidui, pace ſecuri, diuinis laudibus & obſequijs dediti. Ex qua deſcriptione liquidò patet, quantùm natura Angelica omnem aliam naturam creatam & humanam longè ſuperet, naturæ ſiquidem præſtantia alicuius rei cognoſcitur à nobis per effectus quos producere conſueuit; demonſtratur enim natura quælibet per ſuos effectus à poſteriori; at certum eſt Angelos exercere actiones aliquas ita præſtantes & ſingulares, vt ad earum productionem nequeat alia natura creata, immò nec humana cum ſuis indiuiduis ſumpta, (ſi Chriſtum & B. Virginem demas) peruenire, vt ſuprà allatis exemplis patet, & ex infrà dicendis magis patefiet.

CAPVT VI.

De nouem Angelorum ordinibus, & eorum multitudine ac numero.

SECTIO I.

In tres Hierarchias & Choros nouem, diſtincti ſunt Angeli.

In Angelorū republica ordo ſeruatur. QVONIAM malè inſtituta eſſet illa Reſpublica, in qua Ciues nullum ordinem ſeruarent, ſed æquè Principes omnes eſ-

ſent, Ideò Deus Cæleſtem Angelorum Rempublicam inſtituens, etiamſi ſummâ ſapientiâ & prouidentiâ illos omnes in ingenti ac innumera multitudine conſtituerit, vt ſequenti ſectione dicemus, noluit tamen vllam inter illos confuſionem reperiri; ſed talem inſtituit ordinem ad omnem è medio tollendam confuſionem, vt illos omnes per Hierarchias & Choros mirificè diſtinxerit, quâ quidem diſtinctione nihil mirabilius ac pulchrius; & illam nunquam variant, aut perturbant, non enim inferiores cupido impulit vnquam aſcendendi ad locum ſuperiorum, ſed ſorte ſuâ ſinguli ſunt contenti, & in genere ſuo perfecti, & in hoc vnum intenti ac conſpirãtes, vt omni vi & contentione Deum exercituum die noctéque collaudent, quò illud Iob applicare poſſumus: *Concentum Cœli dormire quis faciet?* Ex omnium itaque Sanctorum Patrum conſenſu, nouem ſunt Angelorum ordines, quos S. Dionyſius in tres Hierarchias diuidit: ſingulas verò Hierarchias tribus itidem ordinibus diſtinguit, vt Chori nouem conficiantur. Hierarchiam vocamus ſacrum principatum, ſeu ſacrarum perſonarum ordinatam quandam multitudinem ſub vnius Principis gubernatione conſtitutam: Et hinc Hierarchia idem eſt ac ſacer principatus. Duo autem in quouis principatu conſiderantur, nempe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe. Si igitur ſacrum illum cæleſtis militiæ principatum ſpectes ex parte imperantis ſeu principis, nonniſi vnus dicetur; videlicet Deus ipſe, ſi autem eum conſideres ex parte multitudinis gubernatæ, multiplex videbitur, & quidem triplex, penes triplicem modum quo gubernantur à principe; qui enim ſunt ſupremæ Hierarchiæ, modo quodam eminentiori gubernantur, eò quòd diuinas illuminationes multò nobiliùs participent; qui verò ſecundæ, mediâ quadam ratione gubernantur: Denique qui ſunt infimæ, adhuc minùs perfectâ ratione reguntur, vt pręclarè admodum diſſerit S. Thomas. Hîc autem aduerte quod licèt iuxta naturæ conditionem diſtributæ ſint Angelorum Hierarchiæ & Ordines ſeu Chori, potiſſimùm tamen diſtinguuntur ex ſupernaturali dono & officio quo Dei gratiâ funguntur; atque illis ordinum nomina potiùs data ab ardenti in Deum amore, à perfecta ſcientia, atque à munere, quàm à nuda dignitate naturæ.

Iob 38.

Hierarchia quid.

Tres ſunt Angelorum hierarchiæ, & in vnaquaque tres chori ſeu ordines.

1 p. q. 108 art. 1. S. Dionyſ. de cæl. hier. cap. 6.

Prima itaque Hierarchia ex S. Dionyſio & alijs ſanctis Patribus, complectitur Seraphinos, Cherubinos, & Thronos: Seraphini ſic dicuntur ab ardore dilectionis, & feruentiſſimo Dei amore, in quo alios excedunt, & ad quem inferiores excitant, ita vt continuò ſint ardentes, inflammati, & accenſi amoris igne quo excellenti modo Deum proſequuntur, dum eum contemplantur, proximiores tantæ

Hom. 34.

& admirabili eius maieſtati, vt ſcribunt S. Gregorius, S. Dionyſius, S. Thomas, &c. Cherubini dicuntur ob ſcientiæ plenitudinem, & exceſſum quo alios inferiores excedunt, illudque ſplendidiſſimum lumen tanquam lucidiſſimi Soles in alios effundunt. Throni ſic dicuntur quia in illis Deus placidiori quodam modo ſpecialiter conquieſcit: Vnde dicuntur ſedes Dei ad diuinos fulgores in ſe ſuſcipiendos, & ad alios inferiores transfundendos.

Secunda Hierarchia comprehendit Dominationes, Principatus, & Poteſtates. Dicũtur autem Dominationes ob excellentiam dominij, quia videlicet alios excedunt in imperatione rerum agendarum. Principatus ſic vocitantur, quia Regnis & Prouincijs pręſunt, & reſpectu inferiorum Angelorum Principes dici poſſunt, eos inſtruunt, illuminant, & mouent in his quæ ad ſalutem omnium hominum pertinent, iuxta Dei voluntatem ſibi manifeſtatam. Poteſtates ſic dicuntur ob magnam quâ pollent potentiam, & potiſſimũ ad coërcendos infernales ſpiritus, ne incommoda hominibus inferant.

Tertia Hierarchia complectitur Virtutes, Archangelos, & Angelos. Virtutes ſic dicuntur, quia ad illos ſpectat patrare miracula, & ſigna ac prodigia facere, nam licèt omnes ſpiritus miracula patrent, hoc tamen virtutibus ſpecialiter tribuitur. Hoc præterea donantur nomine, eò quòd maſculâ quâdam fortitudine hi ſpiritus prompti & expediti ad diuinum ſunt obſequium: atque ad idem etiam opem largiantur alijs Angelis ſe inferioribus. Archangeli hominibus ex præſcripto Dei, maiora nuntiant, & grauiora expediunt negotia, & perſonas graues cuſtodiunt; Angeli verò, quia minora annuntiant negotia, vel ea perficiunt; & quia reliquis ignobiliores ſunt, & peculiare aliquod nomen non habent, communi nomine omnibus alijs ſpiritibus donantur, & eorum munus eſt homines cuſtodire, vt ſuo loco dicemus.

Angelorum diſtinctio ex ſacris Literis colligitur.
Hom. 34.
Eſai. 6.
Gen. 3.
Ezech. 10.
Ad Coloſſ. cap. 1
Ad Epheſ. cap. 1
1. Ad Theſſ. cap. 4.
Ad Hebr. cap. 1.
4. Reg. 4.
Nouem ordinum Angelorum figuræ.

Iſta porrò Angelorum diſtinctio ex ſacris Litteris colligitur, vt præclarè docent Sancti Patres, & potiſſimùm S. Gregorius. Legimus enim in Eſaïa Seraphim; in Geneſi & Ezechiele Cherubim, in Epiſtola S. Pauli ad Coloſſenſes Thronos, Dominationes, Principatus, & Poteſtates; in Epiſtola ad Epheſios Virtutes legimus, vltrà tres poſtremos Ordines in ſupradicta Epiſtola ad Coloſſenſes nominatos; in prima ad Theſſalonicenſes, Archangelos, & in Epiſtola ad Hebręos, & in Epiſtola S. Iudæ, Angelos, & alibi ſæpiſſimè.

Horum figuram habemus in 4. Regum libro, vbi legimus Salomonem ædificaſſe atrium interiùs tribus ordinibus lapidum politorum inſtructum, vt per hoc indicaretur nobis Eccleſiam triumphantem eſſe tribus Angelorum hierarchijs diſtinctam & ordinatam. Ex-

preſſiùs has tres Angelorum claſſes cum ſuis ordinibus repręſentatas habemus apud Ezechielem, vt S. Greg. & alij ſancti Patres notarunt, ibi enim numeramus nouem lapides pretioſos pro operimento Dei, Sardium, Topazium, Iaſpidem, Chryſolitum, Onychem, Beryllum, Carbunculum, Smaragdum, & Sapphyrum; nempe qui ordine Sacros Angelorum referant, quod & docent ſubiuncta verba Ezechielis, quòd proiectus eſt Angelus de medio lapidum ignitorum, in quorum medio ambulabat. *Ezech. 28.*

Guillelmus Pariſienſis eleganti admodùm ſimilitudine nobis has hierarchias & excellentiſſimos Angelorum ordines exponit, vt refert Maſſutius de cæleſti conuerſatione, quemadmodum (inquit) in magno & bene conſtituto regno primum locum obtinent apud Regem, eius amantiſſimi, amicitiâ ſcilicet, vel etiam conſanguinitate illi coniunctiſſimi: ſecundo loco ſunt Conſiliarij ſapientiſſimi: Tertio Iudices & Aſſeſſores æquiſſimi, quibus reſpondent in prima hierarchia cæleſti Seraphim, Cherubim, atque Throni; poſt hos alius ſequitur triplex ordo inſignium perſonarum, Primò Regni Proceres & Barones, deinde Præfecti ſeu Præſides prouinciarum; Tertiò Duces exercitus, ſiue Capita legionum; his aſſimilantur in ſecunda cæleſti hierarchia dominationes, principatus, & poteſtates. Pręter hos adſunt publici magiſtratus, legati & nuntij magnorum negotiorum, equites denique diſcurrentes, & ordinaria mandata ſummi principis deferentes; his correſpondent in tertiâ cæleſti hierarchiâ Virtutes, Archangeli, & Angeli. Neque verò alia inferioris ordinis officia vel miniſteria in ſuprema illa curia inueniri debuerunt vt Pincernarum, cubiculariorum, cuſtodum Theſaurorum, vel rerum ignobiliorum, vbi nulla cibi vel potus indigentia, nulla mortalis corporis afficit cura, nullæ appropinquant inſidiæ, longè odia, procùl inuidiæ, vbi nulla inopia, ſed tanta pro omnibus & ſingulis indeficientium bonorum copia, vt locum ibi inuenire nulla ex parte poſſit illiberalitas vel auaritia.

Angelorum hierarchiæ & ordines, per ordinem in curia Regum ſeruatum explicantur, at non ſine maxima diſtinctione.

Lib. 8. c. 4.

Porrò in tanto cæleſtium ſpirituum numero coordinando per hierarchias & choros, ſummâ omnium externorum internorumque motuum ipſorum harmoniâ, non minor elucet Dei potentia, quàm apparuerit in creando, & modò eluceat in conſeruando. Sed ſi conferamus illas cęleſtes virtutes, illas ſpirituales dominationes, ſacros illos principatus &c. cum huius mundi noſtri inferioris quantumuis magnis Monarchis, Imperatoribus, Regibus, & Principibus, non minor erit inter illos diſtinctio, quam inter cælum & terram. Etenim hominum maieſtas & dominatio non tam in natura & rerum perfectione, quàm in hominum opinione & inani quadam mentis ap-

prehenſione conſiſtit, non enim alterius ſunt naturæ quàm ſui, etiam viliores ſubditi, & ſæpè etiam qualitatibus tùm animi tùm corporis, nihilò quàm illi meliores, ægritudinibus magis obnoxij, vehementioribus perturbationibus ſubiecti, indomitis & effrenatis cupiditatibus magis exagitati, pluribus indigentes, plura timentes, nec habent tandem ſub ſe niſi ſimiles ſibi mortales, quibus etiam ipſi obſequi in multis, & ſi ſeruiri ſibi velint, ſeruire quodammodo adiguntur: At verò Angelici ſpiritus ab omni corporis concretione ſeiuncti, à quacumque conditione miſerę noſtræ mortalitatis exempti, naturâ, non electione, primâ ſui creatione, non verò nouâ opinione, vel ſolâ deputatione ſunt principes, ſunt poteſtates, ſunt dominationes.

Hierarchiæ Angelicę Deū vnum & trinum cum eius attributis repræſentant.

Profectò ille ordo inter Angelos à Deo præſcriptus & ſtatutus, tanti creatoris maieſtate dignus videtur, & in eo eius ſuprema relucet ſapientia ac potentia, cùm voluerit in eodem ſeipſum repræſentare; ſicut enim in eſſentia & natura vnus eſt, & in perſonis trinus, ità in Angelis ipſius trinitatis adumbratio, & eius naturæ vnitas adumbrantur; in vnitate enim naturæ Angelicæ (cum omnes Angeli in ſubſtantiæ ſpiritalis natura genericè conueniant) tres ſunt hierarchiæ, & in vnaquaque hierarchia tres chori ſeu ordines, vt ſuprà recenſuimus.

Et ſicut ipſe Deus eſt immortalis, ità Angeli non ſunt corruptioni obnoxij; & quemadmodum eſt inuiſibilis reſpectu noſtri (non enim videri poteſt oculis corporeis) ità Angeli hoc modo inuiſibiles ſunt, & ſicut eſt ſimplex & non compoſitus, ità Angeli ſimplices ſunt, ſaltem phyſicè loquendo, non enim componuntur ex materia & forma.

Prætereà Deus continuò operatur intellectu, & voluntate; ità Angeli ſuo modo, qui etiam intellectu & voluntate pollent.

Deus eſt omniſcius, & cuncta ſuâ infinitâ ſapientiâ comprehendit; ità Angeli ſuo modo quanquam finito, vt ſuprà oſtendimus.

Deus eſt infinitâ potentiâ, pulchritudine, & bonitate præditus; ità Angeli licèt finito modo, potentes ſunt virtute, vt ait pſaltes Regius, & ingenti pulchritudine, ac bonitate pollent. Sic in alijs multis infinitam Dei maieſtatem repræſentant eo modo quo aliquid finitum poteſt infinitum repræſentare. Quis ergò non mirabitur eorum excellentiam, cùm ità ad Dei perfectiones accedant, eaſque imitentur? non mirum itaque, ſi præfatus ille ordo pulcherrimus inter ſpirituales illas ſublimeſque creaturas, ab eo ſupremâ ſuâ ſapientiâ præſcribatur ac reperiatur, tùm in hierarchijs, tùm in cuiuſque hierarchiæ choris.

Deinde, in his Angelorum choris, ſuorum attributorum magnificentiam oſtendit, amat enim in Seraphinis, vt charitas; contemplatur in Cherubinis, vt veritas; ſedet in Thronis, vt æquitas; imperat in dominationibus, vt maieſtas; Regit in principatibus, tuetur in virtutibus, corroborat in poteſtatibus, reuelat in Archangelis, aſſiſtit in Angelis. Vide B. Anthoninum qui de his diſſerit. *1. p. tit. 31. cap. 6.*

SECTIO II.

Circa prædicta de Angelorum hierarchijs & ordinibus quædam notanda.

NOta primo quod etiāſi omnes Theologi conueniant in his nouē Angelorum choris ſeu ordinibus, in diſpoſitione tamen quandoque differunt. Sed diſcrimen illud parui eſt momenti, & aliquando de nominibus potiùs eſt quàm de rebus, prout dominatio aliquando idem ſignificat ac poteſtas vel principatus, ſi ſola nominis ratio habeatur. Conſiſtit autem ſumma hæc harmonia ſuprà dicta & ordo ſupremæ illius aulæ perfectiſſimus, in eo vt non modo nemo vel minimo locali motu niſi ex præſcripto & voluntate ſupremi imperatoris moueatur, ſed neque in affectu neque in cogitatione vel intellectu alicuius, quidquam exiſtat vel exiſtere poſſit, quod eidem ſanctiſſimo præſcripto non maximè congruat, & per omnia attemperetur. Atque hoc eſt illud regnum paratiſſimum ac regulatiſſimum ad quod aſpiramus, & quod poſtulamus, cùm in oratione dominica quotidie dicimus, *adueniat regnum tuum.*

Angeli nihil niſi ex Dei præſcripto perficiunt.

Nota ſecundò, quod etiamſi cuncta ſupra allata Angelorum Virtutum, Thronorum, Cherubinorum &c. nomina, ſint propria ſingulorum ordinum inter ſe diſtinctorum, aliquando tamen ſumuntur vt communia omnibus, ſicut patet potiſſimùm de Angeli nomine, quod cunctis, cuiuſcumque ſint hierarchiæ & ordinis, conuenire ſolet. Sic ex S. Dionyſio eiuſque præceptore S. Paulo in Epiſtola ad Colloſſenſes illud idem cognoſcimus, *ſiue throni, ſiue dominationes &c.* ait S. Paulus. Quæ quidem nomina poſſunt cunctis Angelis conuenire & eſſe illis communia. Et ita quamuis ſupremus Angelus fuerit Seraph, dicitur tamen Cherub apud Ezechielem, quia talia nomina non ſolùm ſignificant perſonas Angelorum diſtinctas, aut ordines, ſed etiam plerùmque ſumuntur pro muneribus, vel conditionibus nobis notis, & non pro proprietate ſpeciali cuiuſcumque or-

Angelorum, Virtutū thronorum Cherubinorum &c. nomina quandoque omnibus cōmunia ſunt.

Ezech. 28.

prehenſione conſiſtit, non enim alterius ſunt naturæ quàm ſui, etiam viliores ſubditi, & ſæpè etiam qualitatibus tùm animi tùm corporis, nihilò quàm illi meliores, ægritudinibus magis obnoxij, vehementioribus perturbationibus ſubiecti, indomitis & effrenatis cupiditatibus magis exagitati, pluribus indigentes, plura timentes, nec habent tandem ſub ſe niſi ſimiles ſibi mortales, quibus etiam ipſi obſequi in multis, & ſi ſeruiri ſibi velint, ſeruire quodammodo adiguntur: At verò Angelici ſpiritus ab omni corporis concretione ſeiuncti, à quacumque conditione miſerę noſtræ mortalitatis exempti, naturâ, non electione, primâ ſui creatione, non verò nouâ opinione, vel ſolâ deputatione ſunt principes, ſunt poteſtates, ſunt dominationes.

Hierarchiæ Angelicę Deũ vnum & trinum cum eius attributis repræſentant.

Profectò ille ordo inter Angelos à Deo præſcriptus & ſtatutus, tanti creatoris maieſtate dignus videtur, & in eo eius ſuprema relucet ſapientia ac potentia, cùm voluerit in eodem ſeipſum repræſentare; ſicut enim in eſſentia & natura vnus eſt, & in perſonis trinus, ità in Angelis ipſius trinitatis adumbratio, & eius naturæ vnitas adumbrantur; in vnitate enim naturæ Angelicæ (cum omnes Angeli in ſubſtantiæ ſpiritalis nátura genericè conueniant) tres ſunt hierarchiæ, & in vnaquaque hierarchia tres chori ſeu ordines, vt ſuprà recenſuimus.

Et ſicut ipſe Deus eſt immortalis, ità Angeli non ſunt corruptioni obnoxij; & quemadmodum eſt inuiſibilis reſpectu noſtri (non enim videri poteſt oculis corporeis) ità Angeli hoc modo inuiſibiles ſunt, & ſicut eſt ſimplex & non compoſitus, ità Angeli ſimplices ſunt, ſaltem phyſicè loquendo, non enim componuntur ex materia & forma.

Prætereà Deus continuò operatur intellectu, & voluntate; ità Angeli ſuo modo, qui etiam intellectu & voluntate pollent.

Deus eſt omniſcius, & cuncta ſuâ infinitâ ſapientiâ comprehendit; ità Angeli ſuo modo quanquam finito, vt ſuprà oſtendimus.

Deus eſt infinitâ potentiâ, pulchritudine, & bonitate præditus; ità Angeli licèt finito modo, potentes ſunt virtute, vt ait pſaltes Regius, & ingenti pulchritudine, ac bonitate pollent. Sic in alijs multis infinitam Dei maieſtatem repræſentant eo modo quo aliquid finitum poteſt infinitum repræſentare. Quis ergò non mirabitur eorum excellentiam, cùm ità ad Dei perfectiones accedant, eaſque imitentur? non mirum itaque, ſi præfatus ille ordo pulcherrimus inter ſpirituales illas ſublimeſque creaturas, ab eo ſupremâ ſuâ ſapientiâ præſcribatur ac reperiatur, tùm in hierarchijs, tùm in cuiuſque hierarchiæ choris.

Deinde, in his Angelorum choris, ſuorum attributorum magnificentiam oſtendit, amat enim in Seraphinis, vt charitas; contemplatur in Cherubinis, vt veritas; ſedet in Thronis, vt æquitas; imperat in dominationibus, vt maieſtas; Regit in principatibus, tuetur in virtutibus, corroborat in poteſtatibus, reuelat in Archangelis, aſſiſtit in Angelis. Vide B. Anthoninum qui de his diſſerit. *1. p. tit. 31. cap. 6.*

SECTIO II.

Circa prædicta de Angelorum hierarchijs & ordinibus quædam notanda.

NOta primo quod etiãſi omnes Theologi conueniant in his nouẽ Angelorum choris ſeu ordinibus, in diſpoſitione tamen quandoque differunt. Sed diſcrimen illud parui eſt momenti, & aliquando de nominibus potiùs eſt quàm de rebus, prout dominatio aliquando idem ſignificat ac poteſtas vel principatus, ſi ſola nominis ratio habeatur. Conſiſtit autem ſumma hæc harmonia ſuprà dicta & ordo ſupremæ illius aulæ perfectiſſimus, in eo vt non modo nemo vel minimo locali motu niſi ex præſcripto & voluntate ſupremi imperatoris moueatur, ſed neque in affectu neque in cogitatione vel intellectu alicuius, quidquam exiſtat vel exiſtere poſſit, quod eidem ſanctiſſimo præſcripto non maximè congruat, & per omnia attemperetur. Atque hoc eſt illud regnum paratiſſimum ac regulatiſſimum ad quod aſpiramus, & quod poſtulamus, cùm in oratione dominica quotidie dicimus, *adueniat regnum tuum.* **Angeli nihil niſi ex Dei præſcripto perficiunt.**

Nota ſecundò, quod etiamſi cuncta ſupra allata Angelorum Virtutum, Thronorum, Cherubinorum &c. nomina, ſint propria ſingulorum ordinum inter ſe diſtinctorum, aliquando tamen ſumuntur vt communia omnibus, ſicut patet potiſſimùm de Angeli nomine, quod cunctis, cuiuſcumque ſint hierarchiæ & ordinis, conuenire ſolet. Sic ex S. Dionyſio eiuſque præceptore S. Paulo in Epiſtola ad Colloſſenſes illud idem cognoſcimus, *ſiue throni, ſiue dominationes &c.* ait S. Paulus. Quæ quidem nomina poſſunt cunctis Angelis conuenire & eſſe illis communia. Et ita quamuis ſupremus Angelus fuerit Seraph, dicitur tamen Cherub apud Ezechielem, quia talia nomina non ſolùm ſignificant perſonas Angelorum diſtinctas, aut ordines, ſed etiam plerùmque ſumuntur pro muneribus, vel conditionibus nobis notis, & non pro proprietate ſpeciali cuiuſcumque or- **Angelorum, Virtutũ thronorum, cherubinorum &c. nomina quandoque omnibus cõmunia ſunt.** *Ezech. 28.*

dinis. Nomen etiam Cherub aliquando generale eſt omnibus Angelis, quia ſcientiæ plenitudo eſt illis omnibus communis. Vnde S. Thomas docet vnum & idem nomen quod ſecundùm proprietatem alicui ordini Angelico conuenit, poſſe alteri ordini tribui dupliciter, nempe vel ſuperiori per exceſſum, vel inferiori per participationem; quia nempe proprietas eo nomine ſignificata, in ſuperiori ordine eminenter ſeu per excellentiam ac exceſſum reperitur, & in inferiori dependenter, & ex parte ſeu per participationem. Sic intelligentiæ ſuperiorum ordinum vendicant ſibi nomen proprium infimi ordinis per exceſſum, vt notat S. Dionyſius. Angelus etiam infimi ordinis appellatur Seraphim apud Iſaïam cap. 8. dependenter & per participationem proprietatis ſeu perfectionis quæ reperitur in Angelis primi ordinis.

1. p. q. 108. art. 5.

Lib. de cæl. hier. cap. 5. & 13.

In quocumque Angelorũ ordine aliqui ſunt ſupremi, alij medij, alij infimi.

Nota tertiò in ſingulis ordinibus eſſe alios quoſdam gradus & differentias Angelorum, nam ex Angelis cuiuſque ordinis, alij ſunt ſupremi, alij medij, alij infimi; vt docet S. Dionyſius; [a] licèt horum graduum differentia non proindè nobis nota ſit, præſertim cùm de differentia & ratione Angelorum pauca admodùm nobis comperta ſint, vt idem S. Dionyſius fatetur, & S. Auguſtinus. [b]

a Lib. de cæl. hier. cap. 10. Lib. cit. cap. 6.
b Aug. lib. ad Oroſium contra Priſcilianiſtas, & Origeniſtas cap. 10.

Angeli in quo erunt ſtatu poſt diem iudicij

Nota poſtremò ordines Angelorum manſuros poſt diem iudicij quoad diſtinctionem naturæ, gratiæ, & gloriæ, non autem quoad executionem officiorum reſpectu Eccleſiæ militantis. Ita S. Thomas. Et colligitur ex eo quod ad Corinthios ſcribit S. Paulus, vbi loquens de extremo die iudicij hæc habet, *cùm euacuauerit omnem principatum & poteſtatem & virtutem*, &c.

1. p. q. 108. art 7
1. Cor. 15.

SECTIO III.

In Eccleſia hominum ſunt etiam tres hierarchiæ & nouem ordines, qui ad Angelorum choros aſſumentur.

Hierarchiæ tres & ordines tres in Eccleſia hominum.

BIPARTITA eſt hæc ſectio. Quoad priorem ſpectat, quemadmodum ſe habet Eccleſia triumphans & tres in illa ſunt Angelorum hierarchiæ, ad quas aſſumentur homines iuxta cuiuſque merita; ita ſe habet ſeruata proportione Eccleſia militans, & in ea quoque tres reperiuntur hierarchiæ; prima eſt maiorum Prælatorum, & continet tres gradus quaſi tres choros & ordines, ſcilicet ſummi Pontificij, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus. Ad ſummum Pontificatum

te duci conſentis, mulier comedit; cùm verò peccatum efficaciter perpetrandum mente decernitur, iam mulier dedit viro, qui comedens mortem incurrit.

SECTIO II.

Qui fieri potuit, vt parentes noſtri qui eximiâ erant ſapientiâ præditi, ſic decipi potuerint.

QVÆRIT S. Gregor. Nyſſ. quomodo potuerint parentes noſtri, qui eximiâ præſtabant ſapientiâ à Deo infusâ, credere in paruo pomo tantam eſſe vim & efficaciam, vt manducantes non ſolùm illos redderet diuinos, ſed & Deos faceret: nemini dubium eſt Adam ſaltem cognouiſſe hac in re Dæmonis mendacium: *Neque enim ſeductus fuit in præuaricatione*, ait Apoſtolus, ſed cognouit apertè pomum in ſe rem eſſe parui momenti, & nullatenus illam vim habere quam fingebat Dæmon: illud tamen ipſe Diabolus ſuæ inſtigationis & ſuggeſtonis halitu, ita ſuccendebat ſplendidumque reddebat, vt illud tanquam rem ſuauiſſimam & dulciſſimam repræſentaret, quaſi cibum ipſius Dei proportionatum & aptum ad conferendum, conſeruandumque eſſe diuinum, & oculos aperiendum, vt omnia ſcirent qui eo veſcerentur, & propterea ſibi ab vxore traditum comedit. De ipſo Dæmone ſub ſpecie ceti loquens Deus Iob, ait: *Halitus eius prunas ardere facit*; in Hebræo verbum *Lihat*, quod ſignificat ignire, inflammare, à quo nomen *Lahat* quod ſignificat rem fulgentem & ſplendidam, quo modo depingitur gladius flammeus in manu Cherubim: prunæ autem in Hebræo dicuntur *Gabheleth*, quæ vox ſignificat carbonem, qui cùm ipſe nigerrimus ſit, flatu tamen aut halitu ſplendidiſſimus redditur. Volebat itaque dicere Deus, loquens de Dæmone; flatu aut halitu oris ſui, carbones nigros reddit fulgentes, ſplendentes, & micantes prunas, vt ſolis aut fulgentiſſimæ ſtellæ ſpeciem tenere videantur; hoc eſt, tanta eſt eius vis & aſtutia, quando res aliquas proponit, vt etiamſi in ſe viles ſint & contemptu dignæ, illas tamen inſtillationis ſuæ flatu, & inſtigationis halitu ita accendit, vt eas fulgentes reddat ac ſplendentes: videbis hominem maximo ſtudio quęrentem honoris locum, qui in ſe vanitate ipsâ vanior eſt, ſed Dæmon exhibet illum ſuæ ſuggeſtionis & ſuaſionis halitu tanquam fulgentiſſimum ſydus, quo in republica reſplendere queat, ſicut Sol in cœlis collocatus.

Lib. de Opif. hom. cap. 10. Primi noſtri parentes quamquam ſapientia præditi, fuere decepti. *1. ad Tim. 2.* *Iob 41.* *Geneſ. 3.* Dæmon ſuo halitu, res viles reddit ſplendentes, quomodo & quas, latè oſtenditur.

Alium videbis toto conatu opes quærentem, quæ nihil aliud ſunt
Habac. 2. quàm denſum ac vile lutum, vt habet Habacuc; ſed Diabolus illas quaſi fulgentia aſtra repræſentat, quarum influxu omne mundi bonum proueniat. Hominem item reperies mulierculam prophano & obſcœno amore proſequentem, eamque viliſſimam ac immundam, & miraris quomodo vir alioqui prudens id præſtat, ſed ratio eſt, quia Diabolus ſuggeſtionis & ſuaſionis ſuæ halitu, eam menti illius tanquam pulcherrimam & ſplendidiſſimam exhibet: id aliquando contigit Dauidi Regi viro ſecundùm cor Dei, quando enim vidit mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum, quamuis aliquâ pulchritudine eſſet prędita, Dæmon tamen ſuo flatu & halitu, vt ardentem & inflammantem prunam longè ſplendidiorem, pulchriorem, & quaſi Solem fulgentiſſimum, mentis ſuæ oculis illam exhibebat & repræſentabat, & ita illius mulieris amore cor eius ſuccendit; vt quamuis inſigni eſſet ſapientiâ prǽditus, & facilè percipere poſſet quàm fallax eſſet illa pulchritudo, & Sathanæ tentationem dignoſcere, adulterium tamen & homicidium non ſine magno ſcandalo perpetrauerit, qua ratione meritò poſteà clamabat:
Pſalm. 37. *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, quia verè ſe à Diabolo illuſum deprehendit, & omnia quæ illi repræſentauerat fuiſſe illuſoria & phantaſtica, *& non eſt ſanitas in carne mea.* Hoc ipſum quotidie apud ſeipſos experiuntur homines: & quidem tu, quem Diabolus ad peccatum carnis excitat, ita vxorem alienam ſuo halitu tanquam ſplendentem, micantem, & ardentem prunam tibi repræſentat, vt quamuis manifeſtè intelligas delectationem citò tranſituram, manſurumque peccatum ſi illud committas, atque æternæ damnationis reatum, illud tamen viliſſimum & nefandum opus, executioni effrænatè demandes. Mirum eſt, quo modo Chriſto repręſentauit regna mundi, & eorum gloriam, quaſi carbones accenſos, ſplendentes, & fulgidos, potentes corda fortiſſima niſi ſibi proſpiciant, deſolare; & in peccatum in pręceps agere: ita cùm malignus ille hoſtis te de auaritia, rapina, vſura, &c. tentat, opes & & pecunias tibi repręſentat, tanquam ſummum bonum fulgidiſſimum & ſplendidiſſimum, quibus qui abundant omnia quæ deſiderare poſſunt, habent, & quibus qui carent, omnibus ſpoliati iudicantur, & quamuis apertè contrarium cognoſcas, imò hæc omnia terrena, viliſſima eſſe ſtercora, indignaque vt pro eis animæ bona perdas, & te in damnationis periculo conſtituas, & quòd illa omnia in morte cuius diem & horam ignoras, dimiſſurus es, nihilominùs tamen imprudenter & nimio impetu ductum Diaboli ſequens, etiam dum inimicus ille te ad ambiendam dignitatem aliquam impel-

ſit, euidenter cognoſcis vtilius eſſe animæ tuæ rebuſque tuis intendere, quàm talem ambiendo dignitatem nunquam quieſcere, & per immenſas quas facis expenſas, tibi ipſi laqueum parare; ſed quoniam eam tibi ſplendidiſſimam, micantem & glorioſam, tanquam ardentem prunam ſuo flatu & halitu refert, & eam te illuſtriſſimum clariſſimumque reddituram, fit vt toto pondere inſecteris, & conſequi coneris. Denique depingit & repręſentat vindictam iracundo, tanquam rem ſummè honorificam, & in illum errorem practicè inducit, vt credat ſibi omninò expediens eſſe vindictam ſumere. Caue igitur & tibi proſpicias, dum hęc tibi à Dęmone obijciuntur & repræſentantur, & memento illum tibi nocendi teque perdendi animo, id totis conatibus pręſtare, ſicut iniquè intendebat primos noſtros parentes ſecum ad damnationem trahere. Vnde animaduertas velim ex S. Auguſt. eodem blandimento decipi nunc per Diabolum homines, quo protoplaſti in Paradiſo ſunt decepti, multis enim vitiorum præſtigijs mentes improborum tentando deludit; nunc quippè promiſſis decipit; nunc rebus tranſitorijs quaſi neceſſarijs allicit; nunc etiam ipſa inferni ſupplicia quaſi leuia & tranſitoria ſuggerit, quò miſerorum corda in cupiditatem laſciuiamque diſſoluat, & ad tartara ſecum ducat: Et S. Gregor. loquens de eo quod Dęmon in Paradiſo egit, hæc habet: *Hoc quotidie antiquus ille hoſtis agere non deſiſtit, verba quippè Dei de cordibus hominum molitur euellere, atque in eis ficta promiſſionis ſuæ blandimenta radicare, quotidie hoc quod Deus minatur leuigat, & adhoc credendũ quod falſum promittit, inuitat, falsò enim pollicetur temporalia, vt mentibus hominum ea ſupplicia leuiget, quæ Deus minatur æterna; nam cùm præſentis vitæ gloriam ſpondet, quid aliud dicit quàm guſtate? eritis ſicut dy; acſi apertè dicat temporalem concupiſcentiam tangite, & in hoc mundo ſublimes apparete; & cùm timorem diuinæ ſententiæ amouere conatur; quid aliud loquitur quàm id quod primis hominibus dixit, cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?* hæc ille. Quibus verbis liquidò conſtat, Dæmonem in ſuis tentationibus ſe ſe erga nos gerere, vt tanquam callidus ſerpens nos decipiat & perdat, ſicut erga primos parentes noſtros ſe geſſit, vt Dei præceptum transgrederentur, de fructu arboris vetitæ comedentes, & (niſi Dei interceſſiſſet miſericordia) ex eo damnarentur, & ideò nihil conſultius in tentationibus & maximè ſecretis fieri poteſt, quàm vt latentes inimici præſtigiæ ac tentamenta prodantur, & prudenti confeſſario vel etiam ſuperiori detegantur: detexiſſe enim machinamenta Diaboli (vt hoſtis ciuitati inſidiantis) euertiſſe eſt & ſuperaſſe.

Lib i. de Geneſ. contrà Manichæos tom. 1.

Qua arte & modo, procedit in tentando Dæmon.

Lib 14. Moral. cap. 7. & 8.

CAPVT VI.

Quomodo Dæmon diuerſos homines, tùm in lege naturæ, tùm in ſcripta tentauerit.

SECTIO I.

De tentationibus in lege naturæ.

POSTQVAM ſuprà diximus, Dæmonem primò protoparentes noſtros in florentiſſimo innocentiæ ſtatu tentaſſe, & dum adhuc in tam amœno loco, hoc eſt terreſtri Paradiſo moram gererent; nunc ſecundò eſt videndum, quomodo etiam multò magis poſt peccatum vſque ad Chriſtum, illi permiſerit Deus, vt infeſtiùs homines quàm ante & poſt Chriſti aduentum tentaret & perſequeretur: vt infrà dicemus; & propterea callidiſſimus ille aduerſarius, à S. Hieronym. meritò vocatur inueteratus dierum malorum, & veriùs quam ſenex ille qui Suſannæ honeſtatem conatus eſt proſtituere.

Epiſt. 54. ad Iulianum.

Daniel. 13.

Supponendo igitur, nulla committi peccata ad quæ non tentet & inducat Dæmon, ſicut caro & mundus, iuxtà nonnullorum ſententiam, ſunt recenſenda cuiuſque legis facinora, & ſic videbimus Dæmonum tentationes, ad illa perpetranda tùm in lege naturæ, tùm ſcripta inducentes; quia tamen cùm penè infinitæ ſint, ob innumeram hominum multitudinem, eſt impoſſibile partem illarum vel minorem recenſere, cùm etiam nobis non innoteſcant, & paucas ſcriptura referat: earum tantùm aliquas in exemplum afferemus, vt magis ac magis aſtutias atque nequitias ipſius Dæmonis aduerſùs humanum genus, agnoſcamus. Quod igitur primò ſpectat ad legem naturæ, omnibus ſatis compertum eſt, quomodo Caïmum tentauerit, vt in fratrem ſuum Abelem inſurgeret, illumque enecaret; de quo quidem facinore ac fratricidio loquitur S. Ioannes, qui de Caïmo loquens, dicit ipſum fuiſſe ex maligno, & occidiſſe fratrem ſuum, quia opera eius maligna erant, fratris autem iuſta. Sic ante diluuium malignus ille hoſtis, homines de luxuria & impudicitia tentauit; vnde in Geneſi habetur, *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant*, per illos filios Dei intelligi non debent Angeli (quicquid nonnulli

Plures à Dæmone tentati fuêre tum in lege naturæ, tum in ſcripta, vt ſacra narrat ſcriptura.

Geneſ. 4.

In 1. ſua epiſtola, c. 3.

Geneſ. 6.

dixerint) ſed filij Seth, vt volunt penè omnes interpretes; ſic nuncupati, quia in timore Dei fuerunt eruditi, at lapſu temporis libidine ſuperati, ex filiabus à Caïmo oriundis, vt multi docent, filios genuerunt, qui potentes & viri famoſi extiterunt: quo factum eſt vt Dominum pœnituerit quòd hominem feciſſet, & decreuit ipſum è terra delere ſimul ac animalia, propterea quòd *omnis caro corruperat viam ſuam.* Quis tantæ tamque ſæuæ libidinis ignem ſuccenderat niſi Dęmon? fuit igitur quaſi opus aquarum diluuio ad illum ignem extinguendum.

Poſt diluuium, Noë plantauit vineam, bibenſque vinum inebriatus eſt & illo nudato iacente in tabernaculo ſuo, hoſtis ille infenſiſſimus, Cham minorem eius filium tentauit, vt patrem ſuum ludibrio haberet. Aliquo etiam tempore poſt diluuium, homines à Sem filio Noë oriundi, habitantes in terra Sennaar decreuerunt altiſſimam turrim ædificare, quò aliud diluuium (ſi Deus aliquando mitteret) euitarent, ſed quis ad hæc eos mouit niſi Dęmon? & propterea non fuerunt *filij Noë* vocati à Deo, ſed *filij Adam*, quia à Dęmone ſicut Adam ipſe, fuerant decepti. Voluit autem ipſe Deus in tantam audaciam & pręſumptionem animaduertere, nam cùm tunc terra vnius labij eſſet, confuſę fuerunt eorum linguæ, ita vt non audiret vnuſquiſque vocem proximi ſui, & ita diſperſit eos Dominus in vniuerſas terras, & ab opere incepto ceſſarunt. Geneſ. 9.

O quàm violentę fuerunt tentationes quibus Dęmon Sodomæ & Gomorrhæ habitatores tentauit, ſuis namque ſuggeſtionibus nefanda & abominanda crimina perpetrarunt: vt in eadem Geneſi habetur, *homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis:* & quod eſt mirum ſolus Loth cum ſua familia iuſtus repertus eſt, ſi enim tantùm decem iuſti in illis ciuitatibus reperti fuiſſent, non deleuiſſet illas Dominus, vt habetur Cap. decimo octauo. Sed legatur cap. decimum nonum, continet enim tam horrendum eſſe facinus quod patrare intendebant, vt nihil magis deteſtandum audiri poſſit: cùm enim duo Angeli in virorū forma fuiſſent domum Loth ingreſſi, ipſi nefandiſſimi Sodomitæ vim eis omnibus modis inferre tentauerunt; ob tantas igitur impietates, & effręnatas libidines, *Dominus* (inquit ſacer textus) *pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem,* poſtquam egreſſus fuit Loth cum ſua familia, *& ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium & cuncta terræ virentia.* Geneſ. 13 Geneſ. 18. Geneſ. 19.

Sanctus Cyrillus obſeruauit ſimiliter hiſtoriam ſancti Loth, quem è Sodomis eductum in montem aſcendere iubent Angeli, & quidem vxore in itinere relictâ, & in ſtatuam ſalis conuerſâ, quæ Sodomis Præfato cap. Gen. 19.

nimis affecta, poſſet Sodomę memoriam excitare, ad ſublimem perueniens ſpeluncam, ſecurus (inquit S. Cyril.) iam eſſe videbatur, & eſſe de numero eorum de quibus dixit Iſaïas: *Qui ambulat in iuſtitijs & loquitur veritatem, &c. iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius:* ibi nihilominùs laqueos Diabolus extruxit, & filias ne ſine poſteritate pater earum decederet, ad inceſtuoſos complexus excitauit, ex quibus impia illa Moabitarum & Ammonitarum orta eſt multitudo.

Iſai 33.

Nullus etiam inficias ibit, quin tentauerit omnibus modis Eſaü, vt odio haberet & occideret fratrem ſuum Iacob, cui primogenita ſua vendiderat, & eâ ratione benedictionem primogenituræ à ſuo patre Iſaac obtinuerat: dicit enim ſacer textus, *oderat ergò ſemper Eſaü Iacob pro benedictione quâ benedixerat ei pater, dixitque in corde ſuo venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*

Geneſ. 27.

Et alibi in eadem Geneſi, filios Iacob paſcentes greges tentauit ipſe hoſtis impius, vt occiderent fratrem ſuum Ioſeph; quod quidem grande ſcelus executioni demandaſſent ni Ruben & Iuda obſtitiſſent, ſed miſerunt illum in ciſternam veterem, vnde poſteà Iudæ ſuaſionibus extractum, vendiderunt Iſmaëlitis, qui in terram Ægypti illum duxerunt.

Geneſ. 37.

Poſteà etiam, tentauit Iudam de fornicatione cum Thamar nuru ſua in biuio itineris, , dum ipſe iret ad ſuas oues tondendas, exiſtimabat enim illam meretricem, cùm ſolito viduitatis ſuæ habitu non eſſet induta, & vultum eius ne agnoſceretur, operuiſſet.

Geneſ. 38.

Non deſunt plura alia tentationum Dæmonum in lege naturæ exempla, ſed iſta ſufficiant. Iam de tentatione Sancti Iob dicendum ſequenti Sectione.

SECTIO II.

De tentatione grauiſſima Sancti Iob.

Tentatio Sancti Iob grauiſſima.

Ex hiſtoria Sancti Iob, ſatis apertè nobis innoteſcit Sathanam in virum illum iuſtum & timentem Deum, eius permiſſu ſuas vibraſſe ſagittas, qui quidem hoſtis acerrimus, ideò his in impugnationibus & tentationibus, in hiſtoria ipſius Iobi hoc nomine *Sathanæ* donatur, quia aperto certamine & quaſi ſigno dato, ei aduerſatus eſt; iam enim ſuprà diximus, illud nomen aduerſarium ſignificare: ideò autem hoc ordine tentationum Dęmonis, hanc Iobi impugna-

tionem reponimus, videlicet in lege naturæ, quia in illa lege extabat; vel illius tempore, ſi verum eſt Dinam Iacobi filiam, à filio Regis Sichem conſtupratam, & à patris conſpectu ſubſtractā, ipſi Iobo fuiſſe deſponſatam, vt credunt Philo & Paraphraſtes Chaldęus, quem ſequitur Genebrardus [a]. S. Auguſtinus [b], ipſum Iobum laudibus efferens, diſertis verbis oſtendit illum extitiſſe tempore legis naturæ & ante legem ſcriptam: *Quàm admirabilis* (inquit) *eſt ſanctiſſimus Iob, qui antè legem litteris editam, in operibus ſuis exemplar legis oſtendit, nulla in hac cauſa alicuius documento addiſcens, ſed naturâ ipsâ duce, cui Deus iuſtitiæ ſemen naturaliter ineſſe decreuit, vndè creatori reuerentiam piâ deuotione ſeruauit; quantâ ergo laude dignus eſt? & quibus verbis facta eius debent extolli, cui non ante legem, neque poſt legem, parem poſſemus inuenire,* &c. his & alijs verbis quæ in eius commendationem proſequitur, conſtat hunc Patriarcham tempore legis naturæ vixiſſe; quamuis tamen aliqui alij velint illum circa Moſis tempora ſuperſtitem fuiſſe; ſed quidquid ſit, ſatis ex eius hiſtoria diſcimus Sathanam illum acriter fuiſſe aggreſſum, priùs tamen à Deo petitâ & obtentâ licentiâ, aliàs illum nunquam auſus fuiſſet aggredi. Poſtquam igitur Deus ipſe ſanctum virum nonnullis extuliſſet laudibus, dixit Sathanæ: *Ecce vniuerſa quæ habet in manu tua ſunt*, & adhuc, *ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua*; hoc eſt vitam aiunt aliqui, vel etiam ipſum ſpiritum: ſicque lędendo corpus, infractum animum lędere non potuit, erat enim in gratia, & nullo modo ratione alicuius peccati commiſſi, tot tormenta Sathanæ patiebatur: vnde eleganter dicit Paulus Oroſius: *Expetente inimico famulum ſuum Deus ſpoliat per tentationem, non nudat, aufert ſubſtantiam, & dat gratiam; expetita prædoni præda permittitur, & rurſus prædæ ſuæ cuſtos adhibetur.* Si ergo Sathan Iobum opibus perituris, Dei permiſſione ſpoliauit, ditatus eſt non perituris, videlicet ipsâ gratiâ, & poſteà æterno præmio. Sed vultis ſcire quibus veſtiuit eum ſpoliando? vulneribus, ſic enim loquitur Sanctus Zeno: *Ipſum* (inquit) *poſtremò Iobum quem diuitijs ſpoliauerat magnis, magnis veſtiuit vlceribus*; vnde in textu legimus; *Egreſſus igitur Sathan à facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius*, hoc eſt putredine fuit coopertus, & vermibus vndique ſcatens, & ideò aiebat; *Putredini dixi, pater meus es: mater mea, & ſoror mea, vermibus*; iam circa ſeipſum & contrà ſeipſum (vt rectè aduertit Origenes) omnia inferni agmina vidit expoſita, & ſe prouocatum non ad ſingulare certamen vnius cum vno, ſed vnius cum innumeris Dæmonum Legionibus, vnde egreſſus eſt domo, imò & à ciuitate, & ſedēs in ſterquilinio teſtâ ſaniem

Philo.
a Lib. 1. Chronol.
b Lib. qq ex vtroque mixtum qu. 118.
Iob 1.
Iob 2.
Lib. de Apolog. libero arbitrio.
Serm. de patientia.
Iob 17.
Origenes.
Iob. 2.

radebat; ſed ad quidnam diſceſſus iſte? quia Diabolus omnia huius ſancti viri bona conſumpſerat, & liberos omnes domus concuſſione vnâ horâ interemerat, vt non relictum ei fuerit, vbi caput reclinaret, & proindè extra ciuitatem ſedebat in ſterquilinio ab omnibus ſuis conciuibus, imò & cognatis atque famulis proprijs derelictus, exceptis tribus amicis eius qui eum conſolabantur, & vxore propriâ, quæ etſi erga eum ſtulta & criminoſa verba proferret, virum tamen deſolatum comitabatur, & aſſiſtentiam prſtabat. Ratio autem potiſſima, cur illum horrori haberent ciues, cognati, & proprij famuli, ita vt extra ciuitatem egredi coactus fuerit, grandis fuit putredo, fœtor, & vermium ſcaturigines quæ ex eo prodibant, atque etiam lepra quâ erat reſperſus, quæ quidem cunctis inſpicientibus horrorem incutiebat, & ea etiam de cauſa ciuitate egreſſus ſterquilinium adijt, in quod ſe deijceret; tam enim horrendus eſt leproſi aſpectus & nociuus, vt Deus in lege leproſos iuſſerit extra ciuitatem eijci debere: ita vt Rex Oſias leprâ percuſſus coactus fuerit regno
Hom. 39. in Euang. cedere, & vrbe excedere: ſcribit autem S. Gregor. Iobum non quouis lepræ genere, ſed fœdiſſimo & horribiliori Dmonis operâ affectum fuiſſe: ſed quid hoc dictu, *Teſtâ ſaniem radebat?* in Hebrο habetur *hheres*, quod tegulam aut laterem ſignificat, ad quidnam rem tam aſperam elegit, ad vlcera & ſanioſam carnem mundandam? qui vlceribus affliguntur, ſolent mollioribus panniculis humorem fluentem abſtergere, aut ſaltem blandâ manuum applicatione, cùm omnia deficiunt emundare, quis vnquam ad vulnus aſ-
a 3. Moral. cap. 3. peram tegulam applicauit? Sanctus Gregor [a]. Apollinaris [b], Ori-
b In cathena græca. genes [c] dicunt eum voluiſſe ad dolores & plagas quas Diabolus intulerat, grauiores & acriores addere, & in carne ſua excitare, & ideò
c Lib. 2. in Iob. vt plagas abſtergeret, non accepit molle & dulce aliquid, quò vehementem atque inenarrabilem dolorem mitigaret ac releuaret, ſed teſtam ſeu tegulam duram & aſperam, volens in hoc oſtendere, animum habere his omnibus doloribus & pœnis fortiorem, nec illis ſuccumbere aut deficere, inuictaque armari patientiâ: ſicque in
1. Cor. 9. praxim redigebat id quod poſteà dixit Apoſtolus: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, & in hoc etiam Apoſtolum ſuperabat, quòd grauiùs ſuam affligeret carnem, quam quidem & Sathanas ipſe diuexabat: dicere quoque poterat cum eodem Apoſtolo:
2. Cor. 12. *Cùm infirmor tunc potens ſum. Ita fortis eſt ſuæ carnis infirmitas*
Serm. 25. (ait S. Ambroſ.) *vt fortem reddat ſpiritum*; & S. Chryſoſt. docet
Epiſt. 3. ad Olimp. tom. 1. ad finem. ipſum S. Iobum virtutis ſuæ magnitudine, vniuerſum terrarum orbem colluſtraſſe; & S. Auguſt. illum ita omni laude ſuperiorem iu-
Serm. 215. de tempore. dicat, vt nullum ſibi videatur inuenire nomen, quo inuictam illius

fortitu-

fortitudinem & prælιandi dexteritatem, pro dignitate declaret, in cuius tanti tamque fortis athletæ victoria, viſus eſt Deus honorem ſuum conſtituiſſe, vt B. Hieronym. annotauit; & Dæmon ipſe fateri coactus eſt ſe eſſe victum, omneſque ſuas machinas eſſe deiectas & acies profligatas, & ita ſuperatus fugam arripuit: hinc perbellè S. Chryſoſt. cuius verba in grçca catena Iob, ex aureo illius ore referuntur: *Hic vir magnus atque admirabilis, qui vbiuis gentium clarus, qui pietatis athleta fuit, qui coronâ donatus, qui cuncta certamina exantlauit, qui innumera aduersùs Diabolum trophæa conſtituit*; Adam in Paradiſo inter nemora cecidit, Iob inter dolores vicit, vt benè notauit S. Auguſt. *Videtis ergo dilectiſsimi* (inquit) *quid agat tentatio, & quàm vtiles ſint huius mundi preſſuræ, & quemadmodum corrumpant terrenæ deliciæ.* Ex plagis Iob, eius virtus foràs prodijt quæ latebat, & in omnem mundi plagam eſt ſparſa, vt omnibus exemplum patientiæ conſtitueretur; vnde eius patientia in Prouerbium iuit; ita vt vir infractæ patientiæ, & omnibus aduerſis animo fortitudinèque ſuperior, Iobi patientiam habere dicatur; illamque more aromatum ex incenſione fragrantium odorem ſuum igne tribulationum latiùs ſpargat; quemadmodum Iobo contigit, quò enim in ipſum ſæuior fuit Sathanas, eò magis enituit, & odorem ſuum ſparſit. Plura alia de patientia dicemus, & potiſſimùm ipſius S. Iob in Tractatu de anima rationali ſubfinem. Diſcamus itaque ab illo non patientiam ſolùm, ſed etiam agendas nobis eſſe Deo prępotenti gratias, in aduerſis & tribulationibus, nobis repræſentantes illas non eſſe iniurias, ſed beneficia potiùs, quemadmodum ipſe indicauit de calamitatibus quas ſubijt: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus?* &c. *ſit nomen Domini benedictum*; id nos poſteà docuit Apoſtolus: *Omni tempore benedicentes*, quid eſt omni tempore bene dicere? in poſteris & in aduerſis, inquit ibi Primaſius.

Epiſt. 34. ad Iulianum.

De tempore Barbarico tract. 5.

Primaſius.

SECTIO III.

De tentationibus Dæmonum in Lege ſcripta.

QVOD ſpectat ad Dęmonis tentationes in lege Moſaïca ſeu ſcripta, tot reperiuntur in libris Exodi, Numerorum, Ioſue, Iudicum, Regum, Machabæorum, &c. Veteris Teſtamenti ſcriptæ Legis, vt illas omnes recenſere, eſſet omninò Lectores tædio

Plures Dæmonum tentationes in lege ſcripta.

afficere. Inter illas autem tentationes quibus ad diuerſa perpetranda facinora homines tunc temporis inducebat Sathanas, totius generis humani aduerſarius, illæ maximè ſunt quibus idololatriam ſuggerebat, hoc eſt falſorum Deorum adorationem, etiam per ſacrificia:& vt id nobis magis innoteſcat eſt obſeruandum cum quibuſdam Patribus, quòd cùm Deus vellet populum Hebręum de Ægypto exeuntem, & Gentilitijs ritibus & ceremonijs renunciantem reformare, & ad pietatem verique numinis cultum inſtruere, legem dedit Moyſi in monte Sinaï, vt in Exodo multis in locis patet, vbi omnia præcepta & moralia & ceremonialia & iudicialia diligentiſſimè proſequutus, tandem dedit Moyſi duas tabulas teſtimonij lapideas, digito Dei ſcriptas: cognouit Diabolus quantum ſibi ex illis tabulis detrimentum naſceretur eam legem fore illius populi ad veram fidem & religionem pædagogum, dediſcendas eſſe ſuperſtitiones Ægyptiacas, abolendas prauas conſuetudines, extinguendam idololatriam, reformandos mores, excolendam fidem, vnum ac verum Deum totis animis amplectendum; & propterea in iras exarſit, & quidquid vi aut fraude potuit, intendit, omnes machinas admouit, vt traditam legem reſcinderet, vt idololatriam nutriret, & fœlicia illius populi ad veram pietatem exordia perturbaret: ſolet enim ſolertiſſimus ille aduerſarius ex quacumque re, quocumque loco & ex quauis occaſione, fortiſſimas conſtruere tentationes, vt bene obſeruauit Philo; ait enim Deum conſultò noluiſſe legem tradere populo ſuo, dum in Ægypto commorabatur, ſed cum peruenit ad deſertum, vbi procul abeſſent ab illis occaſionibus quas in Ægypto habebat ipſe Dæmon ad tentandos eos, & ad ipſius legis tranſgreſſionem excitandos, colebantur namque in Ægypto Dij multi & varij, qui diuinitatis ſpeciem ex altaribus & ſacrificijs præ ſe ferre videbantur, occaſione item ſeruitutis, & timore pœnarum poterant Hebræi ad multa peccata induci contrà legem Dei. Voluit proptereà Deus vt Ægypto egrederentur, quò à dijs Ægyptiorum alieni & à potentia tyranni liberati, nihil quod à legis obſeruantia eos excuſaret, reperirent; imò in ſolitudine habitantes, ſolius veri Dei opera contemplabantur, cælos videlicet, lunam, ſtellas, & alia quæ ipſe fundauit; & ita quidem factum eſt. Nihilominùs ex ijs Diabolus tentationes innumeras extruxit, nam contemplantibus illis ſolis elegantiam, lunæ plenæ pulchritudinem, & ſtellarum concentum ac ſplendorem, planetas emicantes & quaſi ſcintillas emittentes conſiderantibus, perſuadere inde cœpit Deos veros eſſe qui tali præſtabant pulchritudine, & tot bona terris inferebant, & ita ad eorum adorationem illos pertraxit, vt neceſſe fuerit Deum prohi-

Exod. 20. vſque ad 31. incluſiuè.
Deus legem Moyſi dedit & ad quid.
Exod. 31.

Dæmon omnes machinas aduerſus traditam Moiſi legem admouit.

Lib. de decem Oraculis.

Deus filios Iraël ex Ægypto egredi voluit, & cur.

Variè fuerũt à Dæmone tentati filij Iſraël etiam in ſolitudine.

bere aſtrorum curioſam contemplationem, vt conſtat ex Deutero-
nomio: ex ipſa inſuper ſolitudine occaſionem accepit perſuadendi *Deuter. 4.*
eis neceſſarium ſibi eſſe Deum, quem coràm ſe viderent & conſpice- Dæmon fi-
rent, qui illos à tam deſerta ſolitudine liberaret, & inde eos impulit lios Iſraël
ad extruendum vitulum conflatilem: vnde Aaroni dixerunt, *Surge,* impulit ad
fac nobis Deos qui nos præcedant: & ille qui fidem tueri debebat, ad vitulum con-
illam deſtruendam inſtinctu Dæmonis patrocinium contulit: op- flabilem ex-
portuit autem vitulum illum comminui & in pulueres redigi, vt à tali truendum.
impietate auocarentur. Idem pariter Deos filiorum Moab adora- *Exod 32.*
runt [a], & Baal, atque Aſtaroth [b]. Conſtat etiam quamuis longè a *Num. 25.*
poſteà de Regibus Salomone & Ieroboam quorum prior [c] cor ha- b *Iudicum 2. 6. 10. 17.*
buit ita deprauatum per mulieres vt ſequeretur Deos alienos non c *3. Reg. 11.*
ſolùm, ſed etiam illis fana conſtrueret, & ſacrificaret; Poſterior ve- Dæmon fi-
rò, [d] vitulos aureos ſibi confecit, eis immolauit, ipſoſque adorauit. lios Iſraël
Conſtat inſuper de plurimis alijs de quibus meminerunt veteris te- eorumque
ſtamenti libri, qui tentati à Dæmone, in idololatriam turpiſſimè Reges, ad
prolapſi ſunt, contrà id Exodi, *Non facietis Deos argenteos nec Deos* idololatriam
aureos, & in eodem libro, *non facies tibi Deos conflatiles*, & libro induxit, cõtra
Leuitici, *nolite conuerti ad idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis,* id quod pro-
Ego Dominus Deus veſter, & tandem in Deuteronomio, *non vidiſtis* hibuerat Deus
aliquam ſimilitudinem in die quâ loquutus eſt vobis Dominus, in Ho- d *Lib. 3. Reg. 12. & 13.*
reb de medio ignis, ne fortè decepti, faciatis vobis ſculptam ſimilitu- *Exod 20.*
dinem, aut imaginem maſculi vel fœminæ, ſimilitudinem omnium iu- *Exodi 34.*
mentorum quæ ſunt ſuper terram, vel auium ſub cælo, volatilium at- *Leuit. 19.*
que reptilium, quæ mouentur in terra, ſiue piſcium qui ſub terra mo- *Deut. 4.*
rantur in aquis; ne fortè eleuatis oculis ad cælum ſolem videas & lu-
nam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea & colas. Et eſt
quod habet Pſaltes Regius, *ſi audieris me, non erit in te Deus re-* *Pſalm. 80.*
cens, &c. Et idem, *omnes enim dij gentium Dæmonia.* Quibus ſanctæ *Pſalm. 95.*
ſcripturæ locis, conſtat Iſraëlitas & alios ſuadente Diabolo, contrà
Dei mandata ſtultè ad idololatriam prolapſos fuiſſe.

Mitto plura alia Iſraëlitarum & aliorum legis ſcriptæ facino-
ra, eorumque murmurationes, iiſdem Sathanæ ſuggeſtionibus, ad-
uerſùs Deum & ſeruos eius; mitto quoque adulterium & homici-
dium quæ commiſit Dauid eiuſdem Sathanæ incitamentis vt habe-
tur in ſecundo lib. Regum de quibus iam anteà diximus. Miſſum fa- *2. Reg. 11.*
cio pariter nefandiſſimum parricidium ad quod impulit Abſalonem,
propoſito regno paterno, quod eum obtinere poſſe ſuggerebat, ſi
Patrem occideret. Nec recenſeo tot bella, ſeditiones, contentio- Quam plura
nes, ſtrages, perturbationes, homicidia, machinas, fraudes, & alia facinora ſug-
huiuſmodi quas contrà bonum pacis, & charitatem fraternam, inter geſſit olim Dæmon,

plures, teterrimus ille hoſtis excitauit, vt conſtat non ſolùm in libris Regum, Ioſue, & Iudicum, verumetiam Machabæorum, & aliorum.

CAPVT VII.

De Tentationibus Dæmonis in noua lege.

SECTIO I.

Quomodo Dæmon ab initio Chriſto inuiderit, illumque interimere tentauerit.

Dæmon in antiqua lege, infeſtiùs homines tentabat quàm in noua.

ETIAMSI Deus Dæmoni permittat vt homines etiam in lege Euangelica tentet, vt conſtat experientiâ, ei tamen in antiqua lege multò infeſtiùs homines tentare permiſſum eſt, quã pòſt Chriſti aduentum, tunc enim regnabat in filios diffidentiæ, princeps mundi erat, cui omnes ſubijciebantur; tantaque erat eius potentia propter gratiæ minorem abundantiam, & maiores ipſius vires; vt quaſi vim hominibus inferret. Vnde clamabat Ezechias, *Domine vim patior, reſponde pro me*; at poſtquam Chriſtus venit, à tanta ſeruitute mundum redempturus, eius vires eneruatæ & confractæ fuêre; & arguetur à ſpiritu ſancto quiſquis dixerit, *vim patior*, & hoc eſt quod perdoctè tractat Euſebius, *quod autem poſt tempora ſaluatoris noſtri, potentia Dæmonum fracta iaceat, ipſe Porphyrius Chriſtiani nominis hoſtis, in libro quem aduerſus religionem noſtram conſcripſit, hoc modo teſtatur. Nunc verò mirantur* (inquit) *ſi tam multis annis peſte vexantur, cùm & Aeſculapius & alij dij longè abſint ab ea, poſteà enim quàm Ieſus colitur, nihil vtilitatis à dijs conſequi poſſumus.* Ex his ſequitur quod Dęmon in ſtatu gratiæ, non habet tantas vires ad tentandum, quantas habuit in ſtatu naturæ, & in lege veteri, quia iam per Chriſtum ducem noſtrum fuit ſuperatus, & eius potentia imminuta: quare nos facilè poſſumus eum debellare & ictibus eius reſiſtere, quia inimicus inermis eſt. Hinc etiam paſſim in hac lege gratiæ idolorum reſponſa ceſſarunt, nec tam frequentes ac prodigioſæ elementorum perturbationes ab ipſis Dæmonibus excitari potuerunt, præſertim vbi crucis Chriſti trophæum erectum, aliaque fidei noſtræ ſymbola in vſu eſſent; quo tempore etiam vſque ad perſecutionem Antichriſti Lucifer in inferno alligatus creditur.

Iſaie 38.

Euſeb. lib. 4. prepar. Euangelicæ cap. 1.

Apoc. 10.

Aduertendum quoque, inter ipſos etiam homines tempore legis Euangelicæ eſſe diſcrimen, quia baptiſatos vniuerſim minùs permittitur Dæmoni infeſtare, præſertim externis & violentis machinationibus, quàm infideles non baptiſatos; vt etiam è terra Ethnicorum ac Gentilium, nempè Indiæ tam Orientalis quàm Occidentalis, multò horribiliora Diabolicæ virtutis ac potentiæ documenta ad nos ſcripta tranſmittuntur, quàm in terris Chriſtianorum audiantur; vt cum illis Dæmones viſibiliter ac familiariter palàm inter homines verſantur, docent, monent, puniunt, cùm ſuprà fidem prodigioſas ſæpè tempeſtates excitent, aliaque eis (Deo vt diximus permittente) nocumenta inferant.

Minus Dæmoni, fideles quàm infideles infeſtare permittitur.

Notandum inſuper, diſcrimen eſſe inter tempora poſtrema ſeu extremo iudicio vicinia, & anteriora dictæ legis nouæ; nam ſub tempus perſequutionis Antichriſti, rurſùm ſoluetur Lucifer, qui maiori tyrannide (Deo quoque permittente) quàm anteà ſæuiet, vt colligitur ex Apocalyp. de qua paſſim agunt Sancti Patres, ſpeciatim S. Cypr. [a], Athanaſius [b], S. Aug. [c], Chryſoſt. [d], & Gregorius [e], qui tempore gratiæ Dęmonem dicit eſſe ligatum, ne tantum noceat quantum vellet; & dum tentat in hac lege gratiæ, Deus vniuerſim pro ſolo ſuę voluntatis conſilio, ac libera electione, hunc grauius, illum leuiùs, hunc frequentiùs, illum rariùs, vel in hac, vel in illa materia tentari permittit, ac aliter electorum tentationes moderatur quàm cęterorum, quia in hoc nulli facit iniuriam, & cui vult maiorem gratiam impertitur.

Antichriſti tempore ſoluetur Lucifer.

Apoc 20.
a *Lib. 7. ep.* 4.
b *In oratione contra gentes*
c *Lib.* 20. *de Ciuit Dei c.* 7. *& ſerm.* 197. *de tempore.*
d *Homil.* 1. *ad populum.*
e *Lib.* 31. *moral. cap.* 12.

His ſuppoſitis, videndum de tentationibus Dęmonis, deque eius in lege noua malitia aſtutiaque. Et primò ex ſcriptura ſacra & Sanctis Patribus facilè videre eſt, quomodo Chriſtus Diabolicæ inuidiæ præ reliquis fuit expoſitus; ab initio enim ipſe videns humanitatem noſtram in vtero virgineo Deo vnitam, & ſuper omnem creaturam exaltatam, gloriâque & honore coronatam, putans omnem illam gloriam & celſitudinem ſibi potiùs deberi, vtpotè Angelorum primo vt antea dictum eſt, exarſit in inuidiam, & furens ſubitò exurgit aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Duellum hoc monſtratum fuit Sancto Ioanni, *Vidit enim draconem ſtantem ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret.* Agebantur hæc in cælis, antequam inde draco hoc eſt Lucifer præcipitaretur; tam enim illi in primo ſuę conditionis inſtanti quàm cæteris omnibus ſpiritibus, obiecta fuit per diuinam reuelationem fortiſſima illa mulier Maria, in cuius vtero oſtendebatur Chriſtus Homo-Deus, vt ab omni creatura adoraretur: expauit ad hanc diuiniſſimam gloriam draco, illique vehementiſſimè inuidens, ante mulierem ſtat, vt

Dæmon ab initio Chriſto inuidit, illumque interimere tentauit.

Apoc 12.

In opuſculo de gloria Angelorum bonorum. illam cum filio perdat; & hanc explicationem putat litteralem Catherinus. Hic ergo draco, inquit, deſcribitur eſſe ante mulierem quæ erat paritura, vt quem peperiſſet, filium deuoraret: in quo ira illa magna & odium impotens, ex inuidia peſſima declaratur, & homicidium inſigne Chriſti Domini & Matris eius. Nondum in terra, ſed in cælis ſolùm coram Angelis apparuit Maria, habens in vtero cæleſtem Regem filium ſuum, & filium Patris æterni, cui & diuinitas erat, & poteſtas ac imperium; & ſubitò draco & Angeli eius ardentes inuidia, aſtant mulieri illi puriſſimæ Mariæ, & tali furente inuidiâ, Chriſtum Ieſum in eius vtero exiſtentem perſequuntur, vt illam cum filio perimant, at tunc vana & ſine viribus ira fuit.

Cùm autem iam in mundo hoc viſibili, factus homo natus eſſet ex eadem virgine, continuò dubitauit Draco an ille met eſſet, quem ab initio ex inuidia fuerat aggreſſus, expectans eius partum, vt illum cum matre perimeret: & ea ratione multoties & multis modis niſus eſt diſcernere, an reuerà ille eſſet, potiſſimùm verò cum ductus à Spiritu Sancto in deſertum, poſt baptiſmum de manu Sancti Ioannis ſuſceptum, poſt ieiunium quadraginta dierum & totidem noctium, videns illum eſurire, anſam & occaſionem illum tentandi, pluribus alijs Dæmonibus comitatus certaminis ſpectatoribus arripuit, vt id de quo dubitabat, agnoſceret, & an eſſet ille quem in cælo viderat & fuerat perſequutus, vt poſteà fuſiùs dicemus. (Dæmonis de Chriſto dubitatio. *Matth.* 4.)

SECTIO II.

Dæmon tribus tentationibus Chriſtum in deſerto eſt aggreſſus.

SANCTVS Thomas docet ipſum Dæmonem tentando Chriſtum, eundem ſeruaſſe ordinem, quem in tentatione primorum noſtrorum parentum tenuerat: nam primò ſollicitauit eos ad eſum ligni vetiti, & ſic ad gulæ peccatum: ſecundò ad inanem gloriam, cùm dixit: aperientur oculi veſtri: tertiò perduxit tentationem ad extremam ſuperbiam cùm dixit: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum*; dum ergo idem Dæmon qui erat Lucifer Princeps Dæmonum, & vt exiſtimauit S. Auguſt. peculiari Dei permiſſione inferno egreſſus, Chriſtum tentauit in deſerto, eundem ordinem ſeruauit, qui ordo eſt quem tenere ſolet quando ſpirituales viros tentat, incipiens à leuioribus, & ſtatim ad maiora perducens, vt etiam notat S. Gregor. Primò igitur Chriſtũ tentauit de eo quod appetunt

(*3. part. q.* 41. *art.* 4. — Eo modo quo Dæmon, primos parentes tentauit, ita & Chriſtum. *Geneſ.* 3. — *Lib.* 9. *de Ciu. Dei, c.* 21. — *Lib.* 31. *Moral. cap.* 31.)

quantumcumque ſpirituales viri, ſcilicet de ſuſtentatione corporalis vitæ per cibum, & quamuis non fuiſſet gulæ vitium, Chriſtum eſurientem comedere panes ex lapidibus factos, tamen occaſione famis obedire aliqua in re Diabolo, gulæ vitio aſcribendum fuiſſet. Secundò, proceſſit ad id in quo ſpirituales viri quandoque deficiunt, vt ſcilicet aliqua ad oſtentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertiò, perduxit tentationem ad id quod iam non eſt ſpiritualium virorum, ſed carnalium, vt ſcilicet diuitias & mundi gloriam concupiſcant vſque ad contemptum Dei; & ideò in duabus primis tentationibus dixit: *Si filius Dei es*, non autem in tertia quæ non poteſt conuenire ſpiritualibus viris qui ſunt per adoptionem filij Dei, ſicut duæ primæ: ita S. Thom. Hæ tres tentationes ſunt tres lanceæ huius Ioab Dæmonis, tria capita huius aquilæ, tres incãtationes huius magi ſeu venefici, tres gulæ huius cerberi, tria acumina fulguris huius Iouis, quem adhuc loco Dei adorat Mundus, tres cuſpides ſceptri huius Neptuni, qui in tumeſcente mari paſſionum noſtrarum inordinatarum regnat, tres rotæ currus huius Plutonis inferorum Dei à poëtis dicti, qui tribus quaſi equis trahebatur, atque tridentem in manu tribus munitum acuminibus tenebat: quid dicam ampliùs? hæ tres tentationes tres ſunt furiæ, à poëtis quoque depictæ, Alecto, Megera, & Tiſiphone: & in ſumma ſi Scripturæ Sacræ adhæreamus, hæ tres tentationes illæ ſunt de quibus loquitur Sanctus Ioannes: *Omne quod eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, per mundum hîc non intelligitur phyſicè mundus creatus, ſed homines mundani, mundique bona & illecebras ſectantes; in quo quidem mundo, eſt concupiſcentia carnis, hoc eſt gula & luxuria; concupiſcentia oculorum, hoc eſt auaritia & curioſitas; & ſuperbia vitæ, hoc eſt ambitio, faſtus, appetitus excellentiæ & gloriæ, & ad hæc cuncta reuocantur vitia. De his ergo tribus tentauit Sathanas Chriſtum; concupiſcentiâ carnis, quando dixit: *Dic vt lapides iſti panes fiant*; ſuperbiâ vitæ, cùm eum ad inanem gloriam aucupandam vrſit, vt de faſtigio templi præcipitaret ſe, quò magnam hoc modo apud omnes videntes, acquireret gloriam & venerationem, & Angelorum manibus ſuſtineretur; concupiſcentiâ oculorum, cùm oſtendens ei omnia regna mundi & eorum gloriam dixit: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me*: ſed in vanum his tentauit Chriſtum, cùm in omnibus ab eo fuerit ſuperatus, vt in ſequentibus fuſiùs dicemus. Aduertit autem quidam inſignis Doctor, Chriſtum contrario modo quàm primum parentem agere voluiſſe, nam Adamus in loco deliciarum & ſocietatis coniugis Euæ, tentatus & proſtratus fuit, ideoque Para-

Eſuri 2.
Tres Dæmonis tentationes quibus Chriſtum tẽtauit, quibus comparentur.

1. *Ioan.* 2.

De quibus Dæmon tentauit Chriſtum.

diſo excluſus & eiectus; Chriſtus autem in deſerto Diabolum expugnauit, vt homines ad Paradiſum deduceret. In Paradiſo de fructu vetito comedit, vt ergo illum repararet in deſerto ieiunauit Chriſtus.

Christi tentationes expanduntur.

His igitur tres tentationes breui expendamus, Dęmon in deſerto dum cognouit Chriſtum eſurire, voluit explorare an verus Dei filius eſſet, an purus homo, etſi enim plurima habuit indicia, ad ſuſpicandum hominem illum eſſe Chriſtum & Filium Dei naturalem, illi tamen in oppoſitum multa alia occurrebant, quibus mens eius excœcabatur perplexáque & dubia hęrebat, cùm enim obſcurè Prophetarum oracula, deſcriberent futurum cum poteſtate magna regiaque Majeſtate Meſſiæ aduentum, & tamen illum in deſerto pauperem, deſpectum & eſurientem videret; ideò an eſſet Filius Dei an purus homo ſatis dijudicare non poterat: vnde offerens ei lapides aiebat: *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti*, &c. Ibi meminit panis ſed offert lapides, ſolùm nomen eſt panis, & ſubſtantia lapidis. Sic paſcit author mortis, ait S. Chryſol. Heu quàm multi nomine tenus Chriſtiani, re autem marmore duriores, Dęmonis inſtar Chriſto eſurienti lapides offerunt, non dulces cibos: ſed quando eſurit, niſi quando eorum conuerſionem vt Samaritanæ ſummopere deſiderat? & proh dolor! vt eius fami ſatisfaciant, nihil niſi lapides hoc eſt corda adamante & ferro duriora ei offerunt, continuò enim bonis eius inſpirationibus reſiſtunt eaſque à ſe repellunt ac nihili ducunt! quid magis horrendum? Marmora aqua cauat, ferrum calidum malleus domat, ſanguis hirci frangit adamantem, & nihil eſt quod eorum corda domare & emollire poſſit. Notate Chriſtum cùm eſuriret inueniſſe ficum ſterilem & ſine fructu, & proinde ei maledixiſſe, & ſubitò aruiſſe; ille eſurit, maximè veſtram conuerſionem & pœnitentiam exoptans, ſi ergò ſteriles & induratos abſque pœnitentiæ fructibus vos reperiat, eſt valdè pertimeſcendum ne ſuam ſuper vos inducat maledictionem. S. Chryſoſt. ad hęc verba, *dic vt lapides, &c.* ait Dęmonem apud ſe cogitaſſe; ſi poterit de lapidibus facere panes, verè filius Dei eſt, ſi autem non poterit, homo eſt; ſi igitur filius Dei eſt, illum cognoſcam per miraculum quod patrabit, ſi autem purus homo, eum ad gulam excitabo. Intendebat autem Dæmon, ſi illum agnoſceret eſſe purum hominem, à ieiunij propoſito ipſum auertere, & prouocare ad inordinatum cibi appetitum, quem vehementer famè oppreſſum videbat; aut ad triſtitiam, quòd cùm grauem eſuriem pateretur, ne buccellam quidem panis haberet; aut ad Dei contemptum, qui eum in deſerto ad quod ſe receperat vt ei inſeruiret, non ſuſtentabat, ſicut ſuſtentauerat Iſraëlitas & Eliam.

Dæmon meminit panis, & non niſi lapides Chriſto offert.

S. Chryſol.

Chriſtus noſtram eſurit conuerſionem.

Matth. 21.

Chriſtus ſteriliſ ficulneæ maledicens, quid hoc denotare voluit

Opere imperf. in 4 Matth. hom. 5.

Quid intendebat Dæmō tentando Chriſtum.

Qnoniam

Quoniam autem hęc omnia ad gulæ peccatum ſpectant, communiter cenſent patres Dęmonem his verbis quę ſuprà inſinuauimus Chriſtum de gula tentare voluiſſe. Ita S. Ignatius [a], & S. Cypr. [b] Ita quoque S. Greg. Nazianz [c]. aſſerens Dęmonem voluiſſe Chriſtum deijcere per eſum, ſicut Adàm, quod ijſdem verbis dixerunt SS. Chryſoſt. Baſil. Ambr. Aug. & Greg. Aiebat ergò Cacodæmon, *ſi filius Dei es, dic,* &c. quibus verbis duo petit quæ Dei propria ſunt. Primum eſt modus operandi, proprium enim eſt Dei operari ſola dictione, aut verbi ſui imperio, cuius ad nutum omnia obediunt, vnde idem eſt, dic ac impera, iube, præcipe, manda, tanquam totius naturæ Dominus, cuius dicere facere eſt: & exemplum habemus in Pſalmis vbi poſt dicere habetur mandare & pręcipere, vt oſtendatur duo illa idem ſignificare. *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Alterum quod Cacodęmon petit, eſt immutatio naturæ lapidis in panem, *vt lapides iſti panes fiant,* vt enim docuit S. Ambroſius, *Solius Dei proprium eſt, pro ſua voluntate rerum immutare naturas, vt conuertere vxorem Loth in ſtatuam ſalis, virgam in ſerpentem, aquam in vinum, vt in nuptijs factus in Chana Galileæ.* Dolo itaque voluit explorare an lapidum naturam poſſet in panes conuertere, vt inde poſſet diſcernere an eſſet Dei filius & omnium ſubſtantiarum creator; & hac in parte videtur modernis hæreticis fidelior, difficilior enim creditu eſt lapidis in panem conuerſio, virtute diuina & per miraculum ſupra omnem naturæ ordinem, quàm eadem virtute panis in corpus Chriſti tranſſubſtantiatio; maior enim eſt proportio naturalis inter carnem & panem, qui ipſi carni nutriendæ inſeruit, quàm inter carnem ipſam & lapides, vt ex Theophylacto colligere facilè eſt; non enim nutritur caro lapidibus ſicut nutritur pane, vnde notanda ſunt valdè ipſius Theophylacti verba. *Ne quem* (inquit) *conturbet, quòd credendus ſit panis caro; etenim in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & ſimilis fiebat ſanctæ eius carni, & in augmentum & ſuſtentationem conferebat, iuxta humanum morem; igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur.* Apparet igitur difficiliùs eſſe lapides in panes conuertere, quàm panem in carnem: Si ergo Pater & caput hęreticorum Diabolus, primum credidit dum Chriſto dixit, *ſi filius Dei es, &c.* cur ſecundum non credunt quod quotidie fit in altari? Quòd ſi dicas Magos Pharaonis, & inter alios Iamnes & Mambres quorum meminit S. Paulus, virgas tranſmutaſſe in ſerpentes, aquam in ſanguinem, & ranas ſubitò produxiſſe, & apud Gentiles Apollonium Tyanęum & alios admirandas tranſmutationes operatos fuiſſe; dicendum eſt illas non fuiſſe

a Epiſtola 8. ad Philip.
b Lib. de ieiunio & tent. Chriſti.
c In oratione de laudibus S. b Cypr.

Duo quæ Dei propria ſunt, à Chriſto petebat Dæmon & quæ.

Pſal. 48.

Oratione de fide reſurrect.

Dæmon hæreticis fidelior videtur.

Theophyl in cap. 6. Ioan.

2 Ad Timoth. 3.

veras tranſmutationes, ſed ſimulatas & fictas, atque tantummodo apparentes, vt docet S. Thomas [a]. De his loquens Iuſtinus Martyr [b], ait: *Quæ ab incantatoribus facta ſunt, operâ Dæmonum facta ſunt, qui ſpectantium oculis eas præſtigias effuderunt, vt qui ſerpens non eſſet eum viderent quaſi ſerpentem, & non ſanguinem quaſi ſanguinem, & non ranas quaſi ranas.* Nonnulli docent illas transformationes factas à Magis fuiſſe veras non quidem virtute ipſâ Diabolicâ, ſed inuiſibiliter applicando actiua paſſiuis, ſunt enim in rebus naturalibus virtutes occultæ, & nobis ignotę, vt in quibuſdam herbis, lapidibus, aquis, ſuccis, animalibus, quæ incredibiles effectus producunt, quorum nonnulla exempla perhibent Plinius [c], & Albertus Magnus [d]. Harum notitiam Diabolus habet, quibus & Deo permittente vti poteſt, & effectus producere admirandos, qui tamen vera miracula non ſunt, vt demonſtrat S. Thomas quia virtute non ſuperante naturam, ſed potiùs facultate naturali producuntur; & ita credunt aliqui Sancti Patres factos fuiſſe dracones in Ægypto a Magis, vt Aug. [e] Theodoretus [f], & hanc ſententiam tenuiſſe videtur Philo [g] qui de Magorum ſerpentibus tanquam de veris ſerpentibus agere videtur; & eandem ſequuti ſunt ſententiam Abulenſis, Lyranus, Caietanus, &c.

a Loco cit.
b Quæſt. 26. ad orthod.
Opiniones diuerſæ circa nonnullas tranſmutationes.
c Lib. 2.
d Lib. de mineralibus & animalibus.
e 3. de Trinit cap. 7. & 8
f In Exodum q. 79.
g Lib. de vita Moyſi.

Quicquid ſit, certum eſt Dęmonem aut Magos nullatenùs poſſe virtute ſuâ rerum naturas tranſmutare, & propterea Diabolus, ad inueſtigandum an Chriſtus verus eſſet Deus, non ſimpliciter poſtulauit vt transformaret lapides in panem, ſed vt hoc faceret ſolâ voluntatis ſuæ iuſſione, mandato, & dictione, *dic*, inquit, *vt lapides iſti panes fiant.*

Dæmon & Magi, non poſſunt rerum naturas tranſmutare.

SECTIO III.

Gladio verbi Dei, primæ Dæmonis tentationi occurrit Chriſtus.

SED quid huic primæ tentationi reſpondet Chriſtus? *Scriptum eſt* (inquit) *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei;* qua reſponſione nihil certum addiſcere potuit Dæmon, an Deus eſſet, an homo: nam non dixit *poſſum & volo,* ne ſe oſtenderet ei filium Dei, nec dixit *non poſſum,* ne ſe oſtenderet mendacem, quia cùm eſſet homo-Deus, reuerà poterat; & ideò, *mediè reſpondit* (inquit S. Ambroſius [a]) *& ſuam profeſſus huma-*

Quid primæ tentationi Chriſtus reſpondit.

a Lib. 4. in Luc.

nitatem, ſuam diuinitatem diſſimulauit, ſicque vt ait S. Chryſoſt.[b] *in maiorem ſuſpenſionem quam anteà tenebatur, induxit.* Sed vnde hanc ſententiam deſumpſit Chriſtus? ex Deuteronomio, & eſt enallage præpoſitionis, *in omni*, id eſt, *ex omni verbo*; Hebraïcè habetur *ſuper omne quod egreditur os Domini, viuit homo*, hoc eſt re quâcumque quam iuſſerit Dominus, vel ordinarit ad vitæ ſuſtentationem, nutrietur & ſuſtentabitur homo, vti Iudæos in deſerto ſine pane nutriuit, & ſolo mannâ cæleſti, ac Moſem, & Heliam aluit per 40. dies ſuo colloquio, ſuâque virtute naturam eorum conſeruante; & ſi vellet vt ſine omni cibo viueremus, vt multos ſanctos orationi & contemplationi addictos, ſpiritualibus delectationibus pauit, adeò vt omnem cibum humanum faſtidirent, id præſtare poſſet: vt de facto exemplum habemus de Sancta Catharina Senenſi, de Sancta Lutgarda, priſciſque Anachoretis: ita aluit Ioannem Abbatem per tres annos ſolâ Euchariſtiâ quam die Dominicâ ſumebat, vnde Angelus ei dixit: *Chriſtus tibi verus erit cibus*; teſte Palladio in Lauſaïca; ſic Sanctam Mariam Ægyptiacam ferè per 47. annos, aluit in deſerto ſine cibo terreſtri, paſcens eam lachrymis & gaudijs cæleſtibus: ſic de Sancta Magdalena, & pluribus alijs. Rectè igitur dicebat Chriſtus Dæmoni ei lapides offerenti, vt in eos panes conuerteret, *Scriptum eſt quia non in ſolo pane viuit homo, &c.* Deinde aptiſſimè dicit Chriſtus, *ſed in omni verbo*: ſicut enim homo ordinariè loquendo indiget nutrimento corporeo, ad ſui in corporali vita conſeruationem; ſic ad conſeruandam in vita gratiæ animam, indiget verbo Dei: vnde meritò ipſum Dei verbum cibus animæ dicitur, quia id ſpiritualiter agit in anima, quod corporeum alimentum in corpore, materiale enim alimentum reſtaurat deperditum, confortat naturam, ad debitam quantitatem perducit, in vita conſeruat, & refectum lætificat: ſic verba diuina hominem inducunt ad pœnitentiam, quâ deperdita tempora & bona amiſſa, opera quoque virtuoſa per mortale peccatum mortificata, recuperantur, interiores animæ vires confortantur, & ad debitam ſpiritualis profectus menſuram perducuntur, hortando, comminando, iubendo, conſulendo, ac alijs modis, ſicut ait Apoſtolus: *Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*, conſeruat quoque animam in vita gratiæ actibuſque virtutum, & breuiter, verbum Dei intellectum illuminat, ad fidem inducit, ſpem roborat, charitatem accendit, opera dirigit, contrà tentationes confortat, in bonis cor ſtabilit, conſolatur, atque delectat, mortemque culpæ, videlicet vitia & errores ab anima expellit;

b Hom. 5. operis imperfecti in Math.

Deuteron. 8.

Abſque pane multos nutriuit Deus.

Cap. 61.

Verbum Dei eſt animæ cibus.

2. ad Timoth. 3

Verbi Dei effectus.

Pſal. 118. hinc Regius vates: *Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis*; & hoc eſt quod diſertis verbis docet Rabanus in hęc verba: *Non in ſolo pane, &c. Sicut* (inquit) *corpus humanum non viuit ſine terreno cibo; ita anima viuere non poteſt ſine Dei verbo, cùm enim ſpiritualis ſit, ſpirituali ſolùm indiget alimento*; non ergo in ſolo pane viuit homo, hoc eſt non ſolùm corporeo alimento indiget homo, vt bene ſubſiſtat, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, id eſt per verba Sacræ Scripturæ homo ſalubriter viuit, eiſque indiget vt benè ſubſiſtat, ac ſpiritualiter roboretur.

SECTIO IV.

De ſecunda Chriſti tentatione à Dæmone.

DIABOLVS autem cùm eſſet primâ tentatione gulæ à Chriſto victus, nec certior euaderet, an eſſet Dei Filius naturalis, an purus homo, animo non deſpondit, ſed de inani gloria, ſi fortè id explorare poſſet, tentauit, ait enim Sacer Textus: *Tunc aſſumpſit Diabolus in Sanctam Ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Hæc ciuitas ſancta eſt Hieruſalem in qua ſola erat ſanctum Dei templum, & vnius Dei cultus, ac vera religio, ait S. Hieron. veriſimile eſt autem ipſum Dęmonem deportaſſe Chriſtum per aëra, nemine tamen vidente, nec etiam cùm ſuper pinnaculum illum conſtituit, quamuis exiſtimaret Dæmon, ipſum Chriſtum à multis viſum fuiſſe: & hoc factum eſt, quia Chriſtus impediebat, ne corpus ſuum ſpecies viſibiles ex ſe emitteret; vel quia non concurrebat cum oculis videntium, ad actum viſionis corporis ſui, ne viderent illum rapi per aëra, & ſic nè eum videntes crederent illum eſſe Magum, & conſuetudinem cum Dæmone habere, ſicque Dęmon illuſus fuit à Chriſto, quia eo inſcio ita egit Chriſtus vt à nemine videretur, ſicut alia vice: *Tranſiens per medium Nazarenorum ibat*, ſi enim Habacuc (inquit Chryſoſt.) purus homò à nullo viſus eſt, quando ab Angelo per comam capitis portabatur de Iudæa in Babylonem, quantò magis eſt credibile de Chriſto non fuiſſe viſum, quando volens fuit aſſumptus à Dęmone? Quemadmodum autem Angelus qui portauit Habacuc, videbatur ſolùm vnum capillum capitis ſui tangere & tenere, ſed tamen ne pondere corporis caderet, virtutem ſuam inuiſibilem ad totum corpus extendebat, illamque toti eius moli applicabat: ita dicendum de Dęmone, qui dum aſſumpſit Chriſtum,

Epiſtola 150. ad Hedibiam quæſt. 8.

Dæmon portauit Chriſtum nemine vidente, ſuam ad totum eius corpus applicando virtutem.

Luc. 4.
S. Chryſ.

tenuit manum eius aut brachium, ſi in hominis figura quam primò acceperat, permanſit, ſed nihilominùs ad totum eius corpus ſuſtentandum & ferendum, virtutem ſuam applicauit. Permiſit autem ei Chriſtus vt eum duceret quò vellet, & ſuis ipſius Dæmonis viribus ſuſtentaret, ac ſi purus eſſet homo, vt notant SS. Gregor. Hieron. &c. qua in re S. Chryſoſt. non Diaboli potentiam, ſed Chriſti patientiam expendendam obſeruat, quæ talis fuit vt ab ipſo Dæmone duci ſe permitteret: *Et ſtatuit eum ſuprà pinnaculum templi*, pinnaculum hebraïcè dicitur à verbo *panah* quod proſpicere ſignificat; quaſi pinnaculum ſignificet aliquid eleuatum, omnium proſpectui expoſitum, aut ex quo quis poſſit aliquid proſpicere. Locus autem ſuprà templum, ſuper quem ſtatuit Diabolus Chriſtum, erat templi altior pars, templum verò altitudine centum & viginti cubitorum erat, vt refert Ioſephus: ritè igitur locus iſte ita eminens, & omnium proſpectui expoſitus, dici poterat pinnaculum. Veriſimile eſt autem, pinnaculum hoc templi, fuiſſe faſtigium ſiue cacumen veſtibuli & frontiſpicij templi: vel vt ait Venerabilis Beda, erat tectum templi planum ſicut alibi tecta in Iudęa, & vltrà planitiem (vt etiam notat Lyranus) aſcendebat quædam clauſura in circuitu per modum propugnaculorum ad decorem & defenſionem: & ibi Diabolus Chriſtum collocauit, & dixit ei: *Si Filius Dei es mitte te deorſum*; certum eſt his verbis voluiſſe Dæmonem tentare Chriſtum de inani gloria; voluit quidem ille iterùm explorare, an verus Filius Dei eſſet, ita tamen vt ſi purus eſſet homo, eum induceret ad deſiderium inanis gloriæ, quo affectaret appeteretque ab hominibus æſtimari & magnificari. Ita SS. Ambroſ.[a] Chryſoſt.[b] Auguſt.[c] Gregor. Nazian. Bern. Thomas, & alij multi.

S. Chryſ. Hom. 5. operis imper. in M. 4.

Pinnaculum quid.

Lib. 15. antiq. cap. 14.

Toletus in c. 4. Luc.

In 3 Reg. cap. 6.

Chriſtum voluit tentare Dæmon de inani gloria.

De inani ergo gloria eum tentaturus (inquit Abul.[d]) aptè è deſerto extrahit, & in celeberrimam totius orbis ciuitatem ducit, & in loco totius ciuitatis eminentiori ſtatuit, inanis enim gloria tunc validè excitatur, cùm quis in conſpectu plurimorum habetur excellentiſſimus. Sanctus Ioannes Climachus, huius naturam formicæ comparauit; namque ſicut formica tritico ad maturitatem perducto & purgato, egreditur ad illud rapiendum & comedendum; ita cœnodoxia aut inanis gloria, opere aliquo ad perfectionem deducto; & ſic erga Chriſtum ſe geſſit Dęmon, videns quod ieiunium compleuerat: dixit ergo ei. *Si Filius Dei es, mitte te Deorſum. Erras Diabole* (inquit Petrus Rauennenſis) *cadere non poteſt Deus, conuenientiùs dixiſſes, ſi Filius Dei es, aſcende ad cælum, cùm ſit hominis vtique ad ima cadere, Dei ſit conſcendere ad ſuperna, ſed ſicut ſuis ſuadet, ſuis prouidet ſemper; ſic ſuos eleuat vt de alto præcipitet citiùs in ruinam.*

[a] *In 4 cap. Luc.*
[b] *In Pſ. 40.*
[c] *Serm. 14. in Pſalm. qui habitat.*
[d] *In cap. 4. Matth. qu. 33.*

Vnde inanis gloria excitatur.

Dei eſt ad ſuperna conſcendere, ſed hominis ad ima cadere.

Lib. 2. Coll. cap. 4. Hâc agendi calliditate, vicit Dęmon Heronem Anachoretam, vt refert Caſſianus, quòd cùm quinquaginta annis in deſerto eſſet commoratus, rigorem continentiæ perpetuò ſeruans, & miro feruore opera mortificationis exercens, ſolo pane & aquâ contentus, tandem ab Angelo Sathanæ fuit deluſus, apparens enim illi tanquam Angelus lucis, perſuaſit illi eum adeò eſſe ſanctum & tanti meriti apud Deum, vt Angeli etiam ex alto ruentem exciperent, nullamque inde læſionem corpus eius reciperet; præcipitem ergo in puteum ſe dedit, miſerèque perijt, amittens per ſuperbiam, quod per mortificationem & abſtinentiam, tot annorum ſpatio, lucratus fuerat. Diabolus ergo qui è cœlo deorſum cecidit in Tartara, vellet quoque Chriſtum & quoſcumque alios, ad eadem ſi poſſet demittere & trahere; & dum aliquem noſtrum ad peccatum inducit, non aliud facit, quàm vt ipſe mittat ſe deorſum; vnde Chriſtus Iudæis aiebat: *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum,* tunc enim Diaboli filios per imitationem vocabat. O incomparabilis malitia, Chriſto ſuadere vt ſe mittat deorſum! quod Chriſtus ſuadente Diabolo non præſtitit, multi eodem ſuadente pręſtant, & maximè illi qui ſolas diuitias, gloriam, dignitates quærunt, & quotidie deteriores fiunt; nec dicendum tamen Dæmonem vim illis inferre, cùm nulla ratione liberum arbitrium cogere poſſit, ſicut de facto dum Chriſto ſuaſit, vt mitteret ſe deorſum; *Non impulit* (inquit Chryſoſt.) *non tetigit, non appropinquauit, ſed tantùm dixit mitte te deorſum, quia omnis qui obaudit Diabolo, ipſe ſe deponit deorſum, nam Diabolus ad malum hortari poteſt, cogere non poteſt*; quod & eiſdem verbis annotauit Aug. vnde in Apocalypſi dicitur ab Angelo ligatus, vt non ſeducat ampliùs gentes, poſteà tamen in fine ſęculi ſoluendus; & ſic tantùm nocere poteſt ijs, qui ad eum tentationibus conſentiendo acceſſerint: quod obſeruat S. Auguſt. *Dicet,* inquit, *aliquis, ſi alligatus eſt; quare adhuc tantùm præualet? verum eſt fratres chariſſimi, quia multùm præualet, ſed tepidiſſimis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur, alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortiferâ ſecuritate coniunxerit: iam videte fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet, tu te illi per voluptates & cupiditates ſæculi noli coniungere, & ille ad te non præſumet accedere; latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omninò non poteſt niſi volentem, non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* Id faciliùs ſimilitudine intelligi poteſt. Si lapidem ferro confrices ad excutiendum ignem, licet ſcintillæ diſſiliant, nihil tamen efficis niſi fomitem adhibeas vt accendatur: ita

Peccator ſe deorſum mittit.

Ioan. 8.

Homil. 5 in imperf.

Dæmon tentando non cogit voluntate.n.

Tract. 12. in Ioan.

Apoc. 20.

Serm. 197. de tempore.

licet Sathan per tentationem quaſi ferrum fuſile, è ſenſualitate noſtra ignem conetur elicere, nihil tamen ei proderit, nec accendetur, niſi tu adhibeas conſenſum & voluntatem quaſi fomitem, quo ignem ille peruerſus accendit. Suſcitet ergo Dæmon quas voluerit ſuggeſtiones, cogitationes in corde pariat, quaſi ad ianuam cordis pulſans, vt poſſit ingredi; nihil proficit quandiu firma reſolutione tanquam ſerâ cor obſeratum eſt, quandiu iſta nobis diſplicent nec conſenſum damus; ſicut enim puella non poteſt matrimonio iungi quandiu negat conſenſum, quandiu dicit non, licet multis ſollicitationibus importunè vrgeatur & perturbetur: ita voluntas Diabolo non poteſt obligari quandiu dicit non, & licet vrgeatur per lenocinantis voluptatis ſenſum, quandiu negat conſenſum nihil in eam poteſt Dæmon: *Illius quidem eſt ſuadere* (inquit Chryſoſt.) *ſed noſtrum eſt perſuaſiones eius per legis obſeruantiam ſuperare*: propterea nemo culpam ſui caſus & interitus Diabolo aſcribere poteſt, quaſi ipſe ab illo ad hoc vel illud peccatū coactus & attractus fuerit, ſed ſibi ipſi malum illud debet aſcribere, quia ex propria & deliberata voluntate, ſuggeſtionibus Diabolicis conſentit, & eis locum dat, contrà id quod habet Apoſtolus[a]: *Nolite locum dare Diabolo.* Locus (inquit Sanctus Thomas[b]) datur Diabolo per conſenſum voluntatis; ideoque nullum locum in nobis ille habet, niſi quem libero noſtræ voluntatis conſenſu, ei conceſſerimus. Ipſemet Dæmon id benè nouit, cùm illud indicauit Sancto Antonio; ipſe enim ſemel huic ſancto viro occurrens, conquerebatur quòd omnes homines ſibi maledicerent, Reſpondit Sanctus Antonius, id meritò & ſuâ culpâ fieri: *Quia tu* (inquit) *omnes vexas & turbas*, cui Dæmon, *ego nihil efficio, quia in nolentem nihil poſſum, ſed ſi ipſi ſeipſos adinuicem perturbant, ipſi ſuo in ſuggeſtionem conſenſu, ſibi mali ſunt authores*; & ſic præclarè dicit S. Chryſoſt, *Chriſto non dicit, mitto, ne vim facere videatur, ſed mitte te deorſum dicit, vt oſtenderet, quòd vnuſquiſque noſtrum libertate arbitrij voluntatis ſuæ culpa cadit in mortem.*

Hom. 5. ex var. loc. in Matth.

[a] *ad Epheſ. 4.*

[b] *In cap. 4. ad Epheſ.*

Locum dare Diabolo quid ſit.

Loco citato.

Lib. 2. Coll. cap. 4. Hâc agendi calliditate, vicit Dęmon Heronem Anachoretam, vt refert Caſſianus, quòd cùm quinquaginta annis in deſerto eſſet commoratus, rigorem continentiæ perpetuò ſeruans, & miro feruore opera mortificationis exercens, ſolo pane & aquâ contentus, tandem ab Angelo Sathanæ fuit deluſus, apparens enim illi tanquam Angelus lucis, perſuaſit illi eum adeò eſſe ſanctum & tanti meriti apud Deum, vt Angeli etiam ex alto ruentem exciperent, nullamque inde læſionem corpus eius reciperet; præcipitem ergo in puteum ſe dedit, miſerèque perijt, amittens per ſuperbiam, quod per mortificationem & abſtinentiam, tot annorum ſpatio, lucratus fuerat. Diabolus ergo qui è cœlo deorſum cecidit in Tartara, vellet quoque Chriſtum & quoſcunque alios, ad eadem ſi poſſet demittere & trahere; & dum aliquem noſtrum ad peccatum inducit, non aliud facit, quàm vt ipſe mittat ſe deorſum; vnde Chriſtus Iudæis aiebat: *Vos de deorſum eſtis ego de ſupernis ſum*, tunc enim Diaboli filios per imitationem vocabat. O incomparabilis malitia, Chriſto ſuadere vt ſe mittat deorſum! quod Chriſtus ſuadente Diabolo non præſtitit, multi eodem ſuadente pręſtant, & maximè illi qui ſolas diuitias, gloriam, dignitates quærunt, & quotidie deteriores fiunt; nec dicendum tamen Dæmonem vim illis inferre, cùm nulla ratione liberum arbitrium cogere poſſit, ſicut de facto dum Chriſto ſuaſit, vt mitteret ſe deorſum; *Non impulit* (inquit Chryſoſt.) *non tetigit, non appropinquauit, ſed tantùm dixit mitte te deorſum, quia omnis qui obaudit Diabolo, ipſe ſe deponit deorſum, nam Diabolus ad malum hortari poteſt, cogere non poteſt*; quod & eiſdem verbis annotauit Aug. vnde in Apocalypſi dicitur ab Angelo ligatus, vt non ſeducat ampliùs gentes, poſteà tamen in fine ſęculi ſoluendus; & ſic tantùm nocere poteſt ijs, qui ad eum tentationibus conſentiendo acceſſerint: quod obſeruat S. Auguſt. *Dicet, inquit, aliquis, ſi alligatus eſt; quare adhuc tantùm præualet? verum eſt fratres chariſſimi, quia multùm præualet, ſed tepidiſſimis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur, alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortiferâ ſecuritate coniunxerit: iam videte fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet, tu te illi per voluptates & cupiditates ſæculi noli coniungere, & ille ad te non præſumet accedere; latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omninò non poteſt niſi volentem, non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* Id faciliùs ſimilitudine intelligi poteſt. Si lapidem ferro confrices ad excutiendum ignem, licet ſcintillæ diſſiliant, nihil tamen efficis niſi fomitem adhibeas vt accendatur: ita

Marginal notes: *Peccator ſe deorſum mittit.* — *Ioan. 8.* — *Homil. 5 in imperf.* — *Dæmon tentando non cogit voluntatem.* — *Tract. 12. in Ioan.* — *Apoc. 20.* — *Serm. 197. de tempore.*

licet Sathan per tentationem quaſi ferrum fuſile, è ſenſualitate noſtra ignem conetur elicere, nihil tamen ei proderit, nec accendetur, niſi tu adhibeas conſenſum & voluntatem quaſi fomitem, quo ignem ille peruerſus accendit. Suſcitet ergo Dæmon quas voluerit ſuggeſtiones, cogitationes in corde pariat, quaſi ad ianuam cordis pulſans, vt poſſit ingredi; nihil proficit quandiu firma reſolutione tanquam ſerâ cor obſeratum eſt, quandiu iſta nobis diſplicent nec conſenſum damus; ſicut enim puella non poteſt matrimonio iungi quandiu negat conſenſum, quandiu dicit non, licet multis ſollicitationibus importunè vrgeatur & perturbetur: ita voluntas Diabolo non poteſt obligari quandiu dicit non, & licet vrgeatur per lenocinantis voluptatis ſenſum, quandiu negat conſenſum nihil in eam poteſt Dæmon: *Illius quidem eſt ſuadere* (inquit Chryſoſt.) *ſed noſtrum eſt perſuaſiones eius per legis obſeruantiam ſuperare*; proptereà nemo culpam ſui caſus & interitus Diabolo aſcribere poteſt, quaſi ipſe ab illo ad hoc vel illud peccatũ coactus & attractus fuerit, ſed ſibi ipſi malum illud debet aſcribere, quia ex propria & deliberata voluntate, ſuggeſtionibus Diabolicis conſentit, & eis locum dat, contrà id quod habet Apoſtolus[a]: *Nolite locum dare Diabolo.* Locus (inquit Sanctus Thomas[b]) datur Diabolo per conſenſum voluntàtis; ideoque nullum locum in nobis ille habet, niſi quem libero noſtræ voluntatis conſenſu, ei conceſſerimus. Ipſemet Dæmon id benè nouit, cùm illud indicauit Sancto Antonio; ipſe enim ſemel huic ſancto viro occurrens, conquerebatur quòd omnes homines ſibi maledicerent, Reſpondit Sanctus Antonius, id meritò & ſuâ culpâ fieri: *Quia tu* (inquit) *omnes vexas & turbas*, cui Dæmon, *ego nihil efficio, quia in nolentem nihil poſſum, ſed ſi ipſi ſeipſos adinuicem perturbant, ipſi ſuo in ſuggeſtionem conſenſu, ſibi mali ſunt authores*; & ſic præclarè dicit S. Chryſoſt, *Chriſto non dicit, mitto, ne vim facere videatur, ſed mitte te deorſum dicit, vt oſtenderet, quòd vnuſquiſque noſtrum libertate arbitrij voluntatis ſuæ culpa cadit in mortem.*

Hom. 5. ex variis in Matth.

a ad Epheſ. 4.

b In cap. 4. ad Epheſ.

Locum dare Diabolo quid ſit.

Loco citato.

SECTIO V.

Allegat Dæmon malè ſcripturam, vt Chriſtum ad ſe præcipitandum inducat, at aliam ad rem facientem, adducit ipſe Chriſtus.

Dæmon ſcripturam allegat, vt Chriſtum ad ſe præcipitandum inducat.

Pſalm. 90.

Hom. 5. ex diuerſis in Mat.

DÆMON maximè exoptans aſſequi quod de Chriſto intendebat videlicet vt ſe deorſum mitteret, & ſic ab omnibus illum videntibus, in maiori admiratione & veneratione haberetur, locum Sacræ Scripturæ ex Pſalmo nonageſimo deſumptum allegat: *Scriptum eſt* (inquit) *quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. O nefanda artis aſtutia* (clamat Chryſoſt.) *& damnanda temeritatis audacia! qui viderat ſe à Domino reſponſo legis fuiſſe percuſſum, iam non tantùm nequitiæ ſuæ armis vtitur, in quibus inutilis repertus eſt, ſed & ipſe legis teſtimonium mutuatur, & inde tentat vincere, vnde dolebat ſe fuiſſe iam victum, & qui audierat ſcriptum eſt, audet dicere ſcriptum eſt.* Aduertendum autem, hanc Diaboli tentationem allegando ſcripturam, fuiſſe fatuam, & irrationabilem; fatuam quidem, quia ſi Chriſtus præcipitaſſet ſe de pinnaculo, nemo credidiſſet hoc eſſe deuotionis ſignum, ſed potiùs fatuitatis & vanitatis; irrationabilem verò, quia irrationabile valdè eſt, vt ille qui ratione omnia gubernat, ſine aliquo profectu præcipitet ſe de alto. Præterea authoritas quam in medium adduxit, eſt inſufficiens propter tria: primò quidem quia ex hoc quod dicitur: *Angelis ſuis*, &c. non probatur, vt ait Chryſoſt. quod Chriſtus ſe debeat præcipitare: ſecundò authoritas eſt incompleta, eamque Dęmon truncat & mutilat in duobus: primò quia malitioſè omiſit verba: *Vt cuſtodiant te in omnibus vyſ tuis*, quia ad præcipitium, non ad viam hortabatur, inquantùm volebat vt ſe Chriſtus pręcipitaret, pręcipitia enim non ſunt viæ, in quibus nos cuſtodiant Angeli; quod ſcitè habet S. Bernard. *Quid* (inquit) *mandauit? nempè quod in Pſalmo ſequitur, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, nunquid in præcipitijs? non eſt via, ſed ruina; & ſi via tua eſt, non illius*: ſecundò eſt authoritas hæc incompletè à Dæmone adducta, quia tacuit illud quod ſequitur: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem;* ipſe enim Diabolus ſecundùm Origenem eſt aſpis, eſt leo, eſt draco, &

Quàm fatua & irrationabilis fuit ſcripturæ allegatio à Sathana, & ob quid.

Male Dæmõ ſcripturam allegat, & ob quid.

In Pſalm. qui habitat, ſerm. 14.

Hom. 31.

co, & Baſiliſcus, & omnium ſerpentium regulus, nocentiora habens venena quàm cęteri. Non ſolùm autem Chriſtus in tentationibus hunc ſerpentem conculcauit, verùm etiam id poteſt quicumque iuſtus Dei gratiâ adiutus. Dęmon igitur citauit ſcripturam ſacram diminutè, tacens illud tanquam aſtutus, quod ſibi contrarium videbatur, & ſolùm referens quod ſuo aptum videbatur inſtituto. Et rectè Origenes de eo dicit: *ſilet & tranſit verſiculos qui contrà ſe ſcripti ſunt.* Et S. Hieron. *de ſua conculcatione quaſi tergiuerſator tacet.* Ita in Pſalmum ſuprà citatum hoc idem faciunt, hodie membra eius, hoc eſt hęretici, dum peſtilentes errores ſuos, verbis Sacræ Scripturæ tum mutilatis tum deprauatis fulciunt, vt ſimplices decipiant. Tertio hęc auctoritas non eſt ad propoſitum & ad rem de qua agebatur, nam filius Dei (inquit Chryſoſt.) Angelorum manibus non portatur, ſed ipſe magis Angelos portat & omnem creaturam; Vnde Apoſtolus, *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Intelligitur autem hęc auctoritas de quolibet viro ſancto & iuſto, qui Angelorum auxilio indiget, non vero de Chriſto qui maior eſt Angelis, & meliùs ipſis hęreditatem conſequutus eſt & nomen. *Nulli enim*, ait Apoſtolus, *vnquam Angelorum dixit Deus, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hanc auctoritatem ſatis latè expoſuimus in Tractatu de Angelis; ſed ſolùm hic addimus, quod ſi cuſtodiant nos Angeli in omnibus vijs noſtris, non tamen in pręcipitijs, vt ſuprà monuit S. Bernardus, nam ô peccator, ſi ad ſupplicia temerè diuertere velis, & ad illa tendas, nequaquam ſperes, vt cuſtodiant te Angeli, quinimo te deſerent; ſi tu iuuenis graui te periculo exponis, vt tuæ ſatisfacias libidini, ne credas quòd quantumcunque te Angelo commendes, adſit tibi in re iniuſta fauorem pręſtiturus; ſi tu virgo contrà legem Dei, parentumque obedientiam, matrimonium clandeſtinè machinaris, & te pręcipitem das; ſi tu immoderato ludo totaliter intendis; ſi tu ambitionem tuam ſequens, Regum frequentas curias, maiores expenſas faciens, quàm tuæ facultates permittant; ſi tu familiarem cum aliena vxore conſuetudinem contrahere contendis; hęc pręcipitia ſunt, in ijs ne ſperes quod Deus mittet Angelum ſuum qui te cuſtodiat, quinimo miſerè rues, & pedem tuum, imò te totum ad lapides multos allides & offendes, ſicque peribis, ac proindè tibi proſpicias. Aduerte autem hîc quòd quemadmodùm ipſe Dęmon inducebat Chriſtum vt ſe demitteret, ei pędicens ex Scripturis Sacris, nullum incurſurum periculum, propterea quòd ex Dei mandato Angeli illum manibus ſuſtinerent: ita ſolet homines inducere, vt ſe à virtutis ſtatu demittant ad ima vitiorum, ſcriptum eſt enim quoniam Deus

In cap. 4. Matth. & in Pſalm. 90.

Hom. 13. in Matth.

Hebr. 1.

Ibidem.

Peccatores cuiuſcumque generis ſe præcipites dant.

Dæmon homines inducit, vt ſe à virtutis ſtatu demittant.

eſt miſericors, qui poſuit Angelos, ſacerdotes ſcilicet & miniſtros Sacramenti pœnitentiæ in ingenti numero, qui te manibus excipient, vt peccatum nullatenùs te offendat, nec exitium inferat, *Mitte te deorſùm*, nam ſcriptũ eſt, *in quacumque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum ſuarum non recordabor.* Sed ſicut Chriſtus vt vim vi repelleret, & clauum clauo truderet, contrà ſcripturam extrà propoſitum à Dęmone allegatam, in medium adducit ipſe ſcripturam ad rem facientem, & ait illi. *Rurſum ſcriptum eſt non tentabis Dominum Deum tuum:* ita ei oppone ſcripturam; *Perdes omnes qui operantur iniquitatem*; & item; *Ira eius in peccatores reſpicit.* Et deinde; *Vultus Domini ſuper facientes mala.* Ac denique oppone illi eandem ſcripturam quam allegauit Chriſtus; *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentaret enim Deum ille qui ſub ſpe veniæ & facilis abſolutionis à Sacerdotibus, in peccatum laberetur. Sed quid eſt propriè Deum tentare: dicitur homo Deum tentare, quando vult per miraculum obtinere quod naturali viâ obtineri poteſt, vt Dei virtutem experiatur, & quando à Deo ipſo vult fieri, id quod per cauſas ſecundas, ſecundùm naturæ curſum à Deo ſtatutas, poteſt obtinere, & hoc eſt peccatum, ait ibi Lyranus, *Vtere*, inquit, *medijs ordinarijs, nec ea neglige.* hanc doctrinam egregiè latèque proſequitur S. Auguſtinus, & hanc celebrem habet propoſitionem; *Pertinet ad ſanam doctrinam, vt quando habet quod faciat homo, non tentet Dominum Deum ſuum,* ſicut verbi gratiâ verè agricola Deum tentaret, qui cùm poſſet meſſes colligere terram colendo & ſerendo, his omiſſis actionibus, vellet miraculoſè à Deo ſibi eas exhiberi; Prędicator item qui cùm poſſet per ſtudium concionem pręparare, nullo pręcedente ſtudio, eam agere aggrederetur; ille quoque tentaret Deum & eius potentiam, qui ſe exponeret periculis quæ poſſet vitare, vt experiretur an Deus illum eriperet Item Deum tentaret qui ſine gubernaculis mare ingrederetur; Prætereà illum tentaret qui in morbis periculoſis, aut tempore infectionis mali aëris ſeu peſtis, non vteretur medijs ad ſe conſeruandum, ſperans quod Deus illum miraculoſè aut ſanaret aut conſeruaret: ac denique ille Deum tentaret qui de eminenti quodam loco ſe pręcipitaret dicẽs, videbo ſi Deus auxiliabitur mihi: hoc modo Dæmon Chriſto ſuadebat vt de pinnaculo templi ſe præcipitem ageret, quia cum Angeli erant ſuſtentaturi at ſi id præſtitiſſet, Deum tentaſſet; vnde reſpondet; *Scriptum eſt non tentabis Dominum Deum tuum*; poterat enim Chriſtus ex illa eminentiori parte templi per communem ſcalam deſcendere, hæc patens erat deſcendendi via, ideoque ſi eâ relictâ voluiſſet deſcendere ſe demittendo,

Marginal notes: *Deut 6.* — *Pſalm. 5.* — *Eccleſ 1.* — *Pſalm. 33.* — Opponenda Dæmoni ſcriptura. — Tentare Deũ quid ſit, & quomodo illum multis modis homines tentent. — *Lyran. in c 4. Matth.* — *Lib. 22. contra Fauſtum c. 3;.*

ſperans ab Angelis ſuſtentationem, verè Deum tentaſſet, & ideò ait Dæmoni, *non tentabis, &c.* Bene igitur ad ſanam doctrinam perti- *Loco citato.* nere dicit S. Aug. vt quando homo habet quod faciat, non debet Dominum Deum ſuum tentare. Iuxta quam multi ſunt, qui Deum tentare videntur, tu videlicet, qui quæris vt Deus Angelos mittat ad portandum te in cœlum, cùm tibi ſit patens ſcala mandatorum, quam cùm tenere poſſis, ne quidem vis eam attingere: tu itidem Deum tentas qui te demittis voluntariè ad occaſiones peccati, ſperans quòd Deus manibus ſuis te ſuſtentabit, ne offendas ad lapidem pedem tuum, cùm tibi pateat ſecuritatis via quam poſſis tenere, tales fugiendo occaſiones: tu pariter tentas Dei ſapientiam, ſi abſque ſtudio vel doctrina maiorum, vis per teipſum ſapere & alios docere, quod proprium eſt hæreticorum; tu tentas eius bonitatem, dum poſt tot commiſſa aduerſus illam peccata, tu emendationem vitæ procraſtinas, & differs de die in diem; tu denique tentas eius patientiam, perſeuerando in peccatis tuis: tentas eius clementiam dum negligenter oras, & ſine deuotione. Nota illud Eccleſiaſtici: *Eccleſ. 18.* *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi qui tentat Deum;* Tu denique tentas Dei iuſtitiam, dum precaris illum, quò de inimicis tuis vindictam ſumere poſſis: vnde duo Apoſtoli reprehenduntur à Chriſto dum aiunt: *Vis dicemus vt ignis deſcendat de cœlo?* Tot & *Luc 9.* multis alijs modis tentatur Deus; & propterea cùm Dæmon ſuaderet Chriſto vt Deum tentaret, præcipitando ſe deorſum, quia non erant defuturi Angeli qui illum ſuſtentarent, præclarè reſpondit, *Non tentabis, &c. Ex hoc autem reſponſo incertus Dæmon*, ait S. Chryſoſt. *In operis imperf. Matth. hom. 5.* *ad tertiam tranſiit tentationem, dixit enim apud ſe; Tria hæc retia habeo extenſa ſuper omnem mundum, vt quiſquis euaſerit de retibus gulæ, incurrat in retia vanæ gloriæ, qui euaſerit de retibus vanæ gloriæ, incidat in retia auaritiæ: hic autem iam retia gulæ dirupit, & retia vanæ gloriæ tranſiuit: ponam ei nunc retia auaritiæ, & oſtendam illi omnia regna mundi; ſi concupierit ea, ſcio quia homo eſt, ſi autem contempſerit ea, ſcio quia filius Dei eſt, nec enim poteſt deſiderare quæ ipſe creauit, nec delectatur terrenis qui fruitur cœleſtibus.* Hæc Chryſoſtom. Ideò Dæmon ad tertiam ſe accingit tentationem, de qua in ſequenti Sectione.

SECTIO VI.

De tertia Chriſti tentatione à Dæmone.

ITERVM aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei; *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.*

Num 23. & 24.

Legimus Balaamum Ariolum omnes vires ſuas applicaſſe, vt populo Dei malediceret, id autem in primo congreſſu conſequi non valens, loca mutabat, & ad aliam partem diuertebat, inſtigante Rege Balaac qui credebat (vt ait Rupert.) ex mutatione locorum mutandam populi fortitudinem, & quod quem ex vna parte fortem inuenerat, ex alia deprehendere poſſet infirmum; igitur ſecundo & tertiò loca mutauit, ita Dæmon volens ſuperare Chriſtum, loca mutauit, videns enim ſe illum circa gulam in deſerto vbi deerat panis, vincere non potuiſſe; tulit eum in Sanctam Ciuitatem quæ valdè populoſa erat, vt ad inanem gloriam induceret; & cernens ſe iterùm à Chriſto victum, locum tertio mutat, ducens eum in montem excelſum, & promittens omnia regna mundi, ſi eum adoraret, & hoc vltimo loco, ſupremam fortioremque tentationem extruxit, & omnem ſuam euacuauit poteſtatem, vt aiunt Chryſoſt. [a] & Ephrem [b].

In lib. Num.

Tertio Dæmon Chriſtum tentat, & quomodo.

a *Hom. 13. in Matth.*
b *Lib. de pœn. ante medium.*

Quiſnam fuerit ille mons ſuper quem Dæmō duxit Chriſtum.

Quiſnam autem fuerit ille mons ſuper quem Diabolus duxit Chriſtum, non conueniunt inter ſe multi Doctores: Non pauci opinionem eorum qui terram Sanctam deſcripſerunt ſequuntur, qui quidem notant illum montem eſſe vicinum deſerto Quarantanæ, vbi ieiunauit Chriſtus, & gulâ tentatus fuit à Diabolo, vnde illum vocant Diaboli montem: Valde notanda ſunt Adrichomij verba in deſcriptione terræ Sanctæ: *Mons Diaboli* (inquit *diſtat duobus milliaribus à Quarantana; eſt à latere Bethel & Haì auſtrali: in eum deductus fuit à Sathana Chriſtus cùm oſtenderet & adpromitteret illi omnia regna mundi ſi procidens adoraret &c.* Sic Brocardus & Bredenbachius in deſcriptione terræ Sanctæ. Non reſpuunt alij opinionem eorum qui volunt hunc montem fuiſſe Nebo, qui erat eminentiſſimus in campeſtribus Moab, vltrà Iordanem, in quem Deus duxerat Moyſem, vt illi promiſſionis terram oſtenderet, ibique mortuus eſt. Sed quidquid ſit, ex illo monte, *Oſtendit*, Dæmon Chriſto, *omnia regna mundi, & gloriam eorum:* in Hebræo gloria di-

P. 19. Num. 90.

Deut. 33.

citur *Chabod*, quæ vox ſignificat id omne quod illuſtre eſt & ſplendidum, vt ſunt diuitiæ, deliciæ, honores, dignitates, & quidquid conducere poteſt, vt aliquis inclytus excellenſque appareat: qua voce filij Laban vſi ſunt de Iacob loquentes: *De illius* (ſcilicet Laban) *facultate ditatus, factus eſt inclytus.* In Hebræo, *fecit gloriam.* Oſtendit ergo Chriſto Diabolus omnia regna mundi & gloriam eorum, id eſt quidquid in eis eſt ſplendidum, illuſtre, glorioſum, fulgidum, honorificum, &c. ſcilicet, vrbium ſplendorem, gentium multitudinem, terrarum pulchritudinem, Regum, Principumque opes, famulos, veſtes, rhedas, exercitus, palatia, triumphos, & quicquid in quolibet erat ſpecioſum & magnificum, vt ea concupiſceret, & concupiſcens, ſibi promittentem adoraret: at cùm Chriſtus omni concupiſcentiâ eſſet liber, & proindè omnia terrena deſpiceret, nulla horum omnium cupiditas, eius animum pupugit. *Geneſ. 31.* Per mundi regna & c quę Chriſto oſtēdit Dæmon, quid intelligendum.

Sed notemus hic Dæmonem more ſuo agere, Chriſto oſtendens ſolùm id quod erat gloriæ & ſplendoris exteriùs fulgentis & nitentis in regnis mundi, non vero dolores, afflictiones, moleſtias, angores, timores, anxietates, curas, lacrymas, oppreſſiones, ſuſpiciones, difficultates, & alia innumera mala quibus ipſe abundat, & plenus eſt: nam S. Ioannes rectè ait: *Totus mundus in maligno poſitus eſt*; hæc ſemper molitur Diabolus, ſic peccatores decipere feſtinat, eis voluptates, gloriam, & ſplendorem in regnis, principatibus, & alijs ſimilibus præeminentijs oſtendendo: triſtitias verò, dolores, moleſtias, &c. ab eorum mentibus longè faciendo. Mulier illa, quæ Babylon vocatur, habebat poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditijs; poculum aureum oſtendit Diabolus, latentes abominationes non detegit; ſunt nempè mundi honores, diuitiæ, voluptates, ſicut vuæ acerbæ, & poma viridia, atque immatura, quibus dentes comedentium obſtupeſcunt, ſed ſpeciem tantùm & viriditatem Diabolus oſtendit, acerbitatem tacet. Ad hoc demonſtrandum Rex Salomon (vt habet S. Chryſoſt.) poſtquam omnia comprobauit, librum edidit Eccleſiaſtes, hoc eſt concionatoris, in quo oſtendit, experientiâ ſe didiciſſe cuncta quæ in mundo ſplendida & glorioſa apparent, eſſe laboribus & triſtitijs plena: *Vidi* (inquit) *cuncta quæ fiunt ſub ſole*, (hoc eſt in vniuerſo mundo) *& ecce vanitas & afflictio ſpiritus*: quod inductione ab ipſamet experientia deſumpta elegantiſſimè proſequitur; exponit namque ſe pecunias innumeras auri & argenti coaceruaſſe, & ſubſtantias Regum & Prouinciarum obtinuiſſe, delitijs cunctis vacaſſe, omni ciborum genere fuiſſe oblectatum, innumerâ ſeruorum multitudine ſeptum, ædificaſſe domos, plantaſſe vineas, feciſſe hortos, & pomaria conſeuiſ- Mundi gloriam honores. & c oſtendit Chriſto Dæmon at non dolores, afflictiones, &c *1. Ioan 5.* *Apoc 17.* *Hom. 55. ad populum.* *Eccleſ. 1.* *Eccleſ. 2.*

ſe, & conſeruiſſe ea cuncti generis arboribus, extruxiſſe piſcinas aquarum, poſſediſſe ſeruos & ancillas, multamque familiam habuiſſe, armenta quoque & magnos ouium greges, feciſſe ſibi cantores & cantatrices, ſcyphos, & vrceos ad fundenda vina: *Et omnia* (inquit) *quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ parauceram, &c. vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi*; & quod Salomoni contigit, illud idem Regibus & Principibus contingere ſolet, cunctiſque alijs qui mundi nitent gloriâ; difficilè eſt enim explicare quibus doloribus torquea*n*tur, quantis & quàm innumeris anxietatibus & curis affligantur; quod ampliùs oſtendit idem Salomon: *Verti me ad alia*, inquit, *& vidi calumnias, quæ ſub Sole geruntur* alij legunt oppreſſiones, circunuentiones, fraudes *& lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem, &c.* Mos ergo Dæmonis eſt, ſolùm gloriam fulgentem & nitentem oſtendere, non verò tot mala quæ ſub tali gloria abſcondita latent: vnde perbellè ait S. Gregor. *Hic Dæmonis eſt mos, quòd vt trahat animas hominum, ea tantum illis oſtendit quæ voluntati eorum poſſunt placere, alliciereque eorum appetitum, ſub quibus grandia multaque abſcondit mala quæ incurrant*: ita explicat de eo illud Pſalmiſtæ: *Sub lingua eius labor & dolor.* Linguam eius vocat inſtigationem ſuaſionemque illius, quam facit proponendo ſolummodò ea quæ videntur bona, ſub quorum ſpecie abſcondit, laborem & dolorem, qui in eis inuenitur, & mala ad quę pertrahere conatur, ſicut piſcator ſub ſpecie cibi conuenientis quem oſtentat, abſcondit hamum quo piſcem capiat; & ideo cauendum & ſibi proſpiciendum.

Eccleſ. 4.

Lib. 14. Moral. cap. 5.

Quomodo Dęmon Christo mundi regna oſtendit

Quomodo autem Chriſto Dæmon oſtenderit omnia mundi regna & eorum gloriam, non omnes conueniunt. S. Chryſ. [a] Euthimius, & alij, cum S. Thoma [b] aiunt ideò Dæmonem Chriſtum duxiſſe in montem excelſum, vt ex eo cuiuſque regni, ſi non ita expreſſè, ſaltem confuſè, plagam & ſitum oſtenderet: verbi gratiâ dicendo & quaſi digito indicando, verſùs hanc partem eſt Regnum Perſarum, verſus iſtam, eſt Romanorum Regnum, ibi ſita eſt Syria, ibi Africa, illic Aſia, iſtic Europa, hîc Iudæa, & ſic de alijs. Franciſcus Lucas putat Dęmonem omnia regna Chriſti oculis obieciſſe per artem perſpectiuæ, vel opticæ, cuius ipſe eſt peritiſſimus; alij alio modo rem exponunt, ſed tot diuerſis opinionibus dimiſſis, in illam quæ eſt doctiſſimorum etiam modernorum deſcendo, qui quidem poſt Theophylactum & Ianſenium, docent Dęmonem inſtar pictoris omnium regnorum imagines & ſimulachra ex aëre condenſato, per varias fulgoris ſolis refractiones, vti fit in Iride, nouo quodam mo-

a *Hom. 5. in c. 4. Matth.*
b *3. p. qu. 41. art. 4.*

do repræſentaſſe; & quaſi pinxiſſe, feciſſeque vt per eas omnia quæ in regnis erant, ſplendida atque glorioſa apparerent, & Christi oculis obijcerentur. Hoc modo repręſentat Diabolus Sagis Palatia illuſtriſſima, omnibus mundi ornamentis excellentia, quę ſubitò diſparent: ſic idem Diabolus in aëre certâ arte illum denſando, contemperando, & inficiendo, pinxit multa ſpectra & horribiles figuras, vt leonum, ferarum, ſerpentum, & monſtrorum, eaque oculis Sancti Antonij obiecit vt eum terrefaceret, vt notauit S. Athanaſius in eius vita; ita B. Antoninus refert idem S. Catharinæ Senenſi acci- diſſe. Ita ergo credunt hi authores, quibus aſſentio, Diabolum oculis Chriſti exteriùs omnium regnorum, ciuitatum, hominum &c. ſpecies ex aëre denſato & vaporibus eformaſſe, vt apparerent vera mundi regna, veraque eorundem gloria & magnificentia, prout in mappa aliqua geographica mundus à nobis conſpicitur, *oſtendit autem illi in momento*, vt ait S. Lucas, hoc eſt breuiſſimo tempore, ſecundùm communem ſcripturæ locutionem, quâ per Iſaïam ait Dominus, *Ad modicum, in puncto*, (id eſt per breue tempus) *dereliqui te.* Ita Euthimius [a] S. Ambr. [b] docet ideo in momento Diabolum regna mundi Chriſto oſtendiſſe, quia in momento hoc eſt breui tempore, cuncta illa prętereunt, & ſæpè honor ſæculi abijt antequam venerit [c]: *Mundus tranſit & concupiſcentia eius.* Hoc Ethnicus Seneca benè perpendit, dùm ſic ſcribit, *quid miraris? quid ſtupes? omnes huius mundi diuitias? pompa eſt, oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur, & dum placent, tranſeunt.* In momento ergo ſubſiſtunt, & finem accipiunt, quia non poſſidentur niſi tempore præſenti, tempus autem pręſens vnico ſolummodò inſtanti ſubſiſtit; & ſi ab ipſo humani generis exordio (inquit Greg.) vſque ad hoc tempus in quo ſumus, mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit quambreue fuerit videmus; ponamus enim quemlibet hominem primo die mundi conditum, vſque ad hodiernum diem vitam duxiſſe, hodie tamen eandem vitam quam quaſi longam ducere videbatur, finire, ecce finis adeſt, præterita iam nulla ſunt, quia cuncta tranſierunt; futurum in hoc mundo nihil eſt, quia nullum ad vitam vel breuiſſimum reſtat momentum, vbi eſt ergo longum tempus, quod inter initium finemque deprehenſum, ita conſumitur, ac ſi nec breue vnquam fuiſſet? Hæc Greg. Vnde Iob, *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, id eſt ad momentum vel inſtans; quaſi diceret, gaudium mundi quo hypocrita exultat, repentè extinguitur, & euaneſcit quaſi ſcintilla, quæ hoc ipſo quòd ſuccenſa ſplendorem emittit, extinguitur & abſumitur: quod & impij ipſi etiam fatentur, *nos nati continuò deſinimus eſſe*, hoc eſt ad inſtar puncti, nullâ intercedente morâ, quaſi

S. Antoninus 3. p. hiſtor. tit. 23.

Luc 4.

Iſaie 26.

Dæmon regna mundi Chriſto oſtẽdit in momẽto, & quid hoc denotet.

a *In cap. 4. Matth.*

b *Lib. 4. in c. 4. Luce.*

c *1 Ioan 2.*

Seneca epiſt. 110.

S. Gregor.

Quàm ſubitò eſſe deſinant homines.

Iob 20.

Sapient. 5.

non maiorem durationem contraxerit gaudium, quàm efformatio puncti in continuo. Ita S. Gregorius. In hoc ergò quod Euangeliſta notauit, Dęmonem ſubitò & citiùs quam omnes necromantici poſſent operari, regna mundi & eorum gloriam Chriſto oſtendiſſe, & illius oculis obieciſſe, apertè voluit deſignare quàm exiguæ entitatis omnia illa ſint, quæ tam facile breuiſſimoque inſtanti, luſtrari poſſunt; vnde etiam vniuerſa illa pompa illico diſparuit. Iuxta iſtam ſententiam, credit & appoſitè quidam vir eruditiſſimus, innumeras Dæmonum legiones aſtitiſſe ſuo Principi famulaturas, quem videbant in prioribus congreſſibus ſuperatum, quæ omnes ex aëre varia omnium regnorum expreſſerunt ſimulachra, & omnes ciuitates eorum pulcherrimas ita expreſſerunt, vt quidquid in vnoquoque regno & in quacumque ciuitate pretioſum, ſplendidum, concupiſcibileque eſſe poterat, fulgentiſſimum coram Chriſti oculis exhiberent; vt omnia regna mundi & eorum gloriam manifeſtè conſpicere videretur. Illic, Romam exhibebant triumphantem, iſtic, Babylonem pulcherrimis muris cinctam, & ampliſſimis palatijs conſtantem, ex illa parte regnum Ophir auro ſplendidiſſimo abundans, ex iſta, regnum aliud illuſtriſſimum, &c. Regna itidem repręſentabant, nobiliſſimis clariſſimiſque plena viris, & innumera hominum multitudine redundantia, fontibus ornata limpidiſſimis, fertiliſſimis nemoribus circundata, exculriſſimus hortis inſignita, in quorum agris ingentes pecudum copiæ apparerent; mare ſimiliter triremibus & omnis generis nauibus opertum; inſulas etiam, &c. Et iudicabat Dæmon, quod ſi Chriſtus eſſet homo tantùm, validè poſſet illum inducere ad ſui adorationem, cum vniuerſa mundi regna tam illuſtria, cum omni quam conſpiciebat gloria, tam liberaliter offerret; nam homines vnius tantùm regni cupiditate, ad quodcumque facinus impelluntur, omniaque ſibi licere vt regnent cenſere ſolent. Hunc dicendi modum tenet S. Chryſoſtomus, quem breuibus verbis concluſit S. Bonauentura, *Omnia*, inquit, *concupiſcibilia, in quibus & per quæ homines regnant oſtendit.* neque incongruum eſt credere, Dæmones omnia prędicta repræſentantes, ſupremo illi eorum Principi, varijs & plurimis reuerentiæ ſignis fuiſſe obſequutos, & ea ſubiectionis & obſequij ſigna dediſſe, quę coram legitimo rege regna ſolent exhibere, vt validiùs hoc ipſo perſuaderet Chriſto ſe illorum regnorum omnium, plenum Dominium & poteſtatem accepiſſe; id ſiquidem indicare videntur verba illa quæ apud S. Lucam Diabolus dixit: *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum*; hoc eſt omnimodam regendi authoritatem; quaſi diceret iuxta mentē S. Bonauenturæ, *Tibi dabo vt habeas hoc Dominium poteſtatis, & præ-*

Dæmones Regnorū, &c. ſimulachra ex aëre efformarunt, dum ab eorū Principe Chriſtus tentaretur.

S. Chryſoſt. S. Bonauent. in c. 4. Luc.

Dæmones ſuo Principi reuerentiam exhibentes, & ob id.

Luc. 4.

S. Bonau. loco citato.

& præconium laudis, vt tibi illud exhibeatur, ſicut vides mihi exhiberi. Vt ergò ad ſui adorationem Chriſtum induceret, ait illi: *hæc omnia tibi dabo, &c.* & S. Lucas addit, *quia mihi tradita ſunt & cui volo do illa: Tu ergo procidens ſi adoraueris coram me, erunt tua omnia.* Dilemnate acutiſſimo apud ſe Diabolus agebat; aut hic eſt verus Filius Dei, aut purus homo; ſi Dei Filius eſt, certum eſt quòd non ſuſtinebit me ſuperbientem, & poſtulantem adorationem ſibi ipſi ſoli debitam; ſi autem purus homo eſt, vtique tam ingenti bonorum & honorum copiâ allicietur, ad id præſtandum quod tam facilè & breui tempore, & ſine labore facere poteſt, ſcilicet me adorare. Dæmonis dilemma.

SECTIO VII.

Mendacem ſe exhibet Dæmon in promiſſis ſuis.

SED vide ventoſa Dæmonis verba, iactat enim ſe poteſtatem & authoritatem ſuper omnia regna habere, & ſe illam Chriſto conceſſurum modò illum adoret, *In quo ſeipſum*, ait S. Chryſoſtomus, *exhibet & facit legitimum & naturalem Dei filium, omnium rerum creatorem, & totius mundi gubernatorem, cui omnia tradita ſunt: qui & propterea tanquam legitimus omnium Dominus, poſſit in quemcumque vſum, ad ſuam voluntatem omnia conuertere.* Egregiè S. Irenæus [b] hæc Diaboli verba expendit, & eius detegit mendacia, ſicut mendax eſt ab initio, quæ tria ſunt. Primum eſt, cùm ait nimiâ arrogantiâ ad ſe pertinere omnia, reclamante Domino ac dicente in Pſalmis, *meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius.* Quod Sancta Anna declarat, in lib. 1. Regum, *Domini namque ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*; id eſt ipſius ſunt omnes præcipuæ partes terræ, Oriens, Occidens, Meridies, atque Septentrio, ſuper quas tanquam ſuper fundamenta quædam, totum reliquum orbem conſtituit, ac proinde in ſua poteſtate habet omnia pro libito ſuo in hoc mundo diſpenſare atque commutare. Alterum Dæmonis mendacium eſt, quòd omnia pro ſuo arbitratu queat elargiri, & hoc eſt quod ait idem S. Irenæus, ipſum mentiri in eo quòd dicit ſe dare regna cui vult, *cui volo do illa*, cùm æterna ſapientia dicat. *Per me reges regnant, per me principes imperant*, hoc eſt Daniele teſtante, *Deus transfert regna, atque conſtituit.* Suffragatur Apoſtolus, *non eſt poteſtas niſi à Deo.* Mentitur ergò Dæmon dum ait Chriſto, ſua eſſe mundi regna, ſeque illa poſſe dare cui voluerit, cùm Dei ſint quæ ipſe

Hom. 23. in Matth.

b *Lib. 5. contra hæreſ. cap. 21. vſque ad 24.*

Quamplura Dæmonis in ſuis promiſſis mendacia.

Pſal. 49.

1. Reg. 2.

Dæmon cuncta ad ſe pertinere ait, etiam ſi de facto nihil poſſideat.

Dæmon nihil poteſt elargiri, cùm nihil habeat, latè id oſtenditur.

Lib. cit cap. 24

Prou. 8.

Dan. 2.

Ad Rom. 13.

gubernat, dat, & transfert; quòd ſi regna habeat Dæmon, ſunt ipſa vitia, ipſe enim eſt Rex ſuper filios ſuperbiæ, *in his regnas,* (inquit Cyprian.[a]) *quos inquinas, & in his quos polluis, dominaris.* Quod & S. Auguſt.[b] tradidit exponens Apoſtolum ad Epheſios, qui vocat Dæmones principes, poteſtates, & rectores mundi tenebrarum harum, *Ne fortè* (inquit) *cùm dixiſſet* (mundi) *intelligeres Dæmones eſſe rectores cæli & terræ; mundi dixit tenebrarum harum, mundi dixit amatorum mundi; mundi dixit impiorum & iniquorum; mundi dixit de quo dixit Euangelium, & mundus eum non cognouit.* Huius igitur mundi Dæmon eſt Rex & Princeps, prout etiam docet ipſe Chriſtus, *Princeps huius mundi eijcietur foras.* Sed ſi de mundo hoc ſenſibili, ſi de regnis, prouincijs, & ipſorum gloria ac magnificentia, ſi de honoribus, diuitijs, pecunijs & alijs huiuſmodi ſermo ſit, nihil horum habet præter verba inflata, ventoſa, & inania promiſſa, ſicque nihil dare poteſt. Quod oſtendit Michaël Pſellus in lib. de Dæmonibus, vbi ait: & ſi Dæmonia diuitias nobis & gloriam promittunt, nihil tamen ex ſe tradere poſſunt: quippe cùm imperium nullum habeant; ſed viſu tantùm quædam inania ſuis cultoribus afferunt, varia prorſùs & inſtabilia. Sic innumerabilibus proceſſibus conſtat quòd maleficis in principio ſubuerſionis, pecunias argenteas (ſicut etiam S. Antonio Sportam argenteam oſtendebat) promittat, oſtendat & det, quas cùm putant ſe habere, & eis volunt vti, pecuniæ reſolutæ ſunt in ſtercora equorum, aut aliam vilem materiam. Ita Binsfeldius, de Confeſſionibus maleficarum, refert Ioannem Cuno filium Annæ de Rouer, quæ ſaga erat, & eum ad tantum crimen induxerat, recepiſſe in auri ſpecie quatuordecim coronatos à quodam Dæmone, qui cuiuſdam filiæ quam dictus Cuno amabat, formam aſſumpſerat, quam quidem pecuniam tandem conuerſam in putredinem ſe reperiſſe, coram iudicibus faſſus eſt. Et ſic apparet Dæmonem verba ſolùm habere ventoſa, & nihil eorum quæ promittit dare poſſe; & ideo in eum egregiè quadrat illud Prouerbiorum, *Nubes, & ventus, & pluuiæ ſubſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens.* Videbis in æſtate nubem atram extenſam, emittentem ſonora tonitrua, & fulgentiſſimas coruſcationes, quæ abundantiſſimam aquæ copiam promittere videtur: & quidem homo inſipiens qui Philoſophiæ regulas neſcit, talibus tonitruis & fulgurationibus motus, aquam certò euenturam ſperat; qui tamen ſapiens eſt, irridet huiuſmodi indicationes, nouit enim nubem illam non habere in ſe niſi partes ſiccas, & exalationes aridas & ardentes, ex æſtatis calore genitas, tumentes vento illic incluſo; quæ omnia in ventum tandem reſoluta ſubitò tranſibunt: ita ſe habet Diabolus,

a In oratione exhortatoria aduerſus gentes.
b In Pſal. 54. Ad Epheſ. 6.
Ioan. 1.
Ioan. 12.
Pſellus.
Binsfeldius præludio 10.
Prou. 25.

quem Salomon vocat virum gloriosum, in Hebræo, *Mithallel*, quod idem eſt ac iactans, tumens, laudans ſeipſum, quomodo legit Pagninus; nihil namq; magis illi proprium eſt quàm iactantiæ verba effutire. Tertium Dęmonis mendacium eſt, quod Christo eſſet omnia regna daturus, & eorum gloriam, ſi eum adoraret: quia vt aiebat, erant ei tradita, & cui volebat, illa dabat, ô aſtutia verè ludibrio habenda! ô temeritas nimia! nemo dat quod non habet, Diabolus autem in ſe nihil habet gratiæ, gloriæ, deliciarum, diuitiarum, honorum, &c. Ergò illa omnia nequit dare; & ſic temerè & in vanum illa promittit: & ſi quæras quid ergò in ſe habeat, dicam illum habere ſolùm dolorem, timorem, rabiem, inuidiam, ſulphur, ignem infernalem, damnationem & pœnam, & illa ſunt quæ habet Dęmon, & quæ dare vel procurare poteſt; vt diſertè docet S. Cypr. qui illum impium & mendacem vocat, quia promittit, & quod dare poſſit non habet, pręter languores, fœtores, & ſupradicta ſimilia, ſicut ſcabiem, putredinem, & vermes dedit Iob Patriarchæ, mortem eius filijs, deperditionem eius ſubſtantiæ; cœcitatem, ſurditatem, & tortiones ei quem ingreſſus eſt; mortem & ſubmerſionem porcis in quos ei ingredi conceſſum fuit, &c. Quòd ſi auari & ambitioſi huius ſæculi aduerterent, & diuitias & honores dona Dei eſſe arbitrarentur, ad illa conſequenda relicto Dęmone Deum colerent & illũ non offenderent: At proh dolor! quaſi non Deus ſed Diabolus largitor eorum eſſet, Diaboli voluntatem exequuntur, Dei verò contemnunt. Non ſunt ergò bona aliqua à Dęmone ſperanda, vt ſunt gloria, diuitiæ, deliciæ, honores, &c. cùm ex his nihil habeat, nec poſſit niſi ſupradicta mala (adhuc Deo permittente,) quorum eſt princeps, concedere, ſolus Deus eſt bonorum omnium author & largitor, & ab ipſo ſolo ſunt ſperanda, vt docet S. Auguſtinus, & ideò ait Sapiens; *Longitudo dierum in dextra eius, & in ſiniſtra diuitiæ & gloria*, & Aggeus Propheta; *Meum eſt aurum, meum eſt argentum, dicit Dominus exercituum.* Hac de cauſa Ieremias vehementer excandeſcit contrà eos, qui temporalia bona accepta ferebant Reginæ Cœli hoc eſt Lunæ, aut ſyderum conſtellationibus, & dicebant; *Ex eo tempore quo ceſſauimus ſacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame conſumpti ſumus.*

Pagninus.

Dæmon nihil habet quod poſſit dare, præter dolores pœnas, &c.

Tractatu de ieiunio & tentatio Christi.

Deus ſolus eſt omnium bonorum author & largitor.

Lib 10. de Ciuit. Dei, c. 14.

Prouerb. 3.

Aggei 2.

Ierem. 44.

Tandem mentitur Dæmon (inquit Chryſoſt.) quia nullatenùs intendebat dare, quod promittebat, etiamſi illa eſſent in ſua poteſtate; ſic parentes noſtros decepit, promittens eis diuinitatem & æqualitatem Dei in ſapientia, quod nullatenùs intendebat complere nec poterat: vnde idem Chryſoſt. expendit verba quæ poſteà di-

Dæmon non intendebat Christo dare quod ei promittebat, nec etiam poterat.

R. ij

Serm. contra Iudæos & Gentiles de-nouo, ſio n. 3.

xit Deus ad Adam: *Adam vbi es?* quaſi dicere voluerit, *quonam peruenisti? nunquid ad regnum quod tibi Diabolus fuerat pollicitus? ad diuinitatem quam tibi promiſerat?* & concludit, *omnia offert, & vniuerſa ſpondet ſe dare, qui nihil penitùs habet quod det.* Itaque (ait quidam modernus author) noli vel ipſi vel ipſius miniſtris, hoc eſt, mundanis hominibus multa promittentibus, & nihil ſoluentibus confidere, quia vtplurimùm quicquid loquuntur fraudis plenum eſt. Sic olim Pſeudoprophetæ promittebant Regi Achab, inſignem de Syriæ Rege victoriam, verùm in prælio occubuit: ſolo ergo vento Dæmon homines paſcit, quaſi Chamæleon dum vana pollicetur, & nihil præſtat: hinc Eccleſiaſticus: *Sicut qui ſequitur vmbram, & apprehendit ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia.* Vltrà autem tot mendacia Dæmonis, manifeſtè quoque fraus & dolus in ſua pollicitatione apparet, inquantum futurum pro præſenti commutat, *dabo*, inquit, adorari vult de præſenti pro ſpe recipiendi promiſſa, & in futurum tempus differebat, quæ dare non poterat, vt ſic ſperantem deciperet ac confunderet. Simili modo & fraude nititur ipſe Dæmon hominibus perſuadere, vt voluptatibus & ſibi dent tempus præſens, & futurum ac ſenectam pœnitentiæ & Deo reſeruent, cùm tamen ſenectus incerta ſit, & ad pœnitentiam inhabilis, vti monet S. Gregor. Rurſum perſuadere conatur vt homines bona momentanea æternis, humana diuinis, terrena cœleſtibus, caduca ſtabilibus, ſtultè inconſideratèque præferant. Fraude quoque & dolo ſe ſe ſimulat Diabolus animarum mercatorem, cum Sodomorum Rege: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; ſicut namque Chriſtus fœneratur animas, ita & ille, hic quidem ex amore, ille verò ex rancore, vt æternis eas tormentis excruciet; offert hic pro vnius acquiſitione mundum vniuerſum, vt animæ præſtantiam conſideres, eamque non vili vendas pretio, quippè quam Dæmon vniuerſo præfert orbi; Chriſtus autem multò cariùs emit, creando in illius vſum cœlum & terram, & quidquid illius ambitu continetur, redimendo eam pretioſiſſimi ſui ſanguinis effuſione, adeò vt ne guttulam quidem vnam reſeruaret ſibi, ſed animam ſuam pro ea oppigneraret, rem ſcilicet pretij inæſtimabilis dedit, videlicet ſemetipſum, vt nos redimeret. Quando pyratæ capiunt in mari merces alicuius mercatoris, ſi videres illum mercatorem pro illis redimendis immenſas dare diuitias, inde colligeres, quāti ſint valoris tales merces: nos ſumus Dei merces, vt dixit S. Gregorius Nazianzenus, quas cepit pyrata infernalis; vt has redimeret diuinus negotiator dedit omnia ſua, immò & ſeipſum, ſuam diuinitatem, potentiam, gloriam, ſanguinem, ani-

3. Reg. 22.

Eccleſ. 34.

S. Gregor.

Non ſunt humana cæleſtibus præferenda.

Geneſ. 14.

Animæ valor & quantum ipſa eſt æſtimanda, latè oſtenditur.

Ad Titum 2.

S. Greg. Naz.

mam, &c. vt nobis innoteſcat quàm pretioſa ſit anima noſtra: ſtulteſcit igitur peccator qui eam primo occurrenti & minimum offerenti vendit. Imago magnâ arte & ſtudio ab aliquo famoſo Apelle aut Zeuxe elaborata, non ſolet leuiter vendi; anima hominis per gratiam ornata & Dei manu effecta, imaginem filij eius in ſe delineatam habet: vnde raram eius pulchritudinem Angeli mirantur, dicentes: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* & illam peccator tam vili æſtimat, vt pro re viliſſima ſubindè alienet: ebrioſus eam tradit pro vini hauſtu; luxurioſus pro ſordida & momentanea carnali voluptate; auarus pro exiguis temporalibus bonis, &c. Si quis reſoluit animam ſuam diuendere, ſaltem hoc non fiat priuatâ emptione, ſed publicâ auctione, vt per concurſum multorum eam cedat plus offerenti: hâc enim praxi vtuntur homines vt res venales ad iuſtum pretium aſcendant: vnde præco auctionis, non ſtatim cedit rem cuicumque, & quodcumque pretium offerenti, ſed repetitis vocibus, dicens, nemini pretioſior, nemini carior eſt? ô Chriſtiane! alienaturus animam, voca pium aliquem Theologum, vt ab eo reſcias quo pretio illam redimere & conſeruare tenearis, & tibi dicet, quod omnia bona terræ danda eſſent ſi haberemus, imò vita: nam dicit S. Ioannes: *Nos debemus pro fratribus animas ponere.* O carnalis homo! noli mulieri vendere animam, *Pretium enim ſcorti vix eſt vnius panis: mulier autem viri pretioſam animam capit*, ait Sapiens: imò licet Diabolus tibi promittat omnia regna mundi, & gloriam eorum, vt Chriſto promittebat, ne cedas eam, ſed fiat proclamatio publicæ auctionis, conuenient aliqui qui quidem eius dignitatem probè cognoſcentes, offerent quod eſt maioris valoris; aderit pater cœleſtis qui valorem eius agnoſcens, pro eius liberatione proprium ſuum tradet filium, vt ait Sanctus Paulus: *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*; ipſe quoque Dei Filius conueniet, & tanti eam faciet vt mortem pro ea ſubire non renuat, quod oſtendit Sanctus Paulus; *Dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis*, multis igitur multa offerentibus ne tradas eam, niſi priùs conuoces Patrem & Filium, eos rogans an non ſit illis carior, &c.

Cant. 8.

1. Ioan. 3.

Prouerb. 6.

Ad Rom. 8.

Ad Epheſ. 5.

SECTIO VIII.

Multa pollicetur hominibus Dæmon, vt illum adorent.

QVEMADMODVM autem ipſe Dæmon, obtulit Chriſto omnia regna mundi, ſi cadens vellet eum adorare, & nihil ab eo obtinere potuit, imò confuſus aufugit; ita tentationum ſuarum aſtu nos cupit attrahere, vt eum adoremus, & cùm ſit ſuperbus & arrogans, vult pro Deo reputari, quanquam nec pulchritudine, nec bonitate polleat, neque vllo beneficio hominibus ſe commendet, quin potiùs ſit deformis, abominabilis, nequitiæ, ac malitiæ plenus, ſemper noſtro intentus exitio, & proindè indignus cui vel in minimo obſequamur: vt igitur à multis adoretur & colatur, ſicut voluit adorari à Chriſto, cuncta quanquam non ſua pollicetur, & perpetuò in ore habet, *dabo tibi*. Carnalem trahit ad luxum dicens, dabo tibi delectationem; auarum ad furtum dicens, dabo tibi pecunias; muliercularn ad perditionem, dicens, dabo tibi victum & veſtitum; iracundum ad vindictam dicens, dabo tibi honorem, &c. pręcipua tamen promiſſio aut pollicitatio eſt, quâ bona huius ſęculi promittit, inter quæ pręcipuum locum habent diuitiæ, pecuniæ, ac facultates. Propterea S. Bernard. dixit diuitias, & temporalia bona eſſe laqueum, quem Dauid vocat venantium; de quo quidem laqueo habet Apoſtolus: *Qui volunt* (inquit) *diuites fieri incidunt in tentationes & laqueum Diaboli*, hunc laqueum pauci euadunt; quod adeò verum eſt, vt nec Iudas qui Apoſtolus erat, laqueum iſtum quem ei Dæmon parauit, euaſerit, cùm enim ei argenteos repræſentauit, tam potens fuit ille laqueus vt illum ad Domini ſui proditionem ex qua mors eſt ſubſequuta, induxerit. At quod peius eſt, dum laqueum tendit & parat, vult adorari vt Deus, & dicit, vt Chriſto: *Hæc omnia tibi dabo, &c.* & ita multi ab eo deluſi, ei ſe miſerè vouent & dedunt. Sit etiam exemplum de Magis & Sagis ſperantibus ab eo diuitias, voluptates, honorem, fauorem & gratiam; procerum euerſionem & vindictam inimicorum, &c. & tamen è contrà accidit, nam ipſi miſeriores, egentiores, & magis exoſi remanent, quippè mendax eſt ipſe Dæmon, & fraude plenus in omnibus, pręterquam in vltione, idque in certos ſolùm homines, & quantum permittit Deus, vt patet ex Iobi hiſtoria. Nunquam Magus fuit arte ſuâ locupletatus

Quænam pollicetur Dæmon, vt adoretur.

Serm. 3. in Pſ. qui habitat.
1. ad Timot. 6.

Magi & Sagæ fruſtra à Dæmone ſperant diuitias, &c.

& auctus obolo, vt benè notauit Bodinus in Dæmonomaniâ, & nunquam ſaga comperta eſt quæ ſic fucare faciem ſuam potuerit, vt viſa ſit ſpecioſior, ſed contrà dici ſolet, deformis vt Saga. Honores autem, tantùm abeſt vt arte magicâ quis conſequi valeat, vt Magos videamus abominationi eſſe omnibus ob eorum turpitudinem, quâ maior excogitari non poteſt, cùm Sathanam in forma hirci fœtentis cogantur adorare, eaque in parte oſculari, quæ nec dici nec ſcribi honeſtè poteſt. Quod autem ad diuitias ſpectat; certum eſt magnos in terræ ſinu theſauros eſſe abſconditos, eorumque ſedes Sathanæ eſſe cognitas, ſed nunquam Magus extitit qui arte iſtâ aureum vnum compararit, vt fatentur omnes, imò quicumque diuites qui ſe rebus magicis addicunt vt diuitijs augeantur, ferè in paupertatem abeunt, egentes verò, totâ vitâ paupertatem perferunt, omnis enim poteſtas, honor, dignitas, diuitiæ, &c. à Deo dantur. Sed cur theſauros humi conditos ſuis mancipijs non impertitur Sathanas? cur eos egenos relinquit? certè nec aliter vult Deus, nec Diabolus poteſt; ſi enim diuites poſſet reddere eos qui ei addicti ſunt, vt ſagas, & quos ad Magiæ idololatriam pertrahit, & qui ei fidelitatis iuramentum ſeu homagium (vt vocant) inconſideratè & vt cæci præſtant, veriſimile eſt quòd plurimos in ſuas partes adduceret. Et hæc ſunt quæ ad propoſitum noſtrum, ſunt collecta ex Bodini Dæmonomania, ad Magorum & Sagarum inſanias, & Dæmonis fraudulenta mendacia detegenda, ne quis ab eo miſerè deceptus, ad eum Chriſto contempto, ad ſuam damnationem recurrat. *Lib. 2. cap. 8. & lib. 3. cap. 3.*

SECTIO IX.

Quamnam Dæmon à Chriſto exigebat adorationem, ad quam etiam homines inducit.

DÆMON itaque vt Chriſtum ad eum adorandum induceret, dixit ei, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*; quibus verbis magis ac magis ſuam prodit arrogantiam & faſtum, cùm non ſimplicem & inferiorem adorationem ab eo exigat, ſed ſupremam ſoli Deo debitam, quæ latria nuncupatur: quod ex Chriſti reſponſione ſatis conſtat, dum ait: *Scriptum eſt Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*; vbi etiam vox illa *ſeruies*, ex S. Auguſt. debet intelligi de illa ſeruitute, quæ ſoli Deo tanquam ſupremo Do- *Epiſtola 66. ad Maximum.*

mino debita eſt, quod verba ei adiuncta, *illi ſoli*, ſatis iudicant. Deus enim ſeruitutem illam petit quæ ſibi ſoli debetur, & quam alijs dijs impendere prohibuit. non itaque prohibet Deus adorationem & cultum impendere ſanctis eius, quam duliam vocant, hoc eſt inferiorem cultum, & minùs adhuc Virgini ſacræ quæ hyperdulia dicitur, quicquid garriant hæretici; neque etiam ipſe impedit adorationem ſeu venerationem, quam vt Apoſtolus docuit, Regibus & principibus tenemur exhibere, neque pariter ſeruitutem dominis temporalibus debitam, quam Spiritus Sanctus, eiuſque Apoſtoli & Prophetæ præceperunt & commendarunt, cùm vt dictum eſt, loquatur tantùm de adoratione & ſeruitute ſuprema, quæ ſoli Deo debita eſt, tanquam verò Deo & ſupremo Domino; duo namque ille habet, eſt enim verus Deus, & eſt quoque ſupremus Dominus; quia eſt verus Deus, illi debetur adorationis ſupremus cultus; & quia ſupremus eſt Dominus, ſuprema ſeruitia ipſi ſoli ſunt exhibenda. Vt autem B. Auguſtinus notauit, dictio, *ſoli*, perſonam alienæ naturæ excludit, quia ex eo quòd ſolus Pater eſt ſupremâ adoratione colendus, non excluduntur Filius, & Spiritus Sanctus, quia licèt ſint diſtinctæ perſonæ, ſunt tamen eiuſdem numerò naturæ, ſic vim vocum excluſiuarum interpretandam S. Thomas ex Sacra Theologia docuit. Ex his ergò liquidò patet, quàm ſit execranda Diaboli ſuperbia, eiuſque intolerabilis inuerecundia, qui non quamcumque adorationem aut ſeruitutem, ſibi à Chriſto impendi poſtulauit, ſed illam omnium ſupremam, quæ ſoli Deo debita eſt, ipſique ſoli exhibenda.

Adoratio multiplex.

Epiſtola citata.

Dictio (ſoli) quid excludat.

S. Thomas.

Quemadmodum autem ex nimia ſuperbia ab initio optauit, procurauit, & omni conatu contendit exaltare ſolium ſuum, & ſimilem ſe altiſſimo exhibere; & vt ait S. Greg. Nazian. *Primariæ excellentiſſimæque pulchritudinis gloriam, ſummumque ac regium Dei honorem affectauit*; ſed nihil aliud conſequutus eſt quàm vt pro luce tenebris obtegeretur, pro excellentiſſimis quibus affulgebat muneribus, innumeris malis maneret ſubiectus, vt ſuo loco diximus: ita vult etiam nunc Chriſto oſtendere, ſe illam retinere altiſſimi ſimilitudinem, dùm ab eo ſuperbè nimis ac temerè latriæ adorationem exigit, at ſtatim audiemus quam ab eo paſſus fuerit repulſam. Idem S. Gregor. Naz. oſtendit quomodo ſemper ſub tot deorum ſimulachris ſeipſum expoſuit, vt ſi non ſub vna ratione, ſaltem ſub alia adoraretur. Propterea poſuit ſe ſub ſpecie ſolis, lunæ, ſtellarum, ignis aëris, aquæ, terræ, plantarum, animalium, hominum, fontium, fluuiorum, montium, vallium, &c. vt in quacumque re ad quam quiuis oculos conuerteret, eum colere, & ſub quacumque re ad quam quiuis

S. Greg. Naz.

Dæmon etiã nunc adorari vult & quomodo.

Oratione in Sancta lumina.

uis eſſet propenſus adorare poſſet; qui lucis pulchritudine delectantur, in Sole; qui tenebras amant, in Plutone; qui cælorum influxus attendunt, in ſtellis; qui ſublunarium mutationem, in Luna; qui ſapientiam diligunt, in Mercurio; qui bella, in Marte; qui luxum, in Priapo; qui ciuitates & diuitias quęrunt, in Ioue; qui atra bili triſtantur, in Saturno; qui ſanguinei ſunt, in Venere; qui ardoribus æſtuant, in fontibus; qui hominum frequentias faſtidiunt, in montibus. Huiuſmodi mores Diabolus tenet, qui cùm ſuperbiſſimus ſit, nullâ re ita delectatur, ſicuti cùm ei reuerentia illa exhibetur, cuius ille nulla ratione capax eſſe poteſt: idcircò tot adorationis genera, tot ſacrificiorum oblationes inſtituit, quibus à Gentilibus tanquam Deus honoraretur, vt poſteà dicemus, vbi ipſum eſſe Simiæ ſimilem oſtendemus. *Omnibus* (inquit Greg. Nazian.) *omnia fieri ille doloſus procurauit, vt omnes ſibi redderet ſubiectos.* Quòd ergò ab exordio appetijt ſimilem eſſe altiſſimo, perpetuò proſequutus eſt, quęrens ab omnibus hominibus, tanquam auctor omnium adorari: nec eſt mirum ſi ſic creaturas velit habere ſubiectas, & ab illis adorationem exegerit, cùm caſu & maxima corporis demiſſione & ſubiectione, ab earum conditore Chriſto, qui altiſſimus altiſſimique Dei Filius eſt, velit adorari; vt ſcilicet Chriſtus eum adorando, cadat in faciem humiliando ſe, & quaſi Deum ac omnium creatorem, illum recognoſcendo, *ſi cadens adoraueris me*, & ita non ſolùm ſedem ſuam ſuprà ſidera exaltare nititur, vt ſimilis ſit altiſſimo, ſed & ſuprà altiſſimum ſedem ſuam extollere contendit, quo patet ſuprema eius ſuperbia, hirſutum cor, inflexibiliſque ad malum voluntas. Sed ſi cùm in principio voluit ſe altiſſimo æquare, ab illo ad tartara deiectus fuit cum Angelis ſuis, nunc cum ſuprà altiſſimum ſe extollere proponit, acriori vulnere confodiendus erat, quia etiam nunc ad ſimilem caſum & ſubiectionem, quam ab ipſo altiſſimo exigebat, inducit quotidie homines. Et quomodo non erit acriori pœnâ dignus? De tali hominum caſu & adoratione Dęmonis, loquens S. Irenæus, ait: *Adorare Dæmonem, & voluntatem eius facere, eſt cadere à gloria Dei*; at qui ambiunt honores & quærunt diuitias, faciunt Dæmonis voluntatem, & illum adorant; & ideò cadunt à Dei gloria, & ab eius voluntate decidunt. Quod ſimiliter annotauit S. Hieron. inferens verè illum corruere qui Dęmoni ſe ſubijcit, & quia intendebat ipſe Dæmon, vt ei Chriſtus, vt dictum eſt, ſe ſubijceret eum adorando, ea ratione dixit ei, *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Symbolicè Gloſſa. *Qui Diabolum adoraturus eſt, ante corruit quàm adoret.* Et rurſum, *Diabolus quia è cælo cecidit, hinc omnes ad caſum & lapſum ſuum vt ſocios habeat, ſollicitat.* Hinc inſignis quidam Author

S. Greg. Naz.

Supra altiſſimum ſe extollere voluit Dæmon: & ideo acriori pœna dignus.

Lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 22.

In cap. 4. Matth.

mino debita eſt, quod verba ei adiuncta, *illi ſoli*, ſatis iudicant. Deus enim ſeruitutem illam petit quæ ſibi ſoli debetur, & quam alijs dijs impendere prohibuit. non itaque prohibet Deus adorationem & cultum impendere ſanctis eius, quam duliam vocant, hoc eſt inferiorem cultum, & minùs adhuc Virgini ſacræ quæ hyperdulia dicitur, quicquid garriant hæretici; neque etiam ipſe impedit adorationem ſeu venerationem, quam vt Apoſtolus docuit, Regibus & principibus tenemur exhibere, neque pariter ſeruitutem dominis temporalibus debitam, quam Spiritus Sanctus, eiuſque Apoſtoli & Prophetæ præceperunt & commendarunt, cùm vt dictum eſt, loquatur tantum de adoratione & ſeruitute ſuprema, quæ ſoli Deo debita eſt, tanquam verò Deo & ſupremo Domino; duo namque ille habet, eſt enim verus Deus, & eſt quoque ſupremus Dominus; quia eſt verus Deus, illi debetur adorationis ſupremus cultus; & quia ſupremus eſt Dominus, ſuprema ſeruitia ipſi ſoli ſunt exhibenda. Vt autem B. Auguſtinus notauit, dictio, *ſoli*, perſonam alienæ naturæ excludit, quia ex eo quòd ſolus Pater eſt ſupremâ adoratione colendus, non excluduntur Filius, & Spiritus Sanctus, quia licèt ſint diſtinctæ perſonæ, ſunt tamen eiuſdem numerò naturæ, ſic vim vocum excluſiuarum interpretandam S. Thomas ex Sacra Theologia docuit. Ex his ergò liquidò patet, quàm ſit execranda Diaboli ſuperbia, eiuſque intolerabilis inuerecundia, qui non quamcumque adorationem aut ſeruitutem, ſibi à Chriſto impendi poſtulauit, ſed illam omnium ſupremam, quæ ſoli Deo debita eſt, ipſique ſoli exhibenda.

[Margin: Adoratio multiplex. — *Epiſtola citata.* — Dictio (*ſoli*) quid excludat. — *S. Thomas.*]

Quemadmodum autem ex nimia ſuperbia ab initio optauit, procurauit, & omni conatu contendit exaltare ſolium ſuum, & ſimilem ſe altiſſimo exhibere; & vt ait S. Greg. Nazian. *Primariæ excellentiſſimæque pulchritudinis gloriam, ſummumque ac regium Dei honorem affectauit*; ſed nihil aliud conſequutus eſt quàm vt pro luce tenebris obtegeretur, pro excellentiſſimis quibus affulgebat muneribus, innumeris malis maneret ſubiectus, vt ſuo loco diximus: ita vult etiam nunc Chriſto oſtendere, ſe illam retinere altiſſimi ſimilitudinem, dùm ab eo ſuperbè nimis ac temerè latriæ adorationem exigit, at ſtatim audiemus quam ab eo paſſus fuerit repulſam. Idem S. Gregor. Naz. oſtendit quomodo ſemper ſub tot deorum ſimulachris ſeipſum expoſuit, vt ſi non ſub vna ratione, ſaltem ſub alia adoraretur. Propterea poſuit ſe ſub ſpecie ſolis, lunæ, ſtellarum, ignis aëris, aquæ, terræ, plantarum, animalium, hominum, fontium, fluuiorum, montium, vallium, &c. vt in quacumque re ad quam quiuis oculos conuerteret, eum colere, & ſub quacumque re ad quam quiuis

[Margin: S. Greg. Naz. — Dæmon etiã nunc adorari vult & quomodo. — *Oratione in Sancta lumina.*]

uis eſſet propenſus adorare poſſet; qui lucis pulchritudine delectantur, in Sole; qui tenebras amant, in Plutone; qui cælorum influxus attendunt, in ſtellis; qui ſublunarium mutationem, in Luna; qui ſapientiam diligunt, in Mercurio; qui bella, in Marte; qui luxum, in Priapo; qui ciuitates & diuitias quęrunt, in Ioue; qui atra bili triſtantur, in Saturno; qui ſanguinei ſunt, in Venere; qui ardoribus æſtuant, in fontibus; qui hominum frequentias faſtidiunt, in montibus. Huiuſmodi mores Diabolus tenet, qui cùm ſuperbiſſimus ſit, nullâ re ita delectatur, ſicuti cùm ei reuerentia illa exhibetur, cuius ille nulla ratione capax eſſe poteſt: idcircò tot adorationis genera, tot ſacrificiorum oblationes inſtituit, quibus à Gentilibus tanquam Deus honoraretur, vt poſteà dicemus, vbi ipſum eſſe Simiæ ſimilem oſtendemus. *Omnibus* (inquit Greg. Nazian.) *omnia fieri ille dolosus procurauit, vt omnes ſibi redderet ſubiectos.* Quòd ergò ab exordio appetijt ſimilem eſſe altiſſimo, perpetuò proſequutus eſt, quęrens ab omnibus hominibus, tanquam auctor omnium adorari: nec eſt mirum ſi ſic creaturas velit habere ſubiectas, & ab illis adorationem exegerit, cùm caſu & maxima corporis demiſſione & ſubiectione, ab earum conditore Chriſto, qui altiſſimus altiſſimique Dei Filius eſt, velit adorari; vt ſcilicet Chriſtus eum adorando, cadat in faciem humiliando ſe, & quaſi Deum ac omnium creatorem, illum recognoſcendo, *ſi cadens adoraueris me*, & ita non ſolùm ſedem ſuam ſuprà ſidera exaltare nititur, vt ſimilis ſit altiſſimo, ſed & ſuprà altiſſimum ſedem ſuam extollere contendit, quo patet ſuprema eius ſuperbia, hirſutum cor, inflexibiliſque ad malum voluntas. Sed ſi cùm in principio voluit ſe altiſſimo æquare, ab illo ad tartara deiectus fuit cum Angelis ſuis, nunc cum ſuprà altiſſimum ſe extollere proponit, acriori vulnere confodiendus erat, quia etiam nunc ad ſimilem caſum & ſubiectionem, quam ab ipſo altiſſimo exigebat, inducit quotidie homines. Et quomodo non erit acriori pœnâ dignus? De tali hominum caſu & adoratione Dęmonis, loquens S. Irenæus, ait: *Adorare Dæmonem, & voluntatem eius facere, eſt cadere à gloria Dei*; at qui ambiunt honores & quærunt diuitias, faciunt Dæmonis voluntatem, & illum adorant; & ideò cadunt à Dei gloria, & ab eius voluntate decidunt. Quod ſimiliter annotauit S. Hieron. inferens verè illum corruere qui Dęmoni ſe ſubijcit, & quia intendebat ipſe Dæmon, vt ei Chriſtus, vt dictum eſt, ſe ſubijceret eum adorando, ea ratione dixit ei, *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Symbolicè Gloſſa. *Qui Diabolum adoraturus eſt, ante corruit quàm adoret.* Et rurſum, *Diabolus quia è cælo cecidit, hinc omnes ad caſum & lapſum ſuum vt ſocios habeat, ſollicitat.* Hinc inſignis quidam Author

S. Greg. Naz.

Supra altiſſimum ſe extollere voluit Dæmon: & ideo acriori pœna dignus.

Lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 22.

In cap. 4. Matth.

id clarè expendens ait, omnes auari, omnes ambitioſi, qui bona ſua, terrenam ſubſtantiam ſuam, opera Diaboli, id eſt per cupiditatem, per fraudes, per mendacia, per iniuriam proximi, per adulationem, per munerum corruptionem, per quodcumque nefas conquirunt, illi vt ea conquirerent, cadentes de ſtatu gratiæ, deſerentes Deum & iuſtitiam eius, Diabolo qui hęc illis omnia ſuggeſſit, obſequium prǽſtiterunt. Quod ergò auari & ambitioſi facere ſolent, ad hoc Chriſtum hic tentat Diabolus, videlicet vt cadens illum adoret, qui tamen cum Deus eſſet, ab ipſo Dæmone adorari debebat. Quis vnquam talem ſuperbiam & ambitionem excogitare poſſet? ſed quæ maior inſania, quòd tales auari & ambitioſi, ad obtinendas diuitias, cadentes Dæmonem adorant? Commune fuit Prouerbium, *quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?* & propterea Dęmon hoc fundamentum ſternit, & ſuper eo grauiores tentationes fundat, atque per illius occaſionem, ac diuitiarum cupiditatem, multos illaqueare & decipere ſolet; vnde egregiè dixit Spiritus Sanctus, *multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt ſpecie ipſius perditio ipſorum.* Clarius Gręca, *multi dati ſunt in caſum propter aurum.* Innumeri enim fuerunt & ſunt quos Dęmon ad ſui adorationem trahit, facitque vt cadentes eum adorent, ex eo quòd aurum eorum oculis oſtendit, & illius ſpeciem ipſorum menti repræſentat, ſicut oculis Iudæ repręſentauit nummos, quibus allectus ad Chriſti proditionem ſe accinxit, & ſic facta eſt in ſpecie auri perditio ipſius; inuerecundè namque (vt ait S. Cyprianus) Dæmon eos aggreditur quibus pecunias offert, ab eis liberè petens vt cadentes eum adorent, ſpecie auri oſtenſa quid non obtinet? quot peccata propter aurum committuntur? quot periuria, fraudes, mortes, diræ crudelitates? profectò oſtenſo auro & pecunijs, quęcumque vult Diabolus hominibus ſuadet, quos illius promiſſione pertrahit vt Dei mandata tranſgrediantur, & ſeipſos illi tradant in ſeruos & adoratores, licèt vt iam dictum eſt, fallax ſit & non ſtet promiſſis. O miſeros! qui victi cupiditate auri, pecuniarum, & aliarum rerum caducarum Cacodęmonem adorant, qui ſe illi grauiore admiſſo peccato turpiſſimè ſubſternunt proculcandos. Hinc ab Apoſtolo auaritia eſt ſimulachrorum ſeruitus atque Diaboli; auari enim cadentes, diuitiarum idolum adorant, velut olim illi qui ſe coram ſtatua aurea Nabuchodonoſoris proſternebant. Sed quæ pejor idololatria? quę deteſtabilior? Non mirum ſi in Eccleſiaſtico habeatur, *Auaro nihil ſceleſtius,* & ideò vix ſaluantur auari, ait Apoſtolus, *neque auari,* (inquit) *neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*, hic eſt ergò progreſſus infortunij & miſerię auarorum, quòd in idololatriam ita labantur, & pluris faciant caduca bona

[Margin notes: Quinam Diabolum adorant, & propter quid. — *Eccleſ. 31.* — *Lib. de Ieiunio & tentatione.* — *Ad Coloſ. 3.* — *Dan. 3.* — *Cap. 10.* — Auarorum miſeria. — *1. ad Corinth. 6*]

quàm ipſum Deum; & tum ſummo illo bono, quod ſic in præſenti vita deſeruerunt, in perpetuum priuentur. Majus verò remedium magiſque efficax, ad euellendam & eradicandam è cordibus noſtris hanc maledictam auaritię paſſionem, quâ Dæmon à nobis colitur, & ad eam inter iuſtitię & charitatis terminos continendam, eſt viua conſideratio reſponſionis Chriſti, ad illam auaritiæ & adorationis Dæmonis tentationem, illum enim à ſe expulit, vt ſequenti Sectione dicemus.

SECTIO X.

Expellitur à Christo Sathanas.

NOTAT Gagnæius in Matthæum cum alijs authoribus, Chriſtum in prioribus tentationibus, patienter Dęmoni reſpondiſſe, vbi autem vidit ipſum ad ſui adorationem impudenter eum trahere velle, & ſic ad ſupremum idololatrię actum prouocare, tunc increpaſſe ac repuliſſe, *Vade Sathana*; & hoc idem aduerterat priùs S. Chryſoſt. vt nos illius diſcamus exemplo noſtras quidem iniurias magnanimiter ſuſtinere, Dei verò iniurias & contemptum, nec vſque ad auditum ſufferre; quoniam in proprijs iniurijs eſſe quempiam patientem laudabile eſt; iniurias autem Dei diſſimulare nimis eſt impium. Sed heu! multi oppoſitum faciunt, nam proprias iniurias diſtrictiſſimè vlciſcuntur, de Dei autem inhonoratione parùm aut nihil laborant. Dixit ergò ei Chriſtus *Vade Sathana*. Pro clariori horum verborum interpretatione, eſt obſeruandum, Diabolum in prima tentatione in deſerto, ſe vt hominem tantùm oſtendiſſe, hoc eſt in figura humana apparuiſſe; deinde victum & audaciorem factum, ſe in ſecundo conflictu Angelum, non quidem tenebrarum ſed lucis, vt deciperet declaraſſe, alioqui Chriſtum non aſſumpſiſſet ad templi pinnaculum, nec enim id poterat facere niſi Angelus; at verò in tertio conflictu audaciſſimus iam factus, aliter adoriri, & aliâ arte vti volens ad explorandum Dei-ne Filius is eſſet, Sathanam ſe oſtendit, cùm ad idololatriam palàm induxit, ſed pulſus ipſe turpiter à Chriſto eſt. Hæc autem omnia facere potuit retentâ ſemper hominis figurâ, niſi fortè dicas, in raptu hominis ſpeciem reliquiſſe, inuiſibilemque ſe reddidiſſe. Duo autem hic obſeruanda veniunt. Prius, quinque vitia Dæmonis notari in hac hiſtoria, quorum primum eſt, quòd ſit curioſus ſpeculator, an videlicet Chriſtus eſſet

Chriſtus Sathanam expulit.

Opere imperf. in Matth.

Iniuriæ propriæ ſuſtinendæ, non autem Deo illatæ.

Quinque Dæmonis vitia, tentando Chriſtum.

Filius Dei, & id ſcire cupiebat, non vt illum veneraretur, ſed vt redemptionem noſtram impediret. Secundùm eſt, quòd ſit vanus, quia propter gloriæ vanitatem ſuaſit caſum. Tertium, quòd ſit importunus, ſemel enim & bis repulſus, iterùm accedit tentare. Quartum, quòd ſit fallax, quia promiſit ſe daturum quod dare non poterat. Quintum, quòd ſit arrogans & ſuperbus, quia petit adorari vt Deus. Poſterius quod venit aduertendum, eſt in duabus primis tentationibus, tentatorem fuiſſe Diabolum vocatum, ſed in tertia Sathanam, quando enim (ait S. Iuſtinus Martyr) dolo, fraude, technis vtitur, *Diabolus* vocatur, & ita eum Diabolum vocat S. Paulus, quando illum inducit dolo & occultè agentem & inſidiantem, *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli*: quando verò agit apertum aduerſarium vel hoſtem, dicitur *Sathanas*, hanc enim aliàs huius nominis ſignificationem inſinuauimus: ſed ita eſt quòd in duabus primis tentationibus, quibus contrà Chriſtum egit, callidè, fraudulenter, ac ſub velamine ſanctitatis egit; ideò Diabolus fuit vocatus; at in tertia quoniam ſe ſe apertè prodidit, ſuoſque aduerſùs Dei gloriam conatus perſpicuè patefecit, à Chriſto ſupremam exigendo adorationem: ideò *Sathanas* eſt vocatus; *Vade Sathana*, ait Chriſtus, quaſi diceret apagè, recede hinc impie Sathan, qui aduerſarius & infidelis mihi es, nefariè & temerè nimis, adorationem ſoli Deo debitam qui creator tuus ſum exigendo; vade retrò poſt me, & ne ampliùs ante oculos meos compareas, nolo enim vlteriùs te videre aut audire. Tunc ſummâ ignominiâ eum affecit Chriſtus, eidem aptè repræſentans ſuam apoſtaſiam & infidelitatem ergà Deum, & quòd à Deo recedens, qui eſt omne bonum, nullam habere poterat gloriam quam daret aut quâ potiretur, repræſentans itidem eius perfidam mentem, qua perpetes nobiſcum gerit inimicitias, & maiores quàm Eſaü cum Iacob, quia in nos tranſlatam videt benedictionem, quam iure progenituræ ille prætendere poterat; tandem repræſentans eum cùm aliquid promittit, non amicum, ſed aduerſarium agere, qui perpetuò contendit, Deo nobiſque aduerſari, qui ſicut expulſus fuit cælo, quando voluit eſſe ſimilis altiſſimo; ita & nunc ignominioſè ex illa palæſtra erat eiiciendus, vbi tanquam Deus voluit adorari. Hæc ergò omnia ſignificare voluit his verbis; *Vade Sathana*, quaſi diceret, reminiſcere in quanta gloria conditus fuiſti, & in quantam miſeriam cecidiſti. Hoc idem breuiſſimis verbis B. Hilarius aſſeruit; *Criminum*, inquit, *ſuorum in Sathana nomen audiuit*. Supremo igitur opprobrio voluit Chriſtus Diabolum quem vincebat percutere, &c. non enim aliquo acriore poteſt vulnere percuti, quàm cùm ei contumeliæ, & opprobrij

S. Iuſtin.

Ad Epheſ. 6.

Cur Dæmon ſit Diabolus & Sathanas vocatus.

Summa ignominia Chriſtus Dæmonem affecit, dum Sathanam illum vocauit, & cur.

S. Hilar.

verbis, ſui miſeri ſtatus infœlicitas exprobratur. Hinc viri cordati ad eum fugandum cùm quis ſe ab ipſo ſentit impeti, conſulunt, eum verbis contumeliæ & opprobrij exprobrandum, quibus in memoriam reducatur eius miſeria, qualia ſunt illa [a]: *Deum qui te genuit dereliquiſti; oblitus es Domini Creatoris tui.* Illa itidem, [b] *In profundum laci detractus es, quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* quidam Modernus author refert ſe vidiſſe hominem quem viſibiliter Diabolus inſequebatur, qui nullâ re ita illum quàm huiuſmodi verbis fugabat; nulla autem ad hoc inſtitutum aptiora quàm illa quibus ei Chriſtus exprobrauit apoſtaſiam, infidelitatem, contrarietatem ad Deum: *Vade Sathana;* omnia enim ſua crimina, vt dixit Sanctus Hilarius hoc ſolo nomine ſibi obiecta cognouit, & ſicut ipſe Chriſtus, dum vixit, aliquando mortem fugauit, vt in Lazaro, filio viduæ, & filia Principis, quò oſtenderet ſe eſſe illum cui datum erat mortẽ omninò conterere, quam per mortem erat præcipitaturus in ſempiternũ, vt dixit Iſaïas. Ita ſimiliter dum vixit, Dæmonem aliquando eijcere fugareque voluit, vt hoc ipſo demonſtraret ſe eſſe eum cui datum erat longè facere, elongare, & effugare illum qui erat ab Aquilone, vt habetur in Ioële, id eſt ſuperbum Dæmonem. Tunc adimpletum fuit illud Pſalmiſtæ (ait Chryſoſt.) *Tu confregiſti capita Draconis,* ſcilicet ob eius nimiam ſuperbiam & temeritatem, quia auſus fuerat accedere ad Chriſtum tentandũ, imò ad ſuadendũ quòd ſe adoraret.

Quid Sathanæ exprobrandum, vt fugiat.
a *Deuter.* 32.
b *Iſaia* 14.
Cap. 26.
Ioël. 2.
Pſalm. 73.
Hom. 5. *ex diuerſis in Matth.*

Diabolus autem videns ſe deprehenſum & cognitum à Chriſto, confuſus, perterritus, & contritus, fugam arripuit: vnde S. Chryſoſt. docet ipſum Chriſtum, illum verborum ſuorum vi & præcepto fugaſſe; & eſt quod in Sacro Textu habetur. *Tunc reliquit eum Diabolus,* non quidem voluntariè, ſed coactè, vt notauit idem S. Chryſoſt. quia virtus & potentia Dei non permiſit, vt ampliùs tentando procederet: *Ipſe namque,* inquit, *quantum eſt in ſe, nunquam ceſſaret tentans, nec enim aliud habet opus quod agat, non manducat, non bibit, non dormit, non aliquid operatur niſi vt tentet, vt fallat, vt ſubuertat; hic cibus illius, hic honor, hoc gaudium: propterea infatigabilis eſt in malo, ſed potentia Dei expellit eum, cui tempus tentandi & tentationes determinat.* Huius fugæ figuram habemus in Dauide, qui ab Aulicis Regis Saülis vocatus, citharam manu ſuâ percutiens, expellebat Dæmonem à Saüle. Sed quærunt nonnulli, quomodo poterat hæc cithara, ſono ſuo & harmoniâ Dæmonem expellere; cùm ſit ſpiritus, nec corpus, nec aures habeat, quam vim citharæ ſonus in eum habere poterat, vt cogeretur à Saüle egredi? Toſtatus in hunc locum, docet illam citharam hanc vim habuiſſe inſitam expellendi Dæmonem; alij dicunt Saülem apoplexia ſolùm laboraſſe, nec

Homil. 13. *in Matth.*
Hom. 5. *in imperf.*
Dæmon quandoque Deo ita volente à tentatione ceſſat.
1. *Reg.* 16.
Vnde vis in Cithara Dauid ad Dæ-

monem expellendum. agitatum fuiſſe à Dæmone; at iſtud non eſt veriſimile, & eſt contra Scripturam, quæ docet quòd ſpiritus malus arripiebat Saülem. *S. Gregor.* Meliùs ergo dicendum cum Sancto Gregorio in hunc locum, Deum hac in re voluiſſe, vt Dauidis ſanctitas innoteſceret, in hac Dæmonis myſterioſa expulſione, erat quippè Chriſti filij ſui figura, & ab eo erat ipſe Chriſtus deſcenſurus tanquam eius filius: *Matth. 1.* iuxtà id quod Sanctus Matthæus habet: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abrahæ*, &c. Sicut ergo Dauid Chriſti figurâ, expellebat Dęmonem à Saüle, citharæ ſuæ quam percutiebat ſono & harmoniâ; ita Chriſtus Saluator noſter ſuæ ſanctæ humanitatis citharâ diuinitati vnitâ, expulit etiam ſpiritum nequam eum de gula, inani gloria, & auaritia tentantem, dum ei dixit, *Vade Sathana.* Nolunt tamen aliqui vim illam qua fuit Diabolus expulſus, notam illi fuiſſe, ſi talis virtus fuerit diuinitatis, alioqui nouiſſet illum eſſe Deum, cuius potenti virtute, ſentiebat ſe depelli. Itaque (aiunt illi) potuit exiſtimare eius precibus vt viri iuſti, à Deo procul inde arceri, & nulla ratione ob eius ſanctitatem, potuiſſe illum ad aliquod peccatum pertrahere: quicquid ſit, ait textus. *Reliquit eum Diabolus.* Et quis explicare valeat quàm triſtes eiulatus emittens, clamoribus credulis perſtrepens, fragores excitans receſſerit, dum tam acerbam, fortem, rigidamque increpationem & obiurgationem, ſibi à Chriſto factam audiuit? In Sanctorum hiſtorijs legimus, ſæpiſſimè Dæmones victos ab aliquibus viris Sanctis, illorum machinas detegentibus, illos increpantibus receſſiſſe, clamoribus & eiulatibus vehementiſſimè emiſſis, excitatis fragoribus & commotionibus aëris & ædificiorum, relicto tetro fœtentiſſimoque putore, vt in hiſtorijs Sanctorum Antonij, Benedicti, Dominici, Petri Martyris, & aliorum plurimorum videre licet; quos nunc fragores excitaſſe, quot querulis vocibus & clamoribus perſonaſſe credere poſſumus, cum vidit fraudes ſuas à Chriſto detectas, ſeque acri obiurgatione percuſſum? poſſumus etiam dicere omnes huius Cacodęmonis milites qui ei aderant, videntes principem ſuum omninò contritum & deiectum, fugam quoque arripuiſſe. Et hinc factum eſt, vt poſteà cum illo ſuo principe Chriſtum adeò timerent, vt cum ſæpè deprecati fuerint ne eos torqueret, & in abyſſum mitteret, & proinde ſeruorum more illius imperio promptè obtemperabant.

Dæmonis eiulatus, dum à Christo expulſus fugit.

SECTIO XI.

Sacris ſcripturæ armis Chriſtus Dæmonem fugauit, qui tamen ab eo non receſſit niſi ad tempus.

CIRCA Euangeliſtæ textum duo conſideranda veniunt. Primum eſt, Chriſtum Dęmonem proſtraſſe, potiſſimùm vi & efficacia Sacræ Scripturæ, quam in medium protulit dicens: *Scriptum eſt Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Glorioſum victoriæ genus eſt, inimicum proprijs ſuis armis proſternere; cùm Diabolus ſe armis ſcripturæ muniuiſſet, eiſdem ſeipſum Chriſtus munit & illum vincit, docetque nos eiſdem armis Dęmonem eſſe vincendum. Cùm tentauerit te de ſuperbia, adducens ex Eccleſiaſt. *Curam habe de bono nomine.* Reſponde illi ſcriptum eſſe in eodem Eccleſiaſtici libro, *quid ſuperbis pului & cinis?* Cùm tentauerit te de auaritia, adducens illud quod Salomon ait de formica, quæ congregat in meſſe quod comedat; Produc in medium aduerſùs illum id quod habet S. Paulus, *nihil intulimus in hunc mundum.* Cùm tentauerit te de luxuria dicens ſcriptum eſſe, *creſcite & multiplicamini, &c.* Contrà reſpondeas ab Apoſtolo ſcriptum eſſe, *omnis fornicator aut immundus, non habebit hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Cùm tentauerit te de gula, allegans id Geneſis, *ecce dedi vobis omnem herbam & lignum vt ſint vobis in eſcam, &c.* Dic ei ſcriptum eſſe, *adhuc eſcæ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Ita de alijs peccatis. Poſtquam igitur Chriſtus expellendo Sathanam dixit, *Vade Sathana,* addidit ex Scriptura, *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* ſicque armis ſcripturę eum fugauit, ſicut eandem ſcripturam illum tentando allegauerat.

Chriſtus ſcripturæ armis Dæmonem fugat.

Scripturæ armis vincendus Dæmon.

Eccleſiaſt. 41.

Eccleſiaſt. 5.

Prouerb. 6.

1. ad Tim. 6.

Geneſ. 1.

Ad Epheſ. 5.

Geneſ. 1.

Num. 11.

Secundum obſeruandum, eſt Cacodæmonem non ita fugiſſe aut receſſiſſe, quin poſteà auſus adhuc fuerit Chriſtum perſequi; receſſit quidem vt ait S. Ambr. quia non videbat quid amplius agere poſſet, at non receſſit niſi ad tempus, & eſt quod ait S. Lucas, *& conſummatâ omni tentatione, Diabolus receſſit ab eo vſque ad tempus.* Notanda primò ſunt illa verba, *conſummatâ omni tentatione,* quia ipſe Dęmon non vnicâ tentatione curſum perfecit, ſed iterùm atque iterùm regreſſus, per omnia tentationum genera vagatus eſt, & omnem viam voluit tenere, idque varijs modis; Primò ex parte ob-

Lib. 4. in Luc.

Cap. 4.

Dæmon per omnia tentationum genera vagatur.

iecti, quia ad omnem concupiſcentiam excitare conatus eſt; ad concupiſcentiam carnis per gulam; ad concupiſcentiam ſuperbię & inanis gloriæ per ambitionem; ad concupiſcentiam oculorum per auaritiam & potentiæ auiditatem. Bene itaque ait Lucas, *Conſummatâ omni tentatione. Quod non diceret* (ait Ambr.) *ſi non omnium tentationum genera tentaſſet.* Secundò ex parte agentis, omnes enim figuras & formas quibus decipere ſolet, aſſumpſit; initio namque ſub ſpecie hominis ſancti acceſſit, inducens Chriſtum vt ex lapidibus panes efficeret; deinde ſub ſpecie Angeli lucis, eundem incitauit vt ex pinnaculo ſe demitteret; & tandem propriam Dæmonis perſonam referens, impijſſimam idololatriam ſuadere voluit. Tertiò ex parte locorum; nam ad omnia quæ voluit loca quæ ſuis tentationibus aptiora iudicabat, Chriſtum duxit, & tandem ex parte numeri ternarij, tres enim congreſſus ad omnimodam victoriam, ſtatuti videntur belligerantibus, ſecundùm communem æſtimationem. Vnde Anonymus, legitimè pugnanti (inquit) agonum reperitur terminus; quòd aduerſarius vel ſua ſponte cedat vincenti, vel trino caſu deponatur ſecundùm pugnatoriæ artis decretum; qui enim ter in trino conflictu hoſtem vicit, is planè eum ſubiugauit & ſuperauit, & proindè de eo triumphare poteſt. Sperabat autem Sathanas ſe victoriam tandem in vltimo conflictu reportaturum, quia validiùs quàm anteà contrà illum inſurrexerat, omnes ſagittas ſuas expenderat, omnem malitiæ ſuæ pharetram euacuauerat: vt ait Sanctus Effrem Syrus, nulla iam reſtabat ſagitta quam iaceret, ſed eum ſua feſellit opinio cùm ſe victum & ſuperatum animaduertit, & à Chriſto obiurgatum, ita vt coactus fuerit cedere vincenti, & aufugere: finitæ ſunt quidem eius nocendi artes & machinæ, & omnes ſagittæ eius pharetræ exhauſtæ: at (inquit Ambroſ.) malitia eius finita non fuit, non conſummata inuidia & tentandi auiditas, ſed perſiſtere & obſtare formidat, quia frequentiùs triumphari refugit: *Conſummatâ ergò tentatione, Diabolus receßit ab eo vſque ad tempus;* cogitans ſe rediturum aliàs, videlicet tempore Paſſionis, vt apertè contrà eum per manus Iudæorum pugnaret, vt ex Ambroſio notat S. Thomas; & de facto illi aduersùs ipſum inſtigante Diabolo, vſque ad mortem innumeras perſecutiones & inſidias excitarunt: vnde Chryſoſt. *Dæmon* (inquit) *per miniſtros ſuos ac ſelectißima organa, Iudæos ſcilicet, Chriſtum varijs exagitauit contumelijs, quod illis exprobrat dicens, Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria eius vultis perficere.* Ita ingreſſus eſt Iudam, in cuius cor miſit, vt eum traderet ipſis Iudæis, Dei permiſſu. Hinc idem Chriſtus imminente ſua Paſſione dixit: *Hæc eſt hora veſtra* (ſupple vobis permiſſa) *& poteſtas tenebrarum.*

Lib. 4 in Luc.

In diuerſis figuris Dæmon Chriſtũ tentauit.

Tres congreſſus ad omnimodam victoriã ſtatuuntur.

In Catena.

S. Effrem.

Loco cit.

Diabolus à Chriſto receſſit, vſque ad tempus paſſionis.

3. p. q. 41. art. 3. ad tertium.

Hom. 13. in Math.

Ioan. 8.

Ioan. 13.

Luc. 22.

tenebrarum. Gloſſa ordinaria dicit tunc Dæmonem rediſſe, cùm Chriſtus in crucis ſtipite ſuam eſſet exhalaturus animam, ad explorandum num quid in eo poſſet reperire culpæ. De quo ipſe Dominus videtur loqui dum ait: *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Doctiſſimus author Iſaac nuncupatus eleganter dicit, *Ecce qualis qualiter qualem vicit, ſapientiâ vicit aſtutiam, abſtinentiâ gulam, humilitate inanem gloriam, paupertate ſæculi ambitionem. Veniens ad ſapientem, abſtinentem, humilem, pauperem Princeps mundi, nihil in eo reperit ſui, nihil rapere potuit non ſui, à quo eiaculatis omnibus aſtutiæ ſuæ telis, receſſit ad tempus, vſque ad horam Dominicæ Paſſionis, vbi leo agnum aggreditur, ſed crudelitas manſuetudine ſuperatur.* Diſcamus hinc Diabolum non totaliter hominem deſerere, etiamſi ab eo ſuperatus ſit: illum enim ſolùm ad tempus deſerit, quia illum pudet amiſſæ victoriæ, ſibique à victore metuit; at datâ occaſione, iterùm ad tentandum, ſimili vel eadem tentatione regreditur, & audacior inſiſtit: ſic enim Sanctum Paulum eodem ſtimulo carnis ſæpiùs diuque tentauit: ita quoque eadem de re S. Antonium ſæpè tentauit, vt in eius vita notat S. Athanaſius. Secedit verò nonnunquam: Primò, vt hominem eo magis ſecurum reddat, & ſine ſollicitudine, inſtar militum vrbem aliquam obſidentium, atque aſtu fugam ſimilantium, vt deindè redeuntes vrbe potiantur; ipſe enim aſſumptis ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe, reuertitur in domum à qua exiuerat, hoc eſt in hominem quem poſſederat, & illam inuenit vacantem ſeu vacuam, hoc eſt Deo Deique gratiâ priuatam, & proinde aptam & capacem vt fiat domus Diaboli: reperit quoque ſcopis mundatam, quia euerſa eſt ex ea omnis virtus, pietas, bonitas, &c. ac ſparſa aconita impuritatis, & aulæa ſuperbiæ, hæc enim munditiès eſt & ornamentum quod requirit Dęmon & ei placet: talem enim animę immunditiem pro munditia & ornamento reputat, iuxtà Chriſti ſententiam, ei ſiquidem nihil niſi fœtidum olet, nihil niſi immundum & putidum ſapit. Nonnullos tamen reperio, qui per domum mundatam & ornatam, in quam reuertitur Dæmon cum malis Angelis ſibi aſſociatis, intelligunt hominem per ſacramenta à vitijs expiatum, ad tales namque reuertitur libentius, quàm ad illos qui graui peccatorum ſarcinâ preſſi, de confeſſione nihil cogitant; tùm vt hominem grauiori implicet peccato, ob repudiatam à Deo benignè oblatam gratiam, tum ad diuinæ maieſtatis grauiorem contumeliam, cuius domicilium, videlicet animam à peccatis per gratiam purgatam, iterarò ingreditur. Secundò nonnunquam recedit vt noua fraude inſtructior redeat; accidit enim in conflictu cum Dæmone, vti ſolet in pręlijs, vbi hinc inde ex vtraque

In cap. 6. Tob.

Ioan. 14.

Hom. ſuper ductus eſt Ieſus, &c.

Dæmon ad tempus hominem deſerit, ſed poſtea redit iterum præliaturus: 2. ad Cor. 12.

Matth. 12.

parte nonnulli cæduntur, vulnerantúrque; Diabolus vulnus tibi infligit, cùm voluptate cor tuum tranſadigit; tu contrà eum vulneras, cùm eius ſuggeſtiones abigis; ſed ille ſpiritum reſumens, nouas colligit vires, nouiſque ſe ſe armis inſtruit; tu idem fac, certus quod paruam tibi quietem indulgebit, & quamuis eum viceris, non ceſſes tamen tibi proſpicere & vigilare, ne remaneas ſine cura & ſollicitudine, otiosè viuens, quia infenſiſſimus ille inimicus recedit ſolùm vſque ad certum tempus, fingens ſe fugere; ſicut Ioſue, cùm cœpit ciuitatem Hai, ſed reuertetur ad tempus, vt fortiùs & aptiùs vincat. Caue ne tibi contingat ſicut Philiſtæis illis, qui epulabantur celebrantes victoriam quam de Samſon obtinuerant, nec attendebant ad malum quod illis euenire poterat, & fuerunt victi & mortui. Similiter Amalechitę lætabantur ſuper victoriam quam obtinuerant de Siceleeh, quam igne combuſſerant & ſpoliauerant, & erant ſuper faciem terræ, quaſi feſtum celebrantes, quos Dauid ſuperueniens vicit, occidit, ſpolia abſtulit. Quando igitur viceris Dæmonem, tunc timidior debes eſſe & expergefactus, nam iterùm redibit præliaturus tecum, & facilè vincet te ſi incautum inuenerit, quando priùs victor euaſeris: & multoties contingit, vt ipſe Dæmon qui ſagaciſſimus & callidiſſimus eſt, ſinat ſe vinci, vt poſteà meliùs ipſe vincat, & maiorem victoriam conſequatur; vt facere ſolent hi qui alearum aut taxillorum ludum exercent, qui fingunt ſe perdere, & paruam pecuniæ quantitatem amittunt, vt pòſteà maiori lucro aduerſarium capiant. Multi reperiuntur, qui ſtatim vt confeſſionem peccatorum ſuorum fecerunt, alacres ſunt, & gaudent de victoria quam de Dæmone ſunt conſequuti; qui eos habet ludibrio & irridet, nam cùm eos improuidos & incautos videat, redit iterùm eos tentaturus, atque ita eos facilè vincit & captiuos poſſidet. Vide itaque, ne poſt victoriam obdormias, nam tunc ſolet Dæmon maioribus viribus & potentiâ inuadere. Conſtat igitur ipſum Dæmonem cùm deſerit aliquem, non illum totaliter deſerere, ſed ſolùm ad tempus, nam poſteà fortior & audacior redit cum alijs malis ſpiritibus nequioribus ſe, vt miſerum illum hominem ingreſſi habitent ibi, & tunc fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus; ſicut æger ſemel curatus in maiori verſatur periculo ſi reincidat, quàm anteà. Quod de Christo tamen dici non potuit, quamuis enim nonniſi ad tempus vt dictum eſt, eum deſeruerit, quia tamen Deus & homo erat, impeccabilis & omnium Dominus, quando rediijt, in nullo eum lædere potuit, nec vllo peccato animam illius inficere, *Quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Memineritis eorum quæ habentur in Prouerbijs. *Tria ſunt mihi difficilia* (ait ſapiens) *& quartum peni-*

Ioſue 8.

Iudicum 16.

1. Reg. 30.

Dæmon redit ad hominem cum alijs ſpiritibus ſe nequioribus.

1. Petr. 2.

Prouerb. 30.

tùs ignoro, viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, &c. Petra Chriſtus eſt, coluber Diabolus; vt igitur coluber nullum ſui ſignum relinquit in petra, ſic nec Diabolus in Chriſto potuit vllum peccati veſtigium relinquere: & eſt quod ait S. Paulus, *eum fuiſſe tentatum per omnia abſque peccato*, omnes tentationes ſuas Diabolus induxit, omneſque vias ſuas ſerpens peregit, ſed abſque peccato, quia ne leue quidem ex vijs & itineribus iſtis, peccati veſtigium fuit relictum, imò ſine mora à Chriſto increpatus & deiectus, aufugere coactus eſt. *4 Hebr. 4.*

Hic aduertere licèt, miram & quaſi Diabolicam hominum quorundam malitiam, qui Dæmonis imitatores effecti, cõtrà Deum erecto collo pugnare præſumunt, ſed ſi à Deo per gratiam efficacem ad ſalutem ſuam ſunt proſtrati, ſæpè ſæpiùs contingit vt bellum ad tempus ſolùm intermittant, ſed heu! non omnino omittant, ſed ſicut Sathanas non receſſit à Chriſto niſi ad tempus, ſed apertè eum expugnaturus poſteà aduenit, vt ait S. Ambr. ita illi iterùm pòſt aliquod tempus, tantæ diuinæ benignitatis immemores ei bellum inferunt. Hi ſunt de quibus ait Chriſtus: *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, ſeu deficiunt. Hannibal dicere ſolebat de Marcello, poſt multas & ſæpè reïteratas conflictationes, quas ab importuno inuaſore ſuſtinere cogebatur; ſibi rem eſſe cum hoſte qui nec victus nec victor noſſet quieſcere. Peccator quem Deus per gratiam ſuam inuadit, eum & ſuperat, dum rebellem eius ad ſe quodammodo compellit voluntatem. Sed heu! idem iterùm reſumptis Diaboli armis reiterat bellum, & euadit ad damnationem ſuam victor (ſi licèt ita loqui) contrà Spiritum Sanctum & Filium Dei, ſeque proh dolor! in periculo ſtatuit moriendi in finali impœnitentia, quæ eſt peccatum in Spiritum Sanctum, quod *non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro*: & eſt illud peccatum, de quo Chriſtus Iudæis induratis loquitur, *In peccato veſtro moriemini.* Iudas proditor hoc in peccato finalis impœnitentiæ ac deſperationis mortuus eſt; & ideò aiebat de illo Chriſtus, *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*: & vetat S. Ioannes dilectus Chriſti diſcipulus, ne quis roget pro eo qui ſic miſerè moritur, *Eſt peccatum ad mortem*, inquit, *non pro illo dico vt roget quis.*

Peccatores Deo bellum inferunt. *In 4. Luc.* *Luc. 8.* *Matth. 12.* *Ioan. 8.* *Matth. 26.* *1. Ioan. 5.*

Longè ergo abſit à nobis hęc pluſquam Diabolica feritas, ſed ſemel ab efficaci Dei gratiâ ſubiugati, deſiſtamus à bello iniquo, quod nobis eſſet exitiale, & ſalubriter victi recedamus à malo, audientes Deum per Iſaïam Prophetam, *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruersè, & diſcite benefacere.* *Iſaia 1.*

SECTIO XII.

Angeli Chriſto miniſtraturi accedunt.

PORRÒ Dæmone à Chriſto eiecto & fugato, ait ſacer textus, *Ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Sed quærunt nonnulli vbi illi miniſtrarint, an in monte è quo fugauerat Dæmonem, an in deſerto vbi ieiunauerat: & reſpondent in deſerto illos ei miniſtraſſe, nam illuc redijt non pedibus, ſed ſubitaneo quaſi raptu per vim ſuæ diuinitatis & dotem agilitatis, aut certè per Angelorum miniſterium; non enim auſus fuiſſet Dæmon ita ab eo ſuperatus illum aſſumere, vt in deſertum à quo illum primùm extraxerat, reduceret, imò nec Chriſtus iam illi permiſiſſet. Circa illud Angelorum miniſterium, duo annotat S. Chryſoſtomus. Primum eſt; in eo quòd conſummatâ omni tentatione, refert Euangeliſta Angelos Domino miniſtraſſe, Filium Dei & conditorem vniuerſitatis manifeſtè cognoſcimus, quia Angeli miniſtrare, non poterant, niſi Domino & creatori ſuo vnigenito Dei Filio. Secundum, quod ille obſeruat, eſt, Euangeliſtam per illud aduerbium, *Ecce*, nos voluiſſe incitare ad videndos Angelos venientes, vt victori miniſtrarent; vt hoc ipſo tu diſcas, quòd te quoque poſt confectam de Diabolo victoriam, Angeli repentè ſuſcipiant, plaudentes tibi, teque ſtipatorum more vbique comitantes. Sic & Lazarum poſt fornacem paupertatis ac famis totiuſque anguſtiæ ſuſcipientes Angeli ad requiem pertulerunt. Ita S. Chryſoſt. ipſi itaque qui vt locus Diabolo daretur, & Chriſtum aggredi auderet, ſe elongauerant ab eo, aut ſe inuiſibiles Dęmoni pręcipiente Domino reddiderant, Regem ſuum cum ipſo Dæmone pugnantem conſpicientes, *Vt viderunt*, ait Chryſoſt. *ipſum ſuum Regem victoriam excellentem adeptum fuiſſe, & Sathanam expuliſſe, acceſſerunt,* non vnus aut duo, ſed in maxima multitudine, non quòd illis indigeret, alibi enim oſtendimus nullum cuſtodem Angelum habuiſſe, ſed vt illi tanquam Domino ſuo vt dictum eſt, inſeruirent & miniſtrarent, ſicut Reges non carent multis miniſtris qui eis miniſtrent; & ideò Euangeliſta non dicit tantùm, *acceſſerunt Angeli*, ſed addit, *& miniſtrabant ei.* Certùm eſt ex multorum ſententia, plures Angelos perpetuò ad Chriſti obſequium & ei adminiſtrandum, fuiſſe deputatos, & aliquando eos ab Apoſtolis fuiſſe viſos circà illum, in aſſumptis corporibus humanis diſcurrentes. Quod probat

Angeli Chriſto miniſtrarunt in Deſerto, poſt deuictum ab eo Sathanam.

Hom 5. ex varijs in Matth.

Quandoque Apoſtoli Angelos circa Chriſtum viderunt.

Caietanus ex illo Ioan. 1. *Videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis*, quamuis Euangeliſtę non deſignarint quando hoc factum fuerit, ſed credo innumeros poſt deuictum & expulſum Sathanam conueniſſe, ad tantam celebrandam victoriam, & victori congratulandum, ſicut cùm natus fuit, facta eſt cum loquente Paſtoribus Angelo, multitudo cœleſtis militiæ laudantium & dicentium, *Gloria in altiſſimis Deo, &c.* Sed quid quæſo ipſi Angeli miniſtrarunt Chriſto? Communis ſententia eſt ipſos ei detuliſſe & miniſtraſſe cibum & potum, quibus reficeretur; notum eſt enim in Scripturis Sacris, ſæpè miniſtrandi verbum abſolutè poſitum, ſignificare ſeruitium circà menſam in ciborum apparatu, appoſitione, & exhibitione, ſicut de Socru Simonis dicitur: *Et ſurgens miniſtrabat illis*. Martha cõqueritur, quod ſoror eius relinquebat eã ſolam miniſtrare. Ita in Actis: *Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*. Angeli itaque miniſtrarunt Chriſto cibum & potum, nam quamuis poſſet illum creare, noluit, ſicuti nec ad ſuſtentandum Heliam in deſerto, & ad ſuſtentandum Danielem in lacu Leonum: forſitan ſicut Deus per manus Angelorum prouidit manna Iudęis in deſerto exiſtentibus; ita conijcere poſſumus cibum & potum filio ſuo per eoſdem Angelos prouidiſſe, ex quo tamen loco aſportarint, vel ex nubibus, vel aliundè, ignoramus. Fortè deportauerunt fructus ex arboribus remotis, aquam ex fontibus limpidiſſimis; & alia cibaria è domo B. Virginis: conſidero ſiquidem cum B. Bonauentura & Natali in hoc Euangelium, Angelos interrogaſſe Ieſum, vnde vellet ſibi cibos parari & exhiberi, audiunt à Beatiſſimâ Virgine eius Matre, ad eam igitur properant multi Nazareth in Galilæam, eique renuntiant longum ieiunium quod vnigenitus filius ſuus confecerat, quomodo validè Sathanam vicerat, & quòd validè eſuriret; parat ergò cibos quos reperire potuit, aut iam domi habebat, & illos Angelis offert vt ad filium ſuum deferant, iuxtà etiam B. Vincentij Apoſtolici concionatoris piam ſententiam, afferunt illi ſuam ſinguli partem ait Natalis, & cum ſolemni pompa, aderat enim Archangelus Princeps munia œconomi gerens, & interim vnus ex illis Angelis mantile ſuper ſaxum prò menſa extendit, odoriferis floribus ſternit, alius panem & cultrum apponit, ille in ſcutella offam ex legumine, hic piſciculos, alius potum in cyatho, officioſiſſimè omnia ſuo loco & ordine, ſumma cum decentia, ſummâ cum humilitate & reuerentia; alij tandem pœnè innumeri aſtantes muſicos edunt concentus, canentes triumphatori gloriam, dicentes id quod habetur in Apocalypſi, *Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum*; & alibi in eodem libro, *nunc facta eſt ſalus*

Ioan. 1. | Luc. 2. | Angeli miniſtrarũt Chriſto cibum & potum, & quomodo. | Luc. 4. | Luc. 10. | Act. 6. | Angelorum concentus Chriſto miniſtrantium. | Apoc. 11.

& virtus & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt Draco magnus, ſerpens antiquus, & Sathanas. Omnes quotquot ibi erant, ſe fœliciſſimos cenſebant qui in aliquo poſſent obſequi Chriſto; & ideò coram ipſo ſe proſternentes, ad quęcumque miniſteria illi præſtanda ſe promptos exhibebant. O quanta animi delectatio fuiſſet, Regem Angelorum, & Saluatorem mundi de Sathana triumphantem, videre in medio ipſorum Angelorum ei miniſtrantium, comedere diuinâ quâdam modeſtiâ & temperantiâ: profectò ſi ſola recordatio & meditatio, tantis nos gaudijs afficiat, multò maiori fuiſſemus perfuſi lætitiâ, ſi diuino fauore nobis adeſſe licuiſſet, & cum Angelis ipſis debitâ veneratione laudes ipſius triumphantis decantare, ſicut poſt huius vitæ curſum, nos in perpetuum ſperamus decantaturos. Amen.

CAPVT VIII.

SECTIO I.

Communiter Dæmon tentat homines in noua Lege, & de modo quo procedit.

Etiamsi vt anteà diximus, Dæmon diuinâ permiſſione, infeſtiùs ante quàm poſt gratiæ legem homines tentauerit, ob robur ſuum imminutum a Chriſto; attamen ex ſcripturis & experientia conſtat, non proinde deſinere illos etiamſi Chriſtiani ſint, aggredi, & ſuis tentationibus & machinationibus impetere, vt manifeſtè S. Paulus docet, *Ne fortè*, inquit, *tentauerit vos is qui tentat*, id eſt, Diabolus quem per anthonomaſiam dici tentatorem ſuprà diximus. In ſuis autem tentationibus eum ordinem quo primos parentes noſtros, immò & Chriſtum ipſum tentando ſeruauit, eundem tenet; à leuioribus enim incipiens ad maiora ſtatim perducere contendit, nam ſuprà oſtendimus ex Euangelio, primam eius ſuggeſtionem Chriſtum tentando, fuiſſe de corporis refectione; ſecundam de pręcipitatione; tertiam de auaritia & adoratione: ita aliqui aduertunt, quaſi eodem blandimento Ananiam & Saphiram tentaſſe, à paruis enim exordiens ad maiorem progreſſus eſt tentationem, dum de auaritia, rebus tranſitorijs, & mendacio in Spiritum Sanctum eos tentabat: vnde dicebat Sanctus Petrus: *Anania cur tentauit Satha-*

Chriſtianos tentat Dæmon.
1. *ad Theſſ.* 3.
Act. 5.

nas cor tuum, vt mentireris Spiritui Sancto? & hinc in pœnam horum ſceletum, accidit vt ambo expirarint. Scitè admodum Sanctus Iſidorus; *Nunc* (inquit) *Diabolus promiſsis decipit, nunc rebus tranſitorÿs quaſi neceſſarÿs allicit, nunc etiam ipſa inferni ſupplicia quaſi leuia & tranſitoria ſuggerit, quatenùs miſerorum corda in cupiditatem laſciuiamque diſſoluat, ſecumque ad tartara ducat.* Cùm igitur ſic in ſuis tentationibus procedat Dæmon, vt à minoribus ad maiora progrediatur; nullâ ratione ſunt leues tentationes deſpiciendæ, cùm ſponſus ſponſam ſuam moneat vulpeculas capere antequam adoleſcant, id eſt tentationes Dęmonum quantumuis leues & exiguas, eſſe fugiendas & auertendas ac repellendas, priuſquam vlteriùs progrediantur: vbi enim Diabolo digitum conceſſeris, mox immittit manum: Petrus in domo Caïphæ, primo quidem Chriſtum ſimpliciter renuntiat; ſecundò, paulo-pòſt cum iuramento: inde verò cum graui ſuiipſius deteſtatione: omnia autem hęc, ingreſſus ille in domum Caïphæ Petro conciliauit, qui ſi à militum turba pedem retraxiſſet, non tam profundè lapſus fuiſſet.

Lib. 3. Sent. cap. 5.

Canticorum cap. 2.

Quod autem ſpectat ad modum quo Dæmon ad hominum tentationem procedit: docent melioris notæ Theologi ſic eos dementare. Scit quemlibet hominem indigere ſpecie ſenſibili vt cognoſcat, iuxtà illud Philoſophi: *Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari*; aſtutus ille organa phantaſiæ ſic attemperat, & ita interiùs animales ſpiritus mouet, quæ ſunt quaſi vehicula phantaſmatum, vt ſimulachra obijciant intellectui earum rerum quas intendit Dęmon, & ſic obiectiuè moueant ad peccandum: verbi gratia animus ſpeculans mulieris ſpecioſæ ideam quam ingeſſit Dæmon, componenda organa phantaſmatum ad intentum ſuum; in illa ſpeculatione defixus homo, dum conſiderat mulieris ſpeciem vt bonum ſibi conſonum (quanquam fallatur) voluntas ſtatim vltro inflectitur ad conſenſum, & inde ſequitur peccatum: non eſt tamen dicendum, hoc modo Diabolum immediatè aut directè in nobis efficere peccatum, ſed ſolùm mediatè & indirectè, neque enim vt aliàs diximus, neceſſitatem vllam nobis imponit, aut voluntatem noſtram cogit, nam licèt indirectè inclinet ad peccandum, alterando corpus, humoreſque commutando, vel exteriùs obiecta ſenſibilia incitantia ad malum proponendo & offerendo, immò etiam aliquando exteriùs ſub diuerſis figuris apparendo & loquendo; verumtamen illi cum Dei gratia reſiſtere in noſtra poteſtate eſt: iuxtà illud Sancti Petri; *Cui reſiſtite fortes in fide,* non enim tentat nos aut nocet quantum vellet, ſi ad eius malitiam attendamus; ſed quantum ei Deus pro ſalute & vtilitate noſtra permittit; ſiquidem ſolitâ ſuâ miſeri-

Modus quo nos tentat Dæmon quinam ſit.

1. Petr. 5.

cordiâ ac benignitate, ſuis nos auxilijs munit, armat & roborat, vt tantum tamque odioſum inimicum vincere valeamus, vt dicemus infrà.

SECTIO II.

Acriùs ſanctiores inſequitur Diabolus quàm impios.

Acriùs ſanctiores aggreditur Dæmon quam impios, latè oſtenditur.
Apoc. 13.
Hom. 5. in imperf.

SOLET aſtutus inimicus noſter, Sathanas, maiori conatu ac ſtudio eos quos videt Deo deditos, Sanctos & Iuſtos, atque maioribus donis cœleſtibus auctos, aggredi & expugnare, quàm impios, iniquos & ſceleratos: vnde dicitur in Apoc. *Datum eſt illi bellum facere cum Sanctis. Contrà peccatores non oportet bellum agere* (ait S. Cryſoſt.) *quos in ſui obſequio pacificè retinet, nullus enim quantumcumque tyrannus quos ſibi obſequentes, videt bello impetit;* Exempli causâ Turca nō bellum gerit aduersùs Turcas, qui ei obediunt & obſequuntur, ſed aduersùs Chriſtianos; nemo etiam aduersùs amicos & domeſticos inſurgit, ſed aduersùs inimicos; ita Diabolus non eos expugnat, qui ſui ſunt, & quos ſcit eſſe ſuam futuram prædam, ſed eos qui ſub vexillo ducis Chriſti ambulant; ita vt in ipſo ſtatim exordio, quo inſeruire Deo cœperunt, & viam virtutis ingredi, expectare debeant Dęmonis & mundi tentationem, quippè ſcriptum eſt: *Accedens ad ſeruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem*: Quæ verba explicans S. Gregor. ſic ait: *Hoſtis noſter nos adhuc in hac vita poſitos, quantò magis ſibi rebellare conſpicit, tantò ampliùs expugnare contendit, illos enim pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſe ſentit.* Hoc ipſo ergo quòd à peccato quis deſtiterit, & viam virtutis ingredi cœperit, ad illum expugnandum Diabolus accedet, & omni malitiæ contentione inſequetur, vt à propoſito religioſo deijciat, & diuina ſpoliet gratia, ſi poſſit; ſed non ita bellum infert impijs & peccatoribus. Quando pulchra illa fœmina Iudith vidit Principem Holofernem ſedentem in tentorio in maieſtatis ſolio, lapillis & ſmaragdis pretioſis circundatum, cœpit ipſa timere cui Holofernes dixit: *Æquo animo eſto & noli pauere in corde tuo, quoniam ego nunquam nocui viro qui voluit ſeruire Nabuchodonoſor Regi: populus autem tuus ſi non contempſiſſet me, non leuaſſem lanceam meam ſuper eum.* Quemadmodum ergo Holofernes, non bellum inferebat illis qui Regi ſuo ſeruiebant & obtēperabant,

Eccleſ. 2.
Lib 4. Moral. cap. 24.
Iudith. 11.

ſed re-

ſed rebellibus; ſic Diabolus non tentat nec perſequitur eos qui ſub imperio ſuo ſunt, ſed iuſtos & Dei amicos qui eius mandata obſeruant, ab eo extolluntur & ſunt illi familiares. Id præclarè oſtendit S. Hieronymus ad Demetriadem. *Ab eo tempore*, inquit, *quo primùm per virginitatis poſſeſsionem, Domino es conſecrata, aduerſarij in te creuit odium, &c.* Et poſt pauca, *grandi ergò tibi opus eſt vigilantiâ grandique curâ, & tanto ſollicitiùs cauendus eſt inimicus, quantò apud Deum ditior eſſe cœpiſti, qui enim pliùs poßidet, plus debet timere ne perdat: inuidere non ceſſat author inuidiæ, qui inuidit Euæ Paradiſum, quantò magis tibi inuidet regnum cælorum?* Et S. Auguſt. in iuſtos maximè ſæuire Dæmonem ex eo colligit, quòd apud Iob, *Myrmicoleon* dicitur, pro eo enim quod vulgata editio habet, *tygris perijt*, Septuaginta vertunt *Myrmicoleon* id eſt formicaleo. Sanctus ergò Pater habet, *Myrmicoleon verò accipiendus quia iuſtos perſequitur tanquam formicas præparantes ſibi eſcas æſtate*, Idem S. Auguſt. id clarius docet alibi: *Hoc ſcitote*, inquit, *fratres, quia Diabolus non perſequitur niſi bonos, malos enim perſequi non conſueuit; amici enim ſunt ſui, & in tantùm eos non perſequitur vt etiam per illos alios perſequatur:* Ad hoc inſtitutum B. Greg. [a] expendit illam difficilem quæſtionem quam Deus propoſuit B. Iob. [b] *Per quam viam ſpargitur lux; diuiditur æſtus ſuper terram.* Circà quam etſi multa obſeruari poſſent tam circà litteræ contextum, quàm circà eius intelligentiam, hoc tantùm nunc conſiderandum eſt quod B. Greg. annotat, aptè Deum hæc duo coniunxiſſe, ſparſionem lucis è cælo, & ardorem æſtus ſuper terram: nam hoc ipſo quòd Deus è cælo lumen ſpargit quo aliquem illuſtrat, & fulgore ſanctitatis & bonorum operum clarum facit, mundi rectores aut principes tenebrarum, rabido inuidiæ æſtu & ardore ſuccenduntur, inflammantur; atque excitantur, vt varijs illum modis expugnandum aſſumant & perdere nitantur. Sic enim idem Sanctus Gregorius hęc habet, *Cùm diuina lux in mentes humanas ſpargitur, mox ab occulto aduerſario, contrà fulgentem mentem tentamenta ſuccreſcunt.* Et rurſum, *poſt lucem ergò æſtus ſequitur, quia poſt illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur.* Benè autem aduertit Sanctus Baſilius, præcipuam cauſam ob quam Diabolus nos ſic expugnare contendit eſſe inuidiam; nec enim ferre poteſt vt homo vilis, vermiculus è puluere terræ conditus, ad eam perueniat beatitudinis & gloriæ celſitudinem, quam ille qui excellentiorem habet naturam amiſit. Dæmon hac in parte mundo aſſimilari videtur; qui, vt dicebat Chriſtus, nunquam perſequitur aut odit eos quos ſuos retinet, & eius ſunt amici; Dæmon enim ipſe ſuis amicis, videlicet carnalibus & mundanis fa-

Epiſtola ad Demetriadem.

In annotat. in lib. Iob 4. Iob. 4.

Serm. 85. de tempore.

a 29 *Moral. cap.* 14.
b *Iob. cap.* 38.

Loco citato.

Hom. 9.

uet, & eos in quiete malorum finit; probos verò carnis domitores, mundi contemptores, &c. expugnat & perſequitur. Canis non domeſticos mordet, ſed eos qui foris ſunt; ſic Diabolus non tentat nec perſequitur eos quos quietè poſſidet, ſed iuſtos ac bonos. Dum quis furari ſe diſponit nunquam ingreditur loca & domos pauperum, vbi nihil vtile & ſibi commodum reperire ſperat, ſed domos mercatorum aut aliorum, aut ærraria publica quęrit, ex quibus locis facilè diues exire poteſt; ita Dæmon mundanos homines, iniuſtos, & negotijs carnis implicitos, non quærit aut perſequitur, quia pauperes ſunt, & ferè nullius valoris, ex quibus parum vel nihil lucri reportat, quandoquidem nullis ſunt virtutibus aut meritis inſigniti, ſed eos ſolùm quos multis perfectionibus diuites, & clariori vitæ ſanctimoniâ fulgentes videt, curâque maiori vitam ad Dei voluntatem inſtituere, virtutumque & bonorum pręſtantiores acervos feciſſe; non ſecus quàm pyratæ vigilanti ſtudio in inſidijs ſunt, dum vident naues multis mercibus onuſtas, plurimaſque ſecum a erentes diuitias. Euidentiſſimum de illis omnibus habemus de Chriſto exemplum, non enim ad illum tentandum ſe accinxit, niſi poſtquam in baptiſmo cælis apertis, pręclara à patre laudũ ſuarum audiuit encomia, & Spiritus Sanctus eximiam ſanctitatis eius ſpeciem, potiſſimùm per egregia ieiunij, orationis, & mortificationis opera in deſerto facta, oculis ipſius Dęmonis ſpectandam exhibuit; tunc, inquam, anſam arripuit auida voluntate eum aggrediendi & tentandi, & ita ſe gerit cum hominibus ſacro baptiſmatis lauacro tinctis, & Dei potenti manu, ex peccato, inſtar filiorum Iſraël ex Ægypto eductis, & ad terram illam cœleſtem repromiſſam procedentibus, cuius poſſeſſionis iura ille ſuperbiâ ſuâ amiſit: cùm illos enim ita cœleſtibus donis, & præclaris virtutum dotibus exornatos conſpicit, nimio liuore, inuidiâ, odio implacabili, & rabido furore ſuccenſus, ad eos expugnandos vt à tam fœlici ſtatu decidant, & eorum iter in cœlum impediat, ſe conuertit. Et eſt quod ex profeſſo Deus agens de ipſo Dęmone ſub ſpecie elephanti, quem Behemoth vocat, eius inſatiabilem ſitim vult annotare; *Abſorbebit*, inquit, *fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* B. Greg. fluuij nomine, naturam humanam iniquorum intelligit, quæ procedens à primo illo fonte infecto Adam, quaſi fluuius tendit ad mare, id eſt ad mortem & damnationem: nomine aurem Iordanis intelligit viros ſanctos, qui per baptiſmum ſunt mundati & ſanctificati; quando enim Chriſtus à Ioanne in Iordane fuit baptizatus, vim regenerandi & ſanctificandi contulit aquis; Dæmon ergò abſorbet fluuium, hoc eſt iniquos, ſuperbos, iracundos, auaros, luxurioſos &c. nec id mirum

Chriſtũ poſt baptiſmum tentauit Dæmon; ita & nos.

Iob 40. Lib. 33. Mor. cap. 7. & ſeqq.

putat, aut pro magno non æſtimat, quia per ipſa vitæ ſuæ ſtudia, quaſi fluuius deorſum currunt ad damnationem: habet autem fiduciam, & magnopere nititur vt Iordanis, id eſt viri Sancti baptiſmate mundati & ſanctificati, influant quoque in os eius, & mortaliter peccent, hos maximè quærit, hos deuorare ſatagit, illi enim ſunt eſca eius electa, vt habet Habacuc Propheta: *In ſanctificatis hominibus*, Habac. 1. (inquit S. Hilarius) *maximè Diaboli tentamenta graſſantur, quoniam victoria magis eſt exoptata de Sanctis.* Poſt varia rerum diſcrimina, Can. 3. in Matthaeum. tertiâ & vltima vnctione vnctus fuit Dauid in Regem, quando ab 2. Reg. 5. omnibus Tribubus Rex fuit acceptatus & prædicatus: *Audierunt autem Philiſthijm* (ait ſacer textus) *quòd vnxiſſent Dauid in Regem*; & ſtatim vehementiſſimo ardore moti ſunt ad eum expugnandum; vnde & ingenti exercitu congregato, bellum eidem inferre decreuerunt, tale vt opus fuerit, quòd Dauid ſe totum conuerteret ad diuini fauoris auxilium depoſcendum: ita hoc ipſo quòd homo vngitur in Regem ex baptiſmo, exteriùs quidem oleo Sancto, interiùs autem gratiâ Spiritus Sancti, quam exterior vnctio ſignificat, aut in alterius Sacramenti ſuſceptione, aut per veram contritionem in diuinam gratiam admittitur, recipiturque in Dei Filium, & hoc ipſo in hæredem regni cœleſtis, ſummâ rabie ingens Dæmonum multitudo excitatur, & vires ſuas parat ad eum expugnandum. In huius confirmationem non obſcurè obſeruat S. Auguſtinus, quòd hoc ipſo atque Filij Iſraël biberunt aquam illam miraculoſam, fluentem de petra Oreb, ſtatim Amalech contrà eos fortitudinis ſuæ acies direxit. Serm. 93 de tempore. Exodi 17. *Videte fratres*, inquit Aug. *quia poſtquam quiſque de petra biberit, id eſt Chriſti Sacramenta ſuſceperit, neceſſe eſt illi ad pugnam accedere: quandiu enim quiſque Diabolum contra ſe pugnantem non ſentit, quandiu opera illius exercere voluerit: qui verò illum reliquerit & de petra bibens Chriſtum ſequi elegerit, neceſſe eſt vt illum patiatur infenſum, cui iuſto iudicio voluit præponere Chriſtum.* Et ampliùs confirtur ex eo quòd in primo Regum libro legimus, Hebræos conueniſſe 1. Reg. 7. in Maſphath, vbi præterita flagitia abiurarunt cum lacrymis, corpora ſua ieiunijs macerarunt, ac denique ad veram fidem religionemque in poſterum colendam, animum mentemque intenderunt: quod cùm audiſſent Philiſtijm, aſcenderunt ad Iſraël Satrapæ eorum ſeu Tyranni vt vertit Chaldæus, qui erant quinque, iuxtà totidem Paleſtinæ Satrapias, & inierunt bellum contrà Iſraël: ita cùm Dæmones vident nos ad Dominum toto corde conuerti, & in ieiunijs, orationibus, & alijs pijs operibus, pœnitentiam de commiſſis peccatis agere, anſam arripiunt incundi aduerſùm nos bellum; ſed propterea animo non deſpondeamus, at potiùs fortes in fide & per-

ſeuerantia, in cunctis ſanctis actionibus & virtutum exercitio, virili pectore reſiſtamus; debiles enim ſunt hi hoſtes noſtri, cùm eis Chriſto iuuante fortiter reſiſtitur, vt ſequenti Sectione dicendum.

SECTIO III.

Deus gladium malitiæ Dæmonis applicat, vt non nobis quantum vellet, noceat.

Iob. 40.

DEVS præpotens ſub typo Behemoth aut Elephanti Dæmonem deſcribere volens ait: *Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ipſius.* Quibus verbis, veriùs ipſum Dæmonem quam Elephantum deſcribit, cuius naturam, potentiam, actioneſque viuis depingit coloribus. Primò enim de eo dicitur, quòd ſit principium viarum Dei, vbi Septuaginta legunt, hoc eſt principium formationis Domini, quia inter omnes creaturas quas Deus formauit, ille principem tenuit locum ſecundùm naturam, & ſecundùm dona gratiæ quæ tunc recepit, & quibus ſuper omnes alias creaturas excelluit, vt ibi exponit S. Greg.[a] Iuxta illud Ezechielis,[b] *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei, abietes non æquauerunt ſummitatem eius, platani non fuerunt æqui frondibus illius, omne lignum Paradiſi Dei, non eſt aſſimilatum illi & pulchritudini eius, quoniam ſpecioſum fecit eum, in multis condenſiſque frondibus, &c.* Quoniam autem, vt B. Dionyſius docuit, ad naturam ſequitur potentia, & vnaquæque res tantò maioris eſt potentiæ quantò eſt excellentioris naturę: ex hoc ipſo quod fatetur Deus illum eſſe ſuperiorem ſecundùm naturam, videbatur inferendum quod omnes creaturas excedit etiam ſecundùm potentiam; quapropter nobis eſſe impoſſibile illi obſiſtere. Secundò, de eodem dicitur. *Qui fecit eum applicabit gladium ipſius.* Quæ verba etſi nonnulli ſatis appoſitè de gladio creatoris exponant, aptiſſimè tamen de gladio ipſius Dæmonis intelligi poſſunt, ſicut explicantur à B. Greg. qui annotat applicare gladium idem eſſe quod reſtringere, replicare, implicare, vel inuoluere, ad eum modum quo acutum gladium vaginâ implicamus & inuoluimus, quâ eius acies incluſa renetur, ne ferire poſſit; ſi ergò Diabolus ſibimetipſi relinqueretur, ſicut omnes creaturas ſuperat ſecundùm naturam, ita ſuperaret per ſuam pòtentiam, quam gladij nomine Deus expreſſit; hęc tamen potentia comprimitur, inuoluitur, reſtringiturque à Deo, vt non quantum vult, ſed quantum

Lucifer eſt principium viarum Domini.

a 32. Moral. cap. 24. & 25.
b Ezech. 31.

Lib. 33. Moral. cap. vlt.

Deus gladiũ Dæmonis applicat, & quomodo.

ei permittitur agere poſſit, & quantum nobis prodeſt, iuxtà illud quod ait Apoſtolus. *Fidelis Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum vt poſſitis ſuſtinere;* Prouentus enim quem facit Deus, eſt auxilium gratiæ ſuæ quod nobis confert, quo mediante & inimici vires imminuit, & nobis facultatem ad reſiſtendum tribuit. Sed quiſnam eſt ille gladius iſtius Elephanti aut Behemoth, hoc eſt Dęmonis? eſt inquit S. Gregor. ipſa ſua nocendi malitia; ſed ab eo à quo bonus per naturam factus eſt, eius gladius applicatur, quia eius malitia diuinâ diſpenſatione reſtringitur, ne ſæuire mentes hominum quantum appetit, ei permittatur, ſicut contigit dùm contrà Sanctum Iob licentiam tentationis accepit; nam etiamſi ſuprà modum, illum perſequutus fuerit, vt anteà oſtendimus, Deus tamen malitiæ eius gladium applicauit; hoc eſt replicauit & reſtrinxit dum ei dixit: *Animam illius ſerua.* Aliqui clariùs explicant retinendo applicandi verbum vt littera ſonat; ſumptâ metaphorâ à Medicis applicantibus medicamenta, & dictionem *gladium*, prout ſignificat id quod ad alterius deſtructionem, exitium vel malum adhibetur, iuxtà Sanctos Patres Hieronymum [a], Auguſt [b]. & Gregor [c]. conformiter ad vim Hebræi ſermonis quo gladius, *Hereb* dicitur, propriéque ſignificat exſiccationem, deſolationem, vaſtationem, vt Brixianus ait [d], & ita ſenſus huius ſententiæ talis eſt; gladium Dæmonis hoc eſt eius malitiam & iram quâ nos vaſtare, deſolare, ac perdere nititur, vt colligit S. Greg. Deus tanquam benignus Medicus, ad bonum, ad vtilitatem noſtram ac ſalutem applicabit. Medicamenta vtplurimùm in ſe contraria ſunt, & deſtructoria naturæ, qualia ſunt purgantia, vrentia, mordicantia, &c. & verè dicuntur naturæ venenum, quale eſt Diagridium, Scammonea, Coloquintidæ, Cauſtica: & hæc quidem quæ in ſe talia ſunt, moderata & contemperata à Medico, & applicata in determinata quadam menſura, vim habēt medicamentorum, & maximè proficua ipſi naturæ redduntur: vnde & Medicus eorum malignitate vtitur, ad ſalutem hominum promouendam, ad ſuperfluos noxioſque humores expellendos vel exſiccandos, temperando illorum malitiam, mordacitatem, noxiam vim & facultatem, & illa applicando iuxtà ſuſcipientium vires; & proptereà metitur & ponderat ea non tantùm ſecundùm libras & vncias, ſed & ſecundùm drachmas & ſcrupulos, imò & ſecundùm grana, ſciens horum vim contrà naturam noſtram, quæ niſi temperatiſſima applicentur, exitium & mortem certiſſimè inducent: ità ergo Deus ſe habet, eſt ſiquidem Dęmonis gladius iniquus & malus in ſe, hoc eſt malitia ſua, quæ vt ſatis notum eſt, noſtræ naturæ contrariatur, & eius exitium &

1. Cor. 10.

a In cap. 65. Iſaiæ.
b In Pſal. 104.
c Lib. 34. Moral. cap. 4.
d In arca 10. t. fol. 258.

Deus eſt bonus Medicus & quomodo.

ruinam deſiderat omnibuſque viribus procurat at pius ille ac benignus Medicus noſter nullatenùs concedit, vt abſolutè talis Diaboli malitia nobis applicetur, nec ſinit eum agere quantum vult, quin potiùs tantæ malitiæ vires & facultates contemperat, & nullâ ratione nobis applicari ordinat, niſi ſecundùm determinatam menſuram, vt nobis ſit proficua ad ſuperbiam purgandam, torporem excutiendum, exercendas virtutes, acuendas ſpiritales vires, diſponendam animam ad excellentiorem coronam; & hoc eſt quod habet S. Chryſoſt. Menſurata nobis dedit Deus certamina, metitur propterea & expendit attentiſſimè, qui cordis noſtri intima luſtrat, vires cuiuſque non tam eas quas à natura, ſed præcipuè quas ab auxilio gratiæ ſuæ quiuis habet: nec vllatenùs vltra tales vires permittit nobis Diaboli applicari malitiam aut actionem. Vnde ipſe Dęmon mare dicitur, in quem omne genus malitiæ influit, vt nihil aliud eſſe videatur, quàm totius malitiæ abyſſus & congeries, vt ex Apoc. colligitur, vbi mentio fit de altitudine ſiue profunditate Sathanæ. Quemadmodum igitur mare vento aut tempeſtate agitatum, tanto impetu fertur, vt omnem terram ſubuerteret, ſi Deus eius potentiam non coërcuiſſet, imponens & pręfigens ei terminum quem tranſire non poteſt: vnde apud S. Iob; *Huc vſque venies, & non procedes ampliùs*; ita Sathanas velut mare, valido ſuperbiæ & inuidiæ vento agitatum, facilè omnem terram hominem ſcilicet ſubruere poſſet, ſi Deus eius non coërceret potentiam, terminum ſuæ malitiæ pręfigendo, vt non ei progredi liceat niſi vſque ad illum quem diuina ſua prouidentia ſtatuit. Comparatur etiam Dęmon vento valido, quem nonnulli dicunt eſſe ſpiritum illum procellarum, de quo loquitur Pſaltes Regius[a], & id confirmat S. Gregor.[b] expendens ventum turbinis venientem ab Aquilone, & S. Cyrillus[c], & docent ventũ illum eſſe Dęmonem: Ventus procellarum & turbinum non ſolùm naues in mari ità impetit, vt niſi à Deo comprimeretur, ab ipſo mari abſorberentur, ſed & arbores, imò & turres ita exagitat, vt niſi ipſe Deus illum ſedaret & impediret, eradicarentur & ruerent; & ideò habetur in libro Iob: *Qui fecit ventis pondus*, Septuaginta *libramentum*; id eſt ità à Deo librantur, vt nullâ ratione perflent niſi iuxtà peculiatem menſuram quam à Deo accipiunt: vnde addit Pſaltes: *Faciunt verbum eius*; ita de illo turbinis vento hoc eſt Dęmone, eſt dicendum, non enim ſecundùm omnium virium ſuarum potentiam agit, quin potiùs comprimitur à Deo eius malitia, vt nullatenùs ei permittat agere niſi in numero, pondere, & menſura, & hoc eſt, quod illa verba ſignificant: *Qui fecit ventis libramentum*; ita namque ille qui vires noſtras agnouit, qui cognouit figmentum noſtrum, & recorda-

Hom. 65. ad populum.

Dæmon eſt mare malitiarum. *Apoc. 2.*

Iob. 38.

Dæmon eſt ventus validus.
a *Pſal. 148.*
b *Lib. 2. Moral. cap. 28.*
c *lib. 1 in Ioan. cap. 22.*

Iob. 28.

tur quoniam puluis ſumus, vires huius turbinis aut venti comprimit, vt nonniſi iuxtà menſuram ſibi præſcriptam perflare & agere poſſit, aliàs enim de homine qui puluis & cinis eſt arduus & ſiccus, omninò actum eſſet; & eſt quod expreſsè docet S. Auguſt. exponens illa verba Matth. *Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius deripere, niſi priùs alligauerit fortem? Alligatio Diaboli* (inquit) *eſt non permitti exercere totam tentationem quam poteſt, vel vi vel dolo, ad ſeducendos homines in partem ſuam, cogendo violenter, fraudulenterue fallendo.* Quod ſi ei permitteretur in tam longo tempore & tantâ multorum infirmitate, ſuam tyrannidem aduerſus homines exercere, vix reperiretur quis, qui euadere vnquam poſſet: & propterea ne tanta operetur mala, alligatus eſt, proindèque non venit à pijs & probis pertimeſcendus, vt monuit ipſemet Deus vnumquemque noſtrum, verbis quæ apud Hieremiam Prophetam habentur: *Ne formides*, inquit, *à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.* Et etiamſi iuxtà litteræ ſenſum, Propheta moneretur ne faciem & vultum eorum ad quos mittebatur ad annuntiandum eius verbum, formidaret, ſed potiùs conſtanter veritatem prædicaret, attamen Medina in hunc locum, & nonnulli alij de Dæmonibus hæc verba intelligunt, docentque Deum quemlibet noſtrum monere ne à facie eorum formidet, quia præter faciem nihil habent, horridi ſunt vultu, imbecilles ſunt, & vultu quidem videntur timorem incutere, aſpectu terrorem, *Sed ne timeas*, inquit, *à facie eorum, quia ego tecum ſum, vt eruam te*, ſi conſtanti animo reſiſtas, & ſic apparet Deum præpotentem malitiæ eorum gladium ita applicare, vt non noceant quantùm poſſent & vellent.

De Ciuit. Dei, cap. 8. Matth. 12.

Alligatur Dæmon ne noceat quantum vellet, & ideò non eſt à pijs pertimeſcendus.

Hierem. 1.

Medina.

SECTIO IV.

Chriſtus etiam & Angeli, ſe piorum quos inſequitur Dæmon; protectores exhibent.

QVOAD priorem partem ſpectat, quotieſcumque à Diabolo prouocamur in certamen, nobiſcum præſentiſſimus adeſt Chriſtus Ieſus Dominus noſter, & protectionem ac defenſionem affert; hinc præclarè Eccleſiaſtes, *Si vnus præualuerit contrà vnum, duo reſiſtunt ei.* Qui duo? homo & Chriſtus; nunquam enim homo iuſtus derelinquitur ſolus in certamine aduerſùs Dæmones, ſed ſemper ſocium protectorem habet Ieſum. Ita ibi S. Hieron. *Si aduerſùs*

Cap. 4.

Chriſtus aduerſus Dæmonem, protector noſter eſt.

hominem robuſtior in expugnando Diabolus ſteterit, ſtabit homo, ſtabit & Chriſtus pro homine, pro ſodali ſuo, vix Diaboli impugnationem ſentiet homo, & ſimul ſentiet protectionem Chriſti. Poteſt igitur dicere iuſtus id Iſaïæ iuxtà lectionem Septuaginta: *Ego ciuitas munita, ego ciuitas oppugnata.* Simul ergò ſuſtinet impugnationem, & accipit munitionem, impugnationem à Diabolo, & defenſionem à Chriſto, de quo S. Ambr. *Ego ciuitas munita, ego ciuitas obſeſſa, munita per Chriſtum, obſeſſa per Diabolum, ſed non debet obſidionem vereri cui Chriſtus adiutor eſt, munitur enim ſpiritali gratiâ, & ſæcularibus periculis obſidetur.* Nunquam ergò viro iuſto venit Diaboli impugnatio, quin ſimul veniat Chriſti protectio & munimentum: iam enim anteà oſtendimus ipſum Diabolum eſſe fabrum illum quem interfecit Chriſtus, hoc eſt eum deuicit, eiuſque vires enervauit. Hinc ipſe Diabolus Sancto Antonio, referente S. Athanaſio, dixit poſt Chriſtum nullas eſſe ei vires contrà fideles & iuſtos; eſt enim ille fortis armatus per Chriſtum alligatus, vt idem Chriſtus dixit [a]. *Niſi priùs fortem alliget.* Et dicitur in Apoc. [b] ligatus per annos mille, id eſt toto gratiæ tempore quod mille annis ſignatur, & in fine mundi modico tempore ſoluetur, hoc eſt tempore Antichriſti: ita vt iam ſimilis factus ſit Samſoni ligato cum quo pueri ludunt, iam enim exorciſtis traditur eijciendus, qui minor gradus & puerorum eſt in Eccleſia; pueri enim in illum facilè præualent, vt notat S. Iuſtinus Martyr. Iudicaberis ergò & argueris, ſi expulſo à te Dæmone per Chriſtum, iterùm eum recipias, iterùm in principem eligas, iterùm poteſtati eius te ſubijcias: erutus es de poteſtate Dæmonis? Noli iterùm eum in principem ſumere. Si alicuius magni, ac potentis Regis filius diceret, malo eſſe ſeruus Turcæ laborans in triremibus eius, quàm filius Regis, & eius hæres, an non hunc dementatum diceres, & Regi ſummam inferre iniuriam? Chriſtiane qui nunc dicis, *malo Dæmonis eſſe mancipium*, & in viliſſimis eius deſeruire & ſummo cum labore, quàm Dei eſſe & filius & hæres, an non amens es? an non Deo ſummam irrogas iniuriam? Profectò gloriatur propter te Dæmon contrà Deum dicens; pluris homo facit me quàm te, præeligit potiùs ſeruus eſſe meus quàm filius tuus. *Propter hoc*, inquit Pſaltes, *inimicus improperabit Domino & populus inſipiens irritabit nomen tuum.*

Iſai 27.

Lib. 6. examer. cap. 8.

S. Athanas. in vita S. Anton.

a Marc. 3.
b Apoc. 20.

S. Iuſtinus.

Pſ. l. 73.

Quod autem ad poſteriorem partem attinet, ſicut ipſe Chriſtus ab inſidijs & fraudibus Dæmonum nos protegit: ita vult quoque nos habere ſuos miniſtros, hoc eſt Angelos protectores, vt ſæpiùs in Tractatu de Angelis bonis inſinuauimus; nam ipſi ſunt fortiores Angelis malis, vt conſtat in Apocalypſi, vbi legimus Michaëlem cum An-

Aduerſus Dæmonem Angelos habemus protectores.

Apoc. 12.

gelis

gelis bonis viciſſe Sathanam, & Angelos eius: & Raphaël apud Tobiam Aſmodæum peſſimum Dæmonem ligauit; & item in Apocalypſi: *Angelus bonus ligauit Sathanam.* Cùm ſint ergo Angeli fortiores Dæmonibus, aduersùs illos nos defendunt, quamuis tamen aliquando ex Dei permiſſione eis cedant; ſunt enim boni ipſi Angeli Diuinæ Sapientiæ adminiſtri. Quamobrem ſicut diuina prouidentia mala fieri permittit per malos homines & Dæmones, propter bona quæ inde elicit; ſic & Angeli Sancti voluntati Dei inſeruientes, non omninò compeſcunt à nocendo Angelos malos vel impios homines, & ita etiam Dæmones vim & poteſtatem ſuam in pios & bonos homines exercent, inquantùm à Deo eis permittitur, vt iam notauimus in Tractatu de Angelis bonis. Et hoc eſt quod docet S. Cypr. Deum ipſis Dæmonibus poteſtatem dediſſe in nos, vel ad pœnam dum delinquimus, vel ad gloriam dum probamur; quamuis tamen, ait Sanctus Auguſtinus, talis poteſtas eis conceſſa, ſit ſemper limitata & non libera; ſicque quamuis plura nocentia exercere norint, tamen eis non ſemper permittuntur, neque vnquam attingunt quæ propria Dei ſunt.

Tob. cap. 8.
Apoc. 20.

Angeli boni quandoque Dei permiſſione cedunt Dæmonibus.

Serm. 6. de oratione Domin.

Lib. 3. de Trin. cap. 8.

SECTIO V.

Dæmon aſſiſtit morientibus.

ISIDORVS Hiſpal. Epiſcopus [a] rectè aduertit ex S. Gregor. [b] quòd cùm hominem continuò præuaricari cupiat Diabolus, ampliùs tamen in fine molitur decipere. Hinc eſt quòd in principio contrà Protoplaſtum ſerpenti eſt dictum: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius,* quia nimirùm hominem quem Diabolus in curſu præteritæ vitæ non decepit, in nouiſſimis ſupplantare diſponit; calcaneo enim inſidiari & ſemini Dei, non eſt aliud quàm inſidiari fini hominum Chriſtianorum: *Qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt,* vt docet S. Ioan. poſtrema autem huius inimici tela in homines pios ſunt ſæuiſſima, vt quos initio ab opere bono reuocare non potuit ſuaſionibus, nec in medio potuit immiſcere alienis negotijs, ſub finem fortiùs inuadat, vel vt operis contemptu vel nimiâ facti complacentiâ & gloriâ inani, ſecuritatis & negligentiæ præſumptione, conquiſitum magnis laboribus meritorum theſaurum eripiat, & tunc veluti Mandragora ſopitos iugulat & nudat, & hoc maximè molitur ijs qui magis bonis operibus intenti videntur. Et vt ait celeberrimus qui-

a *Lib. 3. ſuarũ Sent. cap. 5. num. 14.*
b *Lib. 31. Moral. c. 17.*

Dæmon vitæ Chriſtianorũ fini inſidiatur, & quomodo, latè oſtenditur.

Ioan. 1.

dam author, omnem quam poteſt & nouit rationem & conatum, hoc in poſtremo conflictu exhibet, vtpotè qui nouit ſi in illa hora non expugnet ac victoriam referat, ſibi prædam cui adeò ardenter inhiat, è manibus elabi; vnde ait S. Ioan. in Apocalypſi: *Væ terræ & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.* Quia ergo tunc videt modicum tempus illi ſupereſſe, quia breui eſt anima egreſſura à corpore, reduplicat vires ac artes ſuas, vt venenata pharmaca effundat, amorem obijcit filiorum ſi quos moribundi habeant, vt in Deum charitatem eliminet, præteritas noxas obiectat, vt deſperatio exurgat, ſuggerit ingrati animi eſſe vxorem beneuolam, amantem, benemeritam (ſi ſit coniugatus) expoliare, & ſubſtantijs ſuis Eccleſiam ditare, pauperes veſtire, malè parta reddere, debita ſoluere; illum quantum poteſt inducit, vt priùs inuigilet ad rei familiaris diſpoſitionem quàm ad animæ neceſſitates, & ſatis ſupereſſe illi temporis ad ei prouidendum, aut ſacramenta ſuſcipienda, & interim multoties accidit, vt multi hâc ſpe deluſi, non ſatis diſpoſiti, nec in bono ſtatu gratiæ, è præſenti vita migrent, & non ſine ſalutis æternæ diſpendio. Prætereà ipſi Dæmones illo maximè tempore, lugentem animam in deſperationem conijcere ſatagunt, atque vt omnem ſpem veniam ſperandi occludant, ſcelerum commiſſorum grauitatem memoriæ inculcant, vt deijciant curam omnem redeundi ad ineffabilem Dei bonitatem, quæ omnem peccatorem quàcumque horâ debitâ contritione ingemuerit, expanſis vlnis expectat, & venienti occurrit, fugientemue reuocat. In poſtremo etiam vitæ momento, ſalutem omni ex corde ei ſe conuertenti paratam offert: cui rei ipſi Dæmones in maxima & ſuprema vitæ periodo, pugnam acerrimam mouent, ne præda illis animæ peccatricis, vt iam dictum eſt, eripiatur: Adeſt ibi ſpiritus ſuperbiæ, ambitionem, arrogantiam, præſumptionem, inobedientiam, obſtinationem proprij iudicij obijciens: Adeſt Spiritus inuidiæ cum ſuis aſſeclis, obijciens detractiones, ſuſurrationes, odia, gaudium de alieno malo: Adeſt Spiritus iracundiæ cum ſuis, calumnias, conuitia, rixas, contentiones, vindictas exprobrans: Adeſt Spiritus auaritiæ, fraudes, periuria, furta, vſuras, iniuſtitiam omnem coaceruans, quaſi denſum contra peccatorem lutum, vt non poſſit euadere: Adeſt Spiritus gulæ & luxuriæ, in memoriam reuocans quicquid carnis voluptati indulſit animus, contra Deum peccans: Adeſt Spiritus acediæ, tædium inducens, & obliuionem cum corpore, vt homo iam obliuiſcatur ſui, qui antea oblitus eſt Dei. Sic vallum impenetrabile, & intranſcabile conficitur, quo anima tremula circumcingitur & includitur deſperabunda. Et tunc de illa verifi-

Apoc. 12.

Adſunt mali ſpiritus ſuperbiæ, inuidiæ, iracundiæ, &c. in articulo mortis.

eatur, id quod dicebat Chriſtus de Ciuitate Hieruſalem ſuper quam flebat, vt S. Lucas ait: *Venient dies in te & circundabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndique.* Quis enim anguſtias recenſere poſſit, quibus peccator in agone premitur? ſicut enim de inimicis Hieroſolymorum addens Chriſtus, *Non relinquent lapidem ſuper lapidem*: ita tunc temporis Dęmones conantur non relinquere lapidem ſuper lapidem, hoc eſt omnia bona opera & propoſita deſtruere, diſſipare, exinanire, inclamantes illud Babylonicum, *Exinanite exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Fundamentum enim omnium bonorum operum eſt fides, quam tunc etiam demoliri nituntur, infidelitatem cum deſperatione perſuadentes; vt ſic nullus lapis ſacri ædificij in anima permaneat. Et hęc omnia infœlici homini permittit Deus accidere, quia Iudęorum inſtar non cognouit tempus viſitationis ſuæ; hoc eſt tempus gratiæ ſibi oblatæ ad reſipiſcentiam, tempus miſericordię ad vitam, tempus pacis & reconciliationis ad iram auertendam; Et proindè benè ſapiunt illi qui in extremis conſtituti, & in acerrimo illo agone cum Dæmone, opem & auxilium Dei implorant, vt ei animam reſignantes Dæmonem ſuperent, de eoque triumphent: qui enim habitat & confidit in adiutorio altiſſimi, non accedet ad illum malum, & filius iniquitatis non ſupplantabit greſſus eius. Multorum eſt ſententia Dęmonem proprium, cuique aduerſarium à ſupremo Cacodęmone conſtitutum, eidem moribundo, horribili ſpecie apparere, eumque ad deſperationem, aliaque ſcelera ſollicitare, vti apparuit Sanctæ Marthæ & alijs, non tamen omnibus. Idipſum ſentire videntur S. Ephrem [a], S. Chryſoſtom. [b] & alij. Legimus etiam in vita B. Martini ipſum Dęmonem in eius morte aſtitiſſe, & ideò Sanctum virum clamaſſe: *Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſtè reperies.* Refert quoque Mandina Clericus regularis, Andręam Auellinum eiuſdem inſtituti, eodem prorſùs die annis reuolutis, quo S. Martinus iam iam animam agens, ſtrenuam de Diaboli fraudibus victoriam reportauerat, etiam de ſimilibus inſidijs acaſtutijs, dum quoque in extremis eſſet, Angelico fauore reportaſſe. Cùm igitur morbo pręnuntio, ad ſuperna euocaretur Andręas, iamque deſiderio totus eſſet in patria & morti proximus; ei lectulo iacenti patribus circunſtantibus Dæmon apparuit, ſtatim verò vnus ex ſupremis bonis Spiritibus, catenâ quâ canes aſtringi ſolent, collo religatum Dęmonem ipſum corripuit, & gemino ductu, diſtentum, proiecit in atrium. Et hinc apparet infenſiſſimum illum hoſtem, viros etiam ſanctiores in mortis articulo, non deſerere, ſed eis adeſſe ſi forſan in tali extremitate, vt in aliquod peccatum & potiſſimùm dęſperationis labantur, efficere poſſit.

Luc. 19.

Dæmones in mortis articulo, omnia bona opera, & conantur deſtruere.

Quiſnam Dæmon potiſſimùm, moribundo appareat.

[a] Serm in eos qui in Chriſto obdormiunt.

[b] Hom. 34. in Matth.

Mandina in vit. cap. Hieron.

Et quis non mirabitur, quòd auſu temerario etiam ipſummet Chriſtum qui eſt caput omnium electorum, dum eſſet in cruce ſit aggreſſus? Sic ipſe Chriſtus teſtatur apud S. Ioannem; *Venit Princeps mundi huius & in me non habet quicquam.* Vnde Euſebius illud Chriſti dictum à Dauide, *Tauri pingues obſederunt me*, intelligit de Dęmonibus, quos Chriſtus in cruce vidit hiante rictu, ſibi quaſi reo & ſcelesto inſultantes de crucifixione, & inſtante morte. Fauet illud Habacuc: *Egredietur Diabolus ante pedes eius.* Beata Virgo non ignorans huius inimici audaciam ac temeritatem, ſimulque conſiderans quòd ſibi quoque in morte eſſet inſidiaturus (nonobſtante quòd cognoſceret ſe eſſe mulierem de quâ dictum ei fuerat, *Ipſa conteret caput tuum*) dilectum filium ſuum exoraſſe dicitur, ne tunc horribilem illam beſtiam videret, vt eſt ſententia S. Auguſtini. Videamus ergò dum ſuperſtites ſumus, & procul bellum illius nequiſſimi ſpiritus, quod nobis in extremis conſtitutis eſt illaturus, odoramur, vt mentes noſtras certamini ante certamen diſponamus, tanquam viri fortes & ſtrenui milites Chriſti, armaturâ Dei muniti, & in die illo malo reſiſtamus, atque aduerſus Dęmonis Phalanges perfecti ſtemus; ſicque tanquam obedientes loquemur victorias.

Ioan. 14. *Lib. 1. de demõſtrat. cap. vlt.* *Pſalm. 21.* *Habac 3.* *B. Virgo in inſtanti mortis Dæmonem non vidit.* *S. Auguſt.*

Aduerte porro quod poſtquàm animæ ſunt à corporibus egreſſæ, ſi in gratia deceſſerint, confuſi Dæmones abeunt, & Angeli eas in cœlum perpetuò beandas deferunt, vt olim Lazarum in ſinum Abrahæ; aut in purgatorium ſi aliquid luendum habeant, eaſque ibi conſolantur, & de Eccleſiæ ſuffragijs ac earum breui liberatione, vt cœlum conſcendant, certiores reddunt: ſi verò in peccato & extrà gratiam egreſſæ fuerint à corpore, illico Dæmones eas rapiunt, & in infernum trahunt, vt olim diuitem Epulonem, ibique eas cruciant per conuitia & recordationem malorum quæ egerunt in hac vita, & per alia horribilia ſigna quæ ab ipſis fiunt, vt territæ paueant. Et eſt quod inſinuant frequenter SS. Patres & hiſtoriæ nonnullæ Eccleſiaſticæ, quæ communiter referuntur. Et vt horum damnatorum maiorem ſibi prædam faciant, pręcognoſcentes iudicium vltimum non aduenturum niſi impleto beatorum numero, maioribus artibus, & vt ita dicam, aperto marte, pios inſectantur, vt à gradu viaque beatudinis illos deturbent, & longiori ſpatio impleantur ſedes, & ne tam citò in inferni pœnis concludantur. Et hoc metuebant ipſi Dęmones in primo aduentu Domini, dicentes: *Quare veniſti ante tempus torquere nos?*

Sicut boni Angeli pios in cœlum ducunt, ita mali iniquos in infernum. *Matth. 8.*

O proh dolor! tanta eſt illo tempore ipſius Sathanæ vis & ferocia, vt vix euadere moribundi à ſuis vnguibus & ſæuitia, hoc eſt eius tentationibus poſſint, quin lacerentur. Euenitque ſępe illis

quod olim Carano Macedoniæ Regi: (ait Pauſanias in Bœotic.) qui de Ciſſeo Prouinciæ finitimæ Domino, cùm victoriam reportaſſet, & trophæū Argiuorum more, ad perennendā ſuam gloriam erexiſſet; illud poſteà Leo ex Olympo egreſſus euertit & diſſipauit: Sic reperies qui ſæpè in vita laureá donati, coronatique fuerint, vt victores inuicti & triūphales; quorum tamen pulcherrima trophęa clariſſimarum virtutum collocata, in extremo illo vitæ actu, impreſſione ſua furioſus hic Leo euertit, non ab Olympo monte, ſed à nigro Auerno egreſſus. Legendus eſt S. Gregorius, qui conſiderans Chriſti verba Dęmonem mundi Principem vocantis, in Euangelio S. Ioan. *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam;* hęc habet, *Curandum nobis eſt, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus quàm terribilis, ſua in nobis opera requirens, in die noſtri exitus Princeps huius mundi veniat; ſi etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæſiuit, in quo ſuum inuenire nihil potuit. Quid itaque nos miſeri dicturi, quid acturi ſumus qui innumera mala commiſimus? Quid requirenti aduerſario, & multa ſua in nobis inuenienti dicemus?* &c. O fœlices illi, qui ita in pręſenti vita de peccatis cōmiſſis pœnitentiam agunt, & ſe ſe ad bona agenda opera & virtutum exercitia, accingunt, vt veniens in eorum morte, Princeps iſte mundi, in eis non habeat quidquam. *Hom. 39. in Euang. Ioan. 14.*

CAPVT IX.

De apparitionibus Dæmonum in corporibus aſſumptis, nec non de eorum ſpectris & prodigijs.

SECTIO I.

Dæmones corpora aſſumere poſſunt ad hominum perniciem, & vt illis noceant.

IN Tractatu de Angelis, diximus illos corpora aſſumere poſſe, & quæ, nec tamen ea informare, nec etiam in illis opera vitæ exercere, ſed tantùm intrinſecè mouere, eiſque vti veluti inſtrumentis aut organis, ad explendas quaſdam operationes Dei iuſſu. Et quia Dæmones eiuſdem ſunt naturæ cum Angelis, certum eſt quo-

Dæmones corpora etiã aſpectabilia aſſumere poſſunt, & quæ, & ad quid.

que illos poſſe corpora aſſumere, non vt ea viuificent, ſed vt videantur; nec vt hominibus benefaciant, ſicut Angeli boni, ſed vt eis noceant. Quęnam autem corpora aſſumant nondum ſatis eſt exploratum; & quamplures de tali corporum aſſumptione ab illis variè loquuti ſunt. Clarum eſt illos aliquod corpus cœleſte non ſumere, hoc eſt de ſubſtantia tum Empyrei Cœli, tum alicuius inferioris: & ratio eſt, quoniam corpora illa ſunt penitùs indiuiſibilia & incorruptibilia, nec peregrinas ſuſcipiunt impreſſiones, teſte Philoſopho: & pręterea ſi ex hac ſubſtantia aſſumerent corpora Dęmones, ſequeretur hoc maximum inconueniens, ſcilicet quòd vbi aſſumerent, vacuum ibi relinquerent cœlum. Sed quodnam corpus valent igitur aſſumere? Corpora quæ aſſumunt in duplici differentia poſſunt eſſe, vetera ſcilicet, & recenter formata; vetera à natura iam producta, vti cadauera & mortuorum corpora, non quidem bonorum qui fuerunt Spiritus Sancti habitacula, ſed damnatorum; ſicque illorum corporum ſimplices ſunt motores, non autem formatores; recenter quoque formata corpora poſſunt aſſumere, hoc eſt de nouo illa ſibi Dei voluntate efformare, eaque ſibi aptare tanquam veſtes, ait S. Auguſtinus. Omnes autem Theologi docent illa ſibi fingere ex impuro aëre ſeu vaporibus, & exhalationibus, nubibuſue aëri admixtis, aërea enim corpora citò diſparent propter raritatem, maximè ſi virtus agentis & diſpergentis fortis ſit, vt in Dęmonibus, & ideò ea cùm volunt, deponunt. Non mirum autem ſi potiùs ex aëre ſibi effingant corpora quàm ex alia materia, ſympathiam enim quandam eſſe oportere inter locum, & habitantem, bona pars ſcriptorũ putat: Dæmones autem habitare in aëre caliginoſo omnes conſentiunt; credibile ergo eſt ex illo familiari aëre ſibi accommodare corpora ſolere. Deindè addunt oportere corpora eorum eſſe agilia, Dæmones enim, vt Tertull. ait, quodammodò volucres ſunt & celerrimè per omnia loca volitant, vt alibi dicemus. Addunt inſuper experientiam docere corpora illa eſſe aëria, ſunt enim qui ea conati ſunt aliquando ſcindere & vulnerare, ſed nequaquàm potuerunt, & experti ſunt illa ictibus cedere, & ſtatim diſparere. Deindè corpora illa facillimè euaneſcunt. Quòd ſi eſſent terrea, aliquid maneret ſolidi; ſi aquea, diffluerent; ſi ignea comburerent, & attrectari non poſſent: ſpiſſant autem Dæmones, & concondenſant iſta corpora ex compreſſione partium, vt enim aqua cogitur in glaciem, & interdum dureſcit in chryſtallum, ita aër quo ſe ſe veſtiunt Dæmones, denſatur in corpus aſpectabile, vt videri aut tangi poſſit. Quòd ſi aër ſolus non videatur eſſe ſatis, poſſunt admiſcere etiam, vt dictum eſt, aliquid vaporis, aut aquæ, vel nebulæ,

Ariſt. 1. Metaph.

S. Auguſt.

vnde exiſtant colores. Id quippè fieri videmus in Iride, ſic enim ait Virgilius:

Mille trahit varios aduerſo ſole colores.

Non eſt autem neceſſe, Dæmonibus, aut etiam bonis Angelis tribuere membra vitalia, vt pulmones, cor, hepar, &c. non enim eâ causâ induunt corpora, vt ea informent & viuificent, ſed tantùm vt videantur, & tangi poſſint. Vnde Abraham vidit Angelos, & lauit illorum pedes, & illis appoſuit cibos, denique etiam comederunt.

Eſt autem hîc ſedulò aduertendum, id quod docet S. Thomas, quòd licet aër in ſua raritate manens, non retineat figuram neque colorem, quando tamen condenſatur, & figurari & colorari poteſt, ſicut patet in nubibus & Iride, vt dictum eſt. Et forſitan (inquiunt aliqui) aëri iunguntur aqua, terra, lutum, ſulphur, reſina, &c. quibus omnibus Dæmon ſpeciem humani corporis configurare poteſt, non tamen ita perfectè quin à veris corporibus plurimùm diſtent, & tactu diſcerni poſſint: & ratio eſt quia ars perfectè naturam exprimere non poteſt. Deindè benè aduertunt Doctores, plerumque effigiem humani corporis à Diabolo aſſumptam, parte aliqua apparere mancam aut monſtroſam, inſigniterue horridam, vocemque ſtridulam, obſcuram, confuſamque, velut è dolio fractaue olla prodeuntem. Refert Binsfeldius maleficos alioſque fateri, non eſſe difficilè Diabolum diſcernere ex membris & corporis conſtitutione, ex inceſſu, curſu, & alijs huiuſmodi, aliquando enim Dæmones apparentes in humana ſpecie, viſi ſunt cum pedibus tetris aut aſininis, vt habetur apud Alexandrũ de Alexandro [a] & alios, etiam ex confeſſione vnius maleficæ anno 1589. 14. Iulij, vt refert ſuprà nominatus Binsfeldius: & ita Nicolaus Remigius [b] de Dæmonolatria.

Q. 51. art. 2.

Diſcernuntur Dæmones à bonis Angelis, in corporibus quæ aſſumunt.

Binſf. lib. de Confeſſ. magn. præind.

a *Alex. lib. 4 Gen. dierum cap 19.*

b *Nicol Remig. de dæmonol. lib 1.*

Ex his ſatis apertè ſequitur Dæmonem nullum aſſumere corpus ad vnionem naturalem, ſcilicet quòd ſicut anima facit cum corpore ſuo vnum per ſe: ita & Dæmon cum corpore aſſumpto faciat vnum per ſe ſubſiſtens, cùm etiam tale corpus organizatum non ſit; neque etiam (& multò minùs) illud aſſumere ad vnionem & identitatem hypoſtaticam, ſicut natura humana eſt à verbo aſſumpta, ſed ad vnionem accidentalem, & ad breue temporis ſpatium, ad aliquid manifeſtandum ſenſibiliter, vel aliquid exequẽdum ſecundùm ipſius Dei mandatum & permiſſionem. Vnde non eſt in corpore illo aſſumpto ſicut perfectio in ſuo perfectibili, neque veluti forma informans, ſed ſicut ſimplex forma aſſiſtens, hoc vtens corpore velut inſtrumento, ſiue vt nauta in naui. Et ideò tale corpus facilè reſoluitur in præiacentem materiam ex qua compoſitum erat, niſi quando Dæmon aſſumit cadauer alicuius damnati hominis, tunc enim relinquit

Dæmones ad vnionem naturalem aut Hypoſtaticã corpora non aſſumunt.

illud fœtidum & putridum.

Corpora à Dæmonibus aſſumpta, ſunt vera & realia, non phantaſtica.

Vdalricus.

Albert in 2. diſt. 8. art. 2.

Ex antedictis, refelluntur qui putant corpora illa à Dæmonibus aſſumpta non eſſe vera & realia, ſed falſa quædam ſpectra & imaginationes, ſeu phantaſias & ludificationes quaſdam in animis hominum, ſeu fieri per illuſionem phantaſiæ & ſenſuum, inter quos fuit Vdalricus, qui citat pro ſua ſententia Albertum præceptorem ſuum, qui tamen in ſecundo ſententiarum, & alibi oppoſitum docet. Qui igitur cum Vdalrico id docent, videntur Sacræ Scripturæ repugnare, nam vetus Diabolus ingreſſus eſt in ſerpentem, in eoque Euæ loquutus eſt, vt eam deciperet, aliàs in pœnam ſui ſceleris non dixiſſet Deus, *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Et item, *inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius, & ipſa conteret caput tuum.* Ita etiam hodie hircorum aliorumue animalium corpora aſſumere dicitur Diabolus, quando inter ſtriges & maleficos apparet. Et idem malus Angelus humanâ vtique formâ indutus, Chriſtum tentauit, vt apud S. Matthæum habemus.

Geneſ. 3.

Matth. 4.

Deinde ſi de bonis Angelis agatur, cùm ſit eadem ratio: ipſi ſeſe obtulerunt conſpiciendos & digitis attrectandos Abraham & Loth, atque toti eorum familiæ; at imaginatio ſeu phantaſia non eſt, ſi hominum multitudo ſimul Angelos conſpexerit, & non eſt facilè ſimul multis imponere. Et quod dicimus hîc de Abraham & Loth, eſt quoque de multis alijs dicendum, vt in veteri ac nouo teſtamento habetur, ſicut in Tractatu de Angelis latè diſſeruimus. Et fauet S. Auguſt. in libris de Trinitate, & Ciuitate Dei, vbi ait: *Apparuiſſe hominibus Angelos in talibus corporibus, quæ non ſolùm videri verùm etiam tangi poſſent veriſſima ſcriptura teſtatur, & hoc negare impudentia videtur:* ſicque certum eſt corpora illa à Dæmonibus aſſumpta vera fuiſſe, & non tantùm inanes imaginationes.

Lib. 3 de Trin. cap. 10. 1.1. &c. & 15. de Ciuit. Dei cap. 23.

SECTIO II.

Quid præſtent aut efficiant Dæmones in corporibus aſſumptis.

NON ſunt hîc repetenda ea quæ in Tractatu de Angelis diximus circà corporum ab eis aſſumptionem, quomodo comedant, loquantur, ambulent, & alia ſimilia exerceant, ſicut nonnunquam

quam docet ſcriptura contigiſſe, tùm à bonis tùm à malis Angelis; cùm enim illi vitam haud habeant ſeu animam, quæ eſt intrinſecum & vitale harum actionum principium, hęc vitę opera exercere minimè poſſunt. Cùm igitur comedere viſi ſunt, non conuerterunt cibum in ipſorum corporum aſſumptorum ſubſtantiam, cùm ipſa natiuo calore careant, cæteriſque partibus ad peragendam nutritionem requiſitis, & proindè corpora illa non poſſunt vitaliter augeri, cùm vitalis accretio ſemper cum nutritione coniuncta ſit. Vnde tria præcipuè conſiderantur in comeſtione. Primum eſt cibi maſticatio: Secundum, eſt eiuſdem in ventriculum traiectio: Tertium, conuerſio eiuſdem in carnem & ſanguinem, & hæc eſt propria comeſtionis ratio: Duo priora poſſunt Dęmones ſicut Angeli præſtare; Tertium verò nequaquam. Ipſi etiam in corporibus aſſumptis propriè non loquuntur, ſed aliquid præſtant loquutioni perſimile, quatenus in aëre ſonos efformant humanis vocibus ſimiles. Cùm etiam ambulant motu progreſſiuo, vel mouent manus & alia membra, certo modo motum ſimilem progreſſioni & ambulationi, & alteri animalis motui producunt. Sic eſt dicendum de alijs operationibus ſenſuum, vt ſunt videre, audire &c. hæ ſiquidem operationes, naturaliter & ordinariè exercentur per organa corporalia, tanquam per inſtrumenta naturalia, quibus quidem organis, cùm careant Dęmones, etiam in aſſumptis corporibus; non poſſunt illas tanquam à principio vitali & intrinſeco exercere, ſicut nec flere, & triſtari, ſi non poſſint homines eos tentando ſuperare; neque ridere & lætari ſi poſſint, niſi quoad apparentiam exteriorem, non autem quoad paſſionem internam, nam poſſunt faciem mouere quaſi appareant ridentes, ſed non interno affectu gaudentes; & ita licèt ipſa obiecta intellectu apprehendant, non tamen ſenſibus, eo modo quo poſſunt homines.

Non exercent Dæmones vitæ opera, in corporibus quæ aſſumunt.

Sed quærunt aliqui, num Dęmones poſſint generare; breuiter alij reſpondent, eatenus dici generare, quatenus in ſpecie viri poſſunt extrinſecùs aliundè acceptum ſemen, & nòn ex ſeipſis deciſum, conſeruatum tamen in ſuo calore naturali in mulierem transfundere, vnde dicuntur incubi; vel quatenus in ſpecie fœminæ ſemen à viro cui ſe ſubſternunt, excipiunt, vnde ſuccubi nuncupantur. Et hoc modo dicunt aliqui Merlinum Britannicum fuiſſe progenitum, de quo meminit Scotus & ita cenſet Alphonſus Mendoza quęſt. 5. Scholaſt. aitque id perhiberi ſatis veraciter. Quòd autem ſint Dęmones incubi & ſuccubi conſtat ex Philone in vita Apollonij Tyanei, ibi enim refert ſuccubum Dæmonem in forma mulieris decepiſſe iuuenem quendam Menippum nomine. Idem dicit S. Auguſtinus

Dæmones quidam incubi & ſuccubi, & an generare poſſint.

Scot. 2. ſent. diſt. 8. q vnic. Alphonſ. qu. 5. Scholaſt. Phil. in vita Apollonij.

de Syluanis & Faunis, nec-non Dæmonibus quos Duſios Galli nuncupant, hi enim erant incubi & ſuccubi. Ex his tamen non ſequitur

Auguſt. lib 5. de Ciuit. Dei cap. 23. Dæmones propriè loquendo & virtute ſuâ poſſe generare, ſicque dici parentes ſobolis procreatæ, ſed potiùs eos à quibus ſemen acceperunt, cùm nullâ ratione, vt dictum eſt, habeant vitale principium talis actionis generatiuæ, ſicut non habent principia vitalia videndi,

Auguſt. de Ciuit. loco cit. audiendi, &c. & alias actiones vitæ exercendi, per quæ formaliter dicantur videre, audire, &c. vt dictum eſt. Et ita docet S. Auguſt. & Scholaſtici.

1. ad Cor. 11. Plures putant, quòd dùm Apoſtolus in priori Epiſtola ad Corinthios, vult mulieres in Eccleſia, habere velatum caput propter Angelos, intelligit per Angelos, Dæmones incubos. Ita Beda in hiſtorijs

1. p. qu. 25 & in 2. diſt. 8. & quodlib. 6. Anglorum, & S. Thom. 4. Alij tamen alio modo hæc verba S. Pauli interpretantur, vt alibi diximus. Sed quicquid ſit, dantur Dæmones incubi & ſuccubi, qui eo modo quo dictum eſt, ſolùm generare poſſunt.

Geneſ. 6. Objicitur id quod habetur in Geneſi, filios Dei fuiſſe ingreſſos ad filias hominum, & genuiſſe: per hos autem filios Dei nonnulli Dæmones intelligunt, qui Dei filij per creationem dicuntur, abſit enim vt ſordidas actiones bonis Angelis tribuant: Ergò ſequitur Dæmones poſſe verè generare. Reſpondemus, nomine filiorum Dei non ſignificari ibi Angelos aut Dæmones, ſed viros illuſtres, Dei cultus ſtudioſos, ex ſancta ſtirpe Seth oriundos, qui quoniam vſque ad illud tempus in cultu vnius Dei perſeuerarant, à ſcriptura vocantur filij Dei: nomine autem filiarum hominum, intelligi eas quæ erant de progenie Caïn, quæ vocabantur filiæ hominum non filiæ

S. Aug. 15. de Ciuit. Dei, cap. 23. Dei quia imitatæ mores parentum ſuorum, rebus terreſtribus erant addictæ, & ex his geniti ſunt Gigantes vt ait S. Auguſt.

SECTIO III.

In diuerſis formis & figuris, apparuerunt in corporibus aſſumptis Dæmones, & primò in humana forma.

In diuerſis figuris Dæmones apparuerunt. MALIGNI Spiritus, varias pro negotiorum quæ in hominum perniciem moliuntur varietate, formas aſſumunt, nunc virilem, nunc muliebrem, nunc volatilium, nunc quadrupedum, nunc reptilium &c. vt multis exemplis in ſequentibus patebit. Sicut etiam

benè notauit Gregorius Toloſanus, qui addit non ſolùm ſub belluinis formis apparere quandoque Dęmones, ſed etiam ſub rerum inſenſibilium & aliarum horribilium rerum figuris; at ſolùm de eorum apparitionibus in humana forma, pręſenti Sectione dicendum venit.

Greg. Toloſ. Com. in lib. 7. art. mirab. cap. 14.

Eſt autem valdè mirandum, quòd quidam ex illis vnus, in figura Domini noſtri Ieſu Chriſti, ornamentis aureis & præfulgidis, necnon diademate coronatus, Sancto Martino Turonenſi Epiſcopo apparere eſt auſus, vt ipſum Sanctum virum ad ſe adorandum tanquam Chriſtum ipſum induceret, at detectâ eius fraude dixit ei, *Dominus Ieſus Chriſtus non purpuratum aut diademate renitentem, ſe venturum eſſe prædixit*, quo audito diſparuit.

Dæmones apparuiſſe pluries in humana forma, multis hiſtorijs oſtenditur.

Alius quidam Pater, cùm ſe Dæmon ei in forma Chriſti offerret, clauſis oculis dixit, ſe nolle Chriſtum videre in hac vita, ſed in cœlis. Alius ſub ſimili ſpecie apparenti, obiecit, vide ad quem mittaris, neque enim is ſum qui Chriſtum videre merear.

Legitur quoque in Legenda S. Hieronymi, Dæmonem induiſſe ſpeciem S. Syluani Epiſcopi Nazareni, qui chariſſimus erat S. Hieronymo, & in eadem, fœminam quandam noctu in lecto iacentem aggreſſum fuiſſe, vt ad luxuriam prouocaret, & cùm ipſa acclamaret, eum in eadem forma ſub lecto ſe abſcondiſſe, ibique inuentum, mentitum eſſe ſe Syluanum Epiſcopum, vt tanta infamia virum Dei notaret, & ita diſparuiſſe: talis autem de Syluano fuit multorum opinio, donec ipſe Dæmon in obſeſſo corpore, dolum & fraudem detexit.

Magno Iacobo viſus eſt Dęmon in forma nudi Æthiopis, ignem ex oculis emittentis, vt author eſt Theodoretus, & ipſius viri Iacobi imaginem & formam induebat, vt vir Dei ibidem refert ſequentibus verbis. Sed me rurſùs clanculùm perpetuâ afficiebat moleſtiâ, nam aquam quæ mihi bis in hebdomada infernè afferebatur, ei qui afferebat occurrens, & meam formam imitans accipiebat, & illum iubens recedere fluentum effundebat, idque cùm non ſolùm bis, ſed etiam ter feciſſet, me ſitis perpeſſione validè oppugnauit; cùm ergo valdè angerer, rogaui eum qui ſolebat ad me adferre, cur iam quindecim diebus ad me aquam non tuliſſet, is dixit ſe iam ter & quater attuliſſe, & me accepiſſe. Et vbi (inquam) ego à te eam afferente accepi? ille locum oſtendit. Etſi millies inquam ego me illuc accedentem videris, ne vas dederis donec ad hunc locum veneris; Et paulò pòſt ibidem eidem Sancto apparuit in ſpecie duarum mulierum de monte deſcendentium. In eadem forma Æthiopis.

Theodoret. in Relig. hiſt. SS. Patrum, c. 21.

de Syluanis & Faunis, nec-non Dæmonibus quos Duſios Galli nuncupant, hi enim erant incubi & ſuccubi. Ex his tamen non ſequitur Dæmones propriè loquendo & virtute ſuâ poſſe generare, ſicque dici parentes ſobolis procreatæ, ſed potiùs eos à quibus ſemen acceperunt, cùm nullâ ratione, vt dictum eſt, habeant vitale principium talis actionis generatiuæ, ſicut non habent principia vitalia videndi, audiendi, &c. & alias actiones vitæ exercendi, per quæ formaliter dicantur videre, audire, &c. vt dictum eſt. Et ita docet S. Auguſt. & Scholaſtici.

Auguſt. lib 5. de Ciuit. Dei cap. 23.

Auguſt. de Ciuit. loco cit.

Plures putant, quòd dùm Apoſtolus in priori Epiſtola ad Corinthios, vult mulieres in Eccleſia, habere velatum caput propter Angelos, intelligit per Angelos, Dæmones incubos. Ita Beda in hiſtorijs Anglorum, & S. Thom. 4. Alij tamen alio modo hæc verba S. Pauli interpretantur, vt alibi diximus. Sed quicquid ſit, dantur Dæmones incubi & ſuccubi, qui eo modo quo dictum eſt, ſolùm generare poſſunt.

1. ad Cor. 11.

1. p. qu. 25 & in 2. diſt. 8. & quodlib. 6.

Obijcitur id quod habetur in Geneſi, filios Dei fuiſſe ingreſſos ad filias hominum, & genuiſſe: per hos autem filios Dei nonnulli Dæmones intelligunt, qui Dei filij per creationem dicuntur, abſit enim vt ſordidas actiones bonis Angelis tribuant: Ergò ſequitur Dæmones poſſe verè generare. Reſpondemus, nomine filiorum Dei non ſignificari ibi Angelos aut Dæmones, ſed viros illuſtres, Dei cultus ſtudioſos, ex ſancta ſtirpe Seth oriundos, qui quoniam vſque ad illud tempus in cultu vnius Dei perſeuerarant, à ſcriptura vocantur filij Dei: nomine autem filiarum hominum, intelligi eas quæ erant de progenie Caïn, quæ vocabantur filiæ hominum non filiæ Dei quia imitatæ mores parentum ſuorum, rebus terreſtribus erant addictæ, & ex his geniti ſunt Gigantes vt ait S. Auguſt.

Geneſ. 6.

S. Aug. 15. de Ciuit. Dei, cap. 23.

SECTIO III.

In diuerſis formis & figuris, apparuerunt in corporibus aſſumptis Dæmones, & primò in humana forma.

MALIGNI Spiritus, varias pro negotiorum quæ in hominum perniciem moliuntur varietate, formas aſſumunt, nunc virilem, nunc muliebrem, nunc volatilium, nunc quadrupedum, nunc reptilium &c. vt multis exemplis in ſequentibus patebit. Sicut etiam

In diuerſis figuris Dæmones apparuerunt.

benè notauit Gregorius Toloſanus, qui addit non ſolùm ſub belluinis formis apparere quandoque Dæmones, ſed etiam ſub rerum inſenſibilium & aliarum horribilium rerum figuris; at ſolùm de eorum apparitionibus in humana forma, præſenti Sectione dicendum venit. *Greg. Toloſ. Com. in lib. 7. art. mirab. cap. 14.*

Eſt autem valdè mirandum, quòd quidam ex illis vnus, in figura Domini noſtri Ieſu Chriſti, ornamentis aureis & præfulgidis, necnon diademate coronatus, Sancto Martino Turonenſi Epiſcopo apparere eſt auſus, vt ipſum Sanctum virum ad ſe adorandum tanquam Chriſtum ipſum induceret, at detectâ eius fraude dixit ei, *Dominus Ieſus Chriſtus non purpuratum aut diademate renitentem, ſe venturum eſſe prædixit*, quo audito diſparuit. *Dæmones apparuiſſe pluries in humana forma, multis hiſtorijs oſtenditur.*

Alius quidam Pater, cùm ſe Dæmon ei in forma Chriſti offerret, clauſis oculis dixit, ſe nolle Chriſtum videre in hac vita, ſed in cœlis. Alius ſub ſimili ſpecie apparenti, obiecit, vide ad quem mittaris, neque enim is ſum qui Chriſtum videre merear.

Legitur quoque in Legenda S. Hieronymi, Dæmonem induiſſe ſpeciem S. Syluani Epiſcopi Nazareni, qui chariſſimus erat S. Hieronymo, & in eadem, fœminam quandam noctu in lecto iacentem aggreſſum fuiſſe, vt ad luxuriam prouocaret, & cùm ipſa acclamaret, eum in eadem forma ſub lecto ſe abſcondiſſe, ibique inuentum, mentitum eſſe ſe Syluanum Epiſcopum, vt tanta infamia virum Dei notaret, & ita diſparuiſſe: talis autem de Syluano fuit multorum opinio, donec ipſe Dæmon in obſeſſo corpore, dolum & fraudem detexit.

Magno Iacobo viſus eſt Dæmon in forma nudi Æthiopis, ignem ex oculis emittentis, vt author eſt Theodoretus, & ipſius viri Iacobi imaginem & formam induebat, vt vir Dei ibidem refert ſequentibus verbis. Sed me rursùs clanculùm perpetuâ afficiebat moleſtiâ, nam aquam quæ mihi bis in hebdomada infernè afferebatur, ei qui afferebat occurrens, & meam formam imitans accipiebat, & illum iubens recedere fluentum effundebat, idque cùm non ſolùm bis, ſed etiam ter feciſſet, me ſitis perpeſſione validè oppugnauit; cùm ergo valdè angerer, rogaui eum qui ſolebat ad me adferre, cur iam quindecim diebus ad me aquam non tuliſſet, is dixit ſe iam ter & quater attuliſſe, & me accepiſſe. Et vbi (inquam) ego à te eam afferente accepi? ille locum oſtendit: Etſi millies inquam ego me illuc accedentem videris, ne vas dederis donec ad hunc locum veneris; Et paulopòſt ibidem eidem Sancto apparuit in ſpecie duarum mulierum de monte deſcendentium. In eadem forma Æthiopis. *Theodoret. in Relig. hiſt. SS. Patrum, c. 21.*

nigri aliquando etiam apparuit B. Antonio, vt author eſt S. Athanaſ. in eius vita.

S. Athan. in vita S. Ant. Sophron. in prat. c. 199.

Refert Sophronius Hieroſolymorum Patriarcha, in Monaſterio Raythu, ſenem quendam fuiſſe Anachoretam, quem Diabolus in ſpecie euiuſdam Eremitæ viſitatum veniebat, quaſi conſultaturus: quem cùm ſenex hortaretur, vt ante colloquium precibus more ſolito inſiſteret; hęc ſecum demurmurabat: *Nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum*, monitus verò vt etiam illa quæ præcederent recitaret nempè: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto*, ſtatim diſparuit, vim paſſus, & gloriæ diuinæ nomen non ſuſtinens.

Lib. 1. cap. 8. & 9.

Legitur in vita Sancti Vincentij Ordinis Prędicatorum, Dęmonem Valentiæ in ſpecie ſenis venerabilis, cum barba ad genua prolixa ſe ei repręſentaſſe, ſimulantem ſe vnum eſſe ex veteribus Patribus Ægypti, & in alia nocte in figura vaſti Æthiopis.

Tom 2. c. 10.

Surius refert de S. Wilhermo Duce ac Comite Pictauorum ac Eremiæ, quòd cùm is nocte multis iiſque diuerſis Dęmonum vocibus, in vigilijs & orationibus moleſtiâ afficeretur, ex omnibus illis vnus cæteris clarior & virtute robuſtior apparuit in ſpecie proprij genitoris, & ei cum vociferatione clamoris multis verbis ſuaſit; vt ſi beatus eſſe vellet eum ſequeretur, miles verò Chriſti Dei fortitudine protectus, verba deceptoria paruipendens, ad ea nihil penitùs reſpondit.

Sozom lib. 8. hiſt. trip. c. 28.

Narrat Sozomenus, Apelli viro Sancto in eremo Ægypti degenti fabro ferrario cùm noctu accuderet, Dæmonem apparuiſſe in forma mulieris formoſæ, vt eum ad luxuriã prouocaret, ſed Apellem accepto è fornace ferro candente, in faciem illius inſurrexiſſe, & ita eum ſpiritum frementem & flentem, cito citiùs ad fugam compuliſſe, & forſitan Dęmon iſte erat ille de quo ſcribit Philoſtratus, quem Præſulem venereorum vocat.

Lib 4 de vita Apollony.

Idem Philoſtratus, refert Epheſi Dæmonicum quoddam ſpectrum peſtem diſſeminaſſe, idque in forma & ſpecie ſenis mendici peram geſtantis, paniceis fruſtis refertam, laceram & ſordidam veſtem gerentis, quem Apollonius Tyanęus ad expiandam ciuitatem cùm detexiſſet, iuſſit lapidibus obrui, quod factum eſt, & ſublatis deinde aceruis lapidum ait, in eius locum inuentum eſſe canem tantæ magnitudinis quantæ maximus leo eſſe ſolet, & ad modum rabidi canis ſpumam emittentem, & ita liberatam à peſte ciuitatem.

Niceph. lib. 14. cap. 40 Socrat. lib. 12. hiſt. Tripart. c. 9

Mirabile & pernicioſiſſimum ſpectrum refertur apud Nicephorum Calixtum, & Socratem. Scribunt enim tempore Theodoſij Iunioris Imperatoris, virum quendam, vel meliùs Dęmonem in for-

ma viri in Creta fuiſſe, qui ſe ſimularet Iudæis eſſe Moſem, quiue pollicitus eis fuit, ſe illos per mare rubrum ſicco pede traducturos, ſicque toto anno integro per inſulam percurrens, ſuaſit illis vt ſe ſequerentur, quod & fecerunt, vanis illius promiſſis decepti, vnà cum coniugibus & liberis. Is autem in ſummum quendam ſcopulum in pelagus excurrentem duxit, atque inde ſeipſos conijcere in mare, velut natantes & vrinantes iuſſit, idque quidam ſtatim vt illis imperatum fuit, fecerunt, neque deinceps apparuerunt: quidam autem in præcipitio ſaxis alliſi interierunt, & vniuerſi illi vel in vndis, vel in præcipitijs ſaxi perijſſent, niſi Dei prouidentiâ piſcatores, & aliâ mercatura victum quærentes, Chriſtiani homines, ſubitò adfuiſſent eoſque modis omnibus inde extrahentes ſeruaſſent, tùm primùm fortaſsè quâ dementiâ capti eſſent ſentientes, qui & alios quominùs in mare ſe proijcerent, prohibuerunt, eorum qui anteà id feciſſent interitum indicantes. Quare fraudem ità detegentes, Pſeudo-Moſem illum apprehendere ſunt aggreſſi, verùm perficere id minimè potuerunt, confeſtim enim ille diſparuit, & magnam ſuſpicionem præbuit, perniciosum quendam Dæmonem ſub humana ſpecie, gentem illam ad exitium perduxiſſe.

Narrat Fœlix Malleolus, in Noruegia etiam hodie ſæpè apparere Dæmones qui & Trolli dicuntur, & propter conſuetudinem ab hominibus non timentur, imò illorum obſequijs homines vti, & ſemel in quodam nemore, vnum ex illis apparuiſſe in forma viri Religioſi fugienti Preſbytero, ob ſuſpicionem fornicationis cum vxore cuiuſdam potentis, cumque turpiter ſeduxiſſe, vt refert Gregorius Toloſanus[a].

Malleolus lib. de crudelitate Dæmonum.

Sanctus Gregorius[b] & Caſſianus[c] referunt, Dæmones à quodam viſos eſſe in humana forma, reddentes ſuorum operum rationem coràm Lucifero ſedente in throno, etiam in humana forma, apparebat enim tanquam Rex coronâ redimitus.

a Greg. Tol. Com. in lib. 7. Synt. artis mirab. c. 14.

b 3. Dial c. 7.
c Coll. 8. c. 16.

Binsfeldius de Confeſſionibus maleficiorum, multas refert hiſtorias apparitionum Dæmonum in humana forma & primò, vnam à Georgio Godelmanno Iuriſconſulto relatam, in tractatu de Magis, Veneficis, & Lamijs, de duobus Dæmonibus in forma equitum, quorum vnus quandam fœminam die nuptiarum ob periurium, à ſuorum parentum & amicorum conſpectu, è medio in altum ſuſtulit, poteſtate ad id ei à Deo conceſſa, nec ampliùs viſa fuit.

Binsfeld. conclusione 12.

Godel lib. 1. c. 1 num. 8.

Alteram refert ex Paulo Grillando, de quadam Iuuencula virgine, quæ à Malefica ſeducta, & ad aliarum conſortium perducta, cùm Sathanam in ſolio majeſtatis ſuperbè ſedentem, & ornamentis auratis, & purpuratis veſtibus decoratum vidiſſet, & ſigno Crucis ſe

Grill. lib. 2. de sortil.

muniuiſſet cum inuocatione Ieſu, ſola remanſit, cunctis diſparentibus, & luminaribus extinctis, ſed tamen à quodam viro ſene qui eam reperit ad patriam reducta fuit, & ſuis parentibus reſtituta, quæ poſteà habitu Sanctæ Claræ in quodam Monaſterio Monialium aſſumpto, profeſſionem fecit, & caſtiſſimè vixit, & Malefica quæ eam ſeduxerat fuit publicè combuſta.

Bod. lib. 2. cap. 4. Ita & Bodinus de alio quodam refert, qui à propria vxore ſeductus, & ad Sagarum contubernium ductus, Dæmones in humana ſpecie, aſpectus tamen horrifici vidit, & inuocato Dei nomine cœtus diſparuit, & cùm propriam domum redijſſet, vxorem ſuam accuſauit, quæ omnia confeſſa eſt coram iudice, & vltrò agnouit peccatum.

Interdum etiam Dęmones apparent velut Gigantes, ſeque bellorum potentes iactitant, & terrorem incutiunt.

Loco citato. Idem ſuprà nominatus Gregorius Toloſanus, narrat Dæmonem quibuſdam Sagis apparuiſſe in figura hominis induti veſtibus nigris & pallio, alijs viridibus, alijs in forma militis, & idem dicit pariter ſe vidiſſe & legiſſe acta & iudicia damnatorum maleficorum & maleficarum vltimo ſupplicio in Lotharingia, ex quorum conſtantiſſimis aſſertionibus & confeſſionibus liquidò conſtabat, Dęmones in humana forma illis ſic ad nutum apparere. Refert etiam vnum Dæmonem cuiuſdam malefici magiſterulum, coquinam & conuiuia apparaſſe nuptiarum in forma coqui, dum ille nuptui filiam daret.

Non deſunt apud probatos auctores, quamplurimæ aliæ apparitiones ſimiles Dæmonum in corporibus aſſumptis, & in figuris hominum efformatis, & vereor ne poſtquam ſolutus nunc eſt Sathan,

Apoc. 20. vt fieri debere prædixit Sanctus Ioannes in Apocalypſi, apparitiones ſint frequentiores quàm olim, & eò perniciosiores, quò ſibi inſtare aduertunt Dæmones diem vltimum iudicij breui aduenturum, quo apud inferos abſque vlla liberationis ſpe, concludendi ſunt

Loco citato. in perpetuum. Etenim ait Gregor. Toloſan. in pluribus orbis regionibus, in Pyræneis montibus, Apenninis, Vogezijs, & in Germania, & Lotharingia ſunt Dæmones ita familiares maleficis & ſortilegis, vt quandocumque inuocantur ab illis, aſſideant in viſibili & humana forma, aut etiam alia figura illis nota.

SECTIO IV.

In varijs alijs formis, quàm humana apparuerunt Dæmones.

QVOD autem attinet ad apparitiones Dæmonum in alijs formis quàm in humana, docet ſuprà-dictus Gregorius Dæmonem quoque maleficis apparuiſſe, tùm in forma canis, tùm in forma equi; ſicut certum eſt quandoque etiam in forma hirci eis apparere. Vidit & Chriſtophorus quidam Abbas cùm ab adoratione ſanctæ Crucis in Hieruſalem exiret, duos Dæmones in forma coruorum, impedientes in cogitatione Monachum quendam ibi circà oſtium exiſtentem, ne ingrederetur vt adoraret ſanctam Crucem: quare ipſe Monachum prehendens, illum introduxit adoraturum, vt habetur in Prato ſpiritali. Dicit item idem Gregorius ſibi à pluribus fide dignis eſſe relatum, quibuſdam morituris non ſine pauore adſtantium, apparuiſſe, vel catos, vel canes, & alia huiuſmodi viſibilia ſpectra, quæ certè nonniſi Dæmones putabantur, cùm admiſſa extrinſecùs non fuiſſent, & poſteà euaneſcerent. Etenim & hoc poſſunt Dæmones, vt ſe in feras & alias figuras transformant, & quod plus eſt & mirabile, faciunt vt ſtriges & malefici videantur in forma catorum, canum, &c. & in ea figura ſugant infantium recenter natorum ſanguinem, vt exempla plura refert Bartholomæus de Spina, Magiſter Palatij Apoſtolici, lib. de Strigibus. Eſt tamen aduertendum transformationes hominum in catos, aut etiam lupos, non eſſe veras & reales, hæc enim ad ſolum Deum creatorem ſpectant, ſed phantaſticas & per illuſionem & apparentiam, vt facilè colligere eſt ex doctrina S. Aug. & hæc veritas expreſſè definitur in Cap. *Epiſcopi*, vbi declaratur infidelis, & Paganis deterior qui aliter ſentit.

Loco citato.

Dæmones in alijs formis quàm humanis plures apparuerunt.

Prat. ſpir. Cap. 115.

De Spina lib. de Strigib. c 19.

Lib. 18. de Ciuit Dei. cap. 17. & 18.

Et hinc veriſſimum conſtat eſſe illud quod ait S. Thomas, ex S. Auguſtino, quòd malum Dæmonis ſerpit per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat ſe coloribus, adhæret ſonis, odoribus ſe ſubijcit, infundit ſe ſaporibus. Hoc ſignificare poteſt illud ſpectrum Empuſæ, de quo Suidas ait eſſe ſpectrum Dæmoniacum, quod ab Hecate immittebatur, & ex obſcuris locis, calamitoſis hominibus in varijs formis, vt quondam Protheus, apparebat, aliquando in forma bouis, aliquando muli, quandoque canis, & plerum-

S. Thom. 22. q. 91.

S. Aug lib. 83. qq.

Suidas in voc.

Empuſa quid.

que mulieris pulcherrimæ: vel Empuſa dicebatur quod vno pede incederet, vt ait Euſtathius, vel quod alterum pedem aſininum vel æreum haberet; alio nomine dicebatur Onocles, vel Onocle ob crus aſininum, vel vt alij malunt, quod formas mutaret vt dictum eſt; meminit iſtius Empuſæ Ariſtophanes in nebulis.

Euſtathius.

Ariſtophanes.

In formis etiam rerum inſenſibilium, vini, epularum, &c. quandoque apparuerunt Dęmones, vt conſtat de ſpiritibus illis familiaribus quos aliqui Telchines vocant, & Folletos, ſeu ludicros, qui ſe obijciunt viatoribus circà flumina & in ædibus, non ſolùm in forma equi vel aſini, verùmetiam in forma lapidum, vel auri, vt S. Antonio vnus apparuit in deſerto in forma maſſæ auri. Nil prohibet etiam quominùs loquentia Ethnicorum idola lignea vel alterius materiæ, Dæmonum actioni & fraudi adſcribamus, per quæ Dęmones miſeros homines decipientes reſponſa dabant, docent enim Theologi illos, cùm ſint ſpiritus & incorporei, poſſe corpora ſolidiſſima penetrare, & per ſtatuas loqui.

In Dialogis S. Gregorij Papæ narratur, in forma lactucæ vel cum lactuca, Dæmonem moniali cuidam apparuiſſe, quam cùm illa nullo ſigno Crucis prælibato edisſet, ab ipſo Dæmone obſeſſa eſt, vt ipſe poſteà faſſus eſt. Scribit & Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus, in libris rationalis diuinorum officiorum ſe vidiſſe in ciuitate Bolonienſi puellam à duobus ſpiritibus immundis obſeſſam, & triennio vexatam, & exorciſmis adiuratos & interrogatos, qualiter corpus mulieris ingreſſi fuiſſent, reſpondiſſe quòd ſedebant in quodam malo granato, quod ipſa puella comederat; virtute dehinc diuina corpore pulſos, tandem ingreſſos fuiſſe corpora aliquorum, ſub forma muſcarum nigrarum.

S. Greg. in Dialog. c. 4.

Durand lib. 9. rationalis diu offic cap. 36. num. 8.

Quòd etiam apparuerint quandoque Dæmones in forma auri, argenti, gemmarum, vini, epularum, &c. conſtat ex famoſa illa narratione, apud Philoſtratum, de illa Lamia, de qua ſuprà pauca dicta ſunt, quæ Menippo iuueni perpulchra effigie, apparens, ei nubere ſe velle ſimulabat, ac plurimas opes & pretioſa ornamenta, magnamque vini & epularum copiam oſtentabat: at Apollonius miſeratus iuuenem, omnes eas res docuit eſſe inania ſimulachra, & imagines duntaxat earum rerum quas repræſentabant. Quo dicto totus ille apparatus ex omnium oculis euanuit, & vetula illa ſe eſſe Lamiam confeſſa eſt.

Lib. 4. de vita Apoll. cap 5.

In ſumma Dæmones multoties ſub horribilibus formis & ſpectris, ſiue animalium & rerum ſenſibilium, ſiue etiam inſenſibilium, ad homines decipiendos apparuerunt, vt Draconum, Serpentum, Aſpidum, Scorpionum, Taurorum, Leopardorum, Leonum, & aliarum

rum formarum, vt conſtat de apparitionibus factis S. Antonio, S. Hilarioni alijſque Anachoretis, vt illos formidine oppreſſos, à Sancto ac ſublimi vitæ inſtituto reuocarent. De his cap. ſequenti fuſiùs, in quo de Dæmone multis belluis comparato, dicetur.

Alia etiam diuerſa ſpectra, in aëre & in terra concitant & efformant Dęmones, tanquam miti & peritiſſimi artifices ac celeres, ex materia commoda rerum naturalium quam ipſi norûnt, vel vt decipiant, vel vt authores & creatores rerum earum videantur, & miraculorum opifices; vel vt terreant homines, pios & bonos à pietate auocent; cùm tamen nihil ſit in his, pręter celeritatem admirandam. Confingunt itaque in cœlo ex nubibus animantia, radijs ſolis mediantibus, exercitus, venatores, &c. Edunt ex aëris repercuſſione, & inſtrumentis adfabrefactis, voces, fletus, & id genus alia terricu-lamenta.

Cùm autem in huiuſmodi viſionibus & apparitionibus, multi ſępè decipiantur, probandę ſunt iuxta Sacras Scripturas, doctrinam Sanctorum, & experientiam hominum diſcretorum; & ſtatim vt inſolita & ignota viſio apparet; muniendum eſt cor ſigno ſanctiſſimę Crucis, & mens erigenda in Deum, cum inuocatione ſalutaris nominis Ieſu, quod Dęmonibus terribile, fidelibus autem fortiſſimum eſt ſcutum, contra aëreas poteſtates: eſt etiam precibus ad Beatam Virginem recurrendum, & ad Sanctos cum Chriſto regnantes, nec-non etiam ad Sanctos Angelos, pręcipuè Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, atque Angelum Cuſtodem, hi enim à Deo Dæmones compeſcendi poteſtatem habent.

CAPVT X.

Multa belluarum nomina Dæmoni attribuuntur, & cur.

QVEMADMODVM Angeli boni, ob ſuam in Deum gratitudinem, obedientiam & ſingularem charitatem, atque in homines etiam amorem, beneficentiam, & eorum conſeruationem ac protectionem, multis donantur nominibus, ad egregios illos effectus indicandos, dicuntur enim filij, oculi ac pedes Dei, montes, colles, ignis, cœlum, nubes, ſtellę, aues, virtutes, pacifici, Principes, Saluatores, & adiutores Dei, inquantùm à Deo deſtinantur in noſtrum

ſubſidium, & iuuamen, vt in Tract. de Angelis cap. 10. latè oſtendimus: Sic tanta eſt Dæmonis rabies, tanta nocendi auiditas & crudelitas, qua in miſeros homines deſæuit, tanta eius cura ac ferale & execrabile ingenium, in eorum perditione exquirenda, vt nullum ſit monſtrum, nulla fera peſſima, nullum animal nociuum aut violentum, cui non paſſim Spiritus ille nequam, in Scriptura Sacra, & apud Sanctos Patres, immò etiam apud prophanos authores comparetur, & eius nomine donetur; vel quia in multorum animalium forma apparuit, ſecundùm quod varias ad nocendum artes, formaſque inducit, vel quia harum belluarum fraudes, inſidias crudelitates, aliaſque ferales proprietates retinet, & continuò malum & interitum hominum machinatur, nihilque intentatum relinquit, quo ſuam expleat improbitatem & malitiam. Ordine autem hęc ferarum & animalium nociuorum præſenti capite ei attribuemus nomina. Primò volatilium, ſecundò animantium terreſtrium, tertiò reptilium, quartò aquatilium, tùm capite ſequenti de quibuſdam alijs communioribus nominibus, illi quoque conuenientibus dicemus.

Quorundam animalium nomina Dæmoni attribui latè oſtenditur.

SECTIO I.

Dæmoni auium quarundam accommodantur nomina.

EST hęc præſens ſectio à nomine communi volatilium inchoanda, quod eſt auis ſeu volucris Hebraïcè *Reſeph*, quia ad modum auis (ait S. Iſidorus) per ſuperbiam ad aſtra ſuſtollitur, & quia vt alij dicunt, ſicut auis in aëre caliginoſo moratur, & Princeps tenebrarum ab Apoſtolo vocatur, & ei permiſſum eſt in aëre habitare, vſque ad finem mundi; poſteà enim cum damnatis ęternos ignes habitabit. Dicitur etiam auis ſiue volucris à Tertulliano, quia eſt valdè expeditus & agilis, vt poſſit multis in locis breuiſſimo tempore volitare, & quid in illis fit, nuntiare. Et Richardus in hæc verba Apocalypſis; *Cecidit Babylon & facta eſt habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ*; hæc habet, *Dæmones & Spiritus ſunt, & volucres; Spiritus, propter naturæ ſubtilitatem, volucres, propter motionis velocitatem.* Hęc omnia à Christo Domino confirmantur, apud S. Lucam, dùm enim ait ſatorem ſecus viam conieciſſe ſemen ſuum, ſubdit: *Et volucres cœli comederunt illud.* Volucres appellat (ait Coſterus) propter ſubtilitatem ſuam, ſicut enim leuiſſimæ auiculæ, in minutis etiã quieſcunt

Lib. 3. ſent. cap. 5. Dæmon aui comparatur, & cur.

Tertul. in Apolog. cap. 22.

Lib 6. in Apoc. cap 1. Apoc. 18.

Luc 8.

Coſt. Dominica ſexag.

ramuſculis, & per feneſtras in domos inuolant; ita & Diaboli quôlibet percurrunt; ſunt apud nos imò in nobis, videntes quid in corpore lateat, inſinuant ſe etiam in phantaſiam, & turpes excitant imaginationes; ſicut auiculæ quâcumque volant, ſordes ſuas eijciunt.

Denique auis eſt Dæmon, quia continuò laborat vt Dei verbum auferat, ſicut ſemper quærunt volucres grana quæ tollant; atque ideò magnâ nobis cautelâ opus eſt, vt caueamus, ne omni bono nos priuet ſemine, ac malo noxioque impleat.

Hæ igitur rationes ſunt, cur Dæmon ſit meritò auis ſeu volucris nuncupandus. Ad nomina igitur particularium auium quæ Dæmoni appropriantur, deueniamus.

Primò, vocatur Aquila, quia ſemper ad inſtar Aquilæ, roſtro & vnguibus paratus eſt peccatores lacerare ac dilaniare, vt in Prouerbijs habetur: *Comedent eum filij Aquilæ.* — Dæmon vocatur Aquila. *Prou. 30.*

Secundò, dicitur Accipiter; ſicut enim dùm aues aliæ ſecurè peruolant, nec ſuſpicantur inſidias, Accipiter inopinato in eas fertur impetu, & vngue deprehenſas prædam deſtinat fami, & eò magis eas vngue premit, quò magis ſe ſe liberare nituntur; ita Diabolus voluptuoſos homines tanquam aues comprehenſos conſtringit, & eò magis premit, quo ſe ſe ab eo eripere conantur. Et hoc modo Lyranus exponit de Dæmone verba illa, quæ apud Iobum habentur: *Stringet ſuper eum manus ſuas. Loquitur* (inquit) *de Diabolo, ad modum Accipitris, qui tenens auiculam captam, & ſentiens quod velit euadere, magis ſtringit eam vnguibus ſuis.* — Dæmon dicitur Accipiter, & cur. *Lyranus Iob. 27.*

Tertiò, dicitur Miluus; quemadmodum enim auis illa eſt rapaciſſima, vt aiunt Ariſtoteles, Clemens Alexandrinus, & alij, & præcipuè gallinarum pullis, quotieſcumque à materna alarum protectione aberrant, inſidiatur, eſtque carniuora, & inter animalia immunda computatur; ità Dæmon verè inter alias creaturas, ob eius ſuperbiam & malitiam immundus, hominibus incautis tanquam pullis inſidiatur, vt eos deuoret, hoc eſt, in diuerſa facinora labi miſerrimè faciat, ſi contingat eos ab alis Dei, hoc eſt ab eius protectione, qui eos maiori affectu proſequitur, quàm quælibet gallina pullos ſuos, per peccata aberrare. Et eſt quod valdè pertimeſcebat Pſaltes Regius, dùm dicebat: *Sub vmbra alarum tuarum protege me*, & alibi: *Sub vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas*; & rurſum, *Protegar in velamento alarum tuarum.* Et non mirum ſi ob talem protectionem, Chriſtus ipſe ſe ſe gallinæ comparabat, dum apud Sanctum Matthæum Iudæos alloqueretur: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Quibus verbis tacitè indicabat illos, ob defectum — *Ariſt. lib. hiſtor. animal. Clem. Alex.* Dæmon dicitur Miluus, & cur. *Pſalm. 16. Pſalm. 56. Pſalm. 60. Matth. 23.*

protectionis eius, maxima cum difficultate, Milui hoc eſt Dęmonis rapaces ſeu vncas manus, euadere poſſe.

Dæmon Merula nuncupatur. *Lib. 2. Dialog. cap. 2.* Dici item poteſt Merula, quæ eſt parua auis nigra; quia aliquando in tali forma apparuit Sancto Benedicto, vt in eius vita refert Sanctus Gregorius & circa eius faciem volitare cœpit, eiuſque vultui importunè inſiſtere; ſed ſigno Crucis receſſit, & illicò malignus ſpiritus ante eius mentis oculos, quandam fœminam quàm aliquando viderat, reduxit, & vehementer de peccato carnis illum tentauit, quam tamen vicit & extinxit tentationem, dùm indumento exutus, inter ſpinas & vrticas ſe volutauit.

Dæmon dicitur Perdix. *Homil. 3. de Epiphan. Ierem. 7.* Comparatur etiam Dęmon Perdici, & de illo Euſebius explicat illa verba Hieremiæ: *Perdix fouit quæ non peperit, congregabit diuitias, ſed non in iudicio:* ait ergo Sanctus ille Pater, per hanc Perdicem Diabolum intelligi debere: *Hæc enim auis* (inquit) ſi feræ alicuius incurſu, priuata fuerit ouis proprijs, inſidiatur alienis, & nidi habitatore depulſo, partus inuadit extraneos; itaque maximam auiditatem habet ſuffurandi aliena oua, quæ diuitias ſuas appellat: in quo Dæmonis aſtutia & animarum fames oſtenditur, ineſt enim ei quædam quaſi naturalis cupiditas ſuffurandi animas, & eas ſuas appellat diuitias, cùm tamen propriæ ſint Dei creaturæ, vnde & terram ſcrutatur ad eas inueſtigandas & decipiendas. Quòd ſi de auidiſſimo mercatore poëta Horatius cecinit.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa per ignes.

Iob 1. Sic ille impius animarum mercator, de ſeipſo profert in lib. Iob: *Circuiui terram & perambulaui eam:* vnde Interpres Chaldaicus ſic tranſtulit; *Scrutatus ſum in terra & ambulaui per eam.* Scrutinium quid. Scrutinium eſt frequenter rerum pretioſiſſimarum, quod non ſine magna diligentia & curioſitate fit, ſed quid pretioſiùs & digniùs animâ humanâ? Sathanas ergo circuit, ſcrutatur, & ſummâ diligentia eam inueſtigat, & ambit omni ex parte, maxima nocendi cupiditate exagitatus, viaſque omnes occupat, & intercludit, vt decipiat, fallat & rapiat, vt nulla reliqua ſit ſpes euadendi: Circuire quid in ſcriptura ſignificet. circuire enim ſiue circundare in ſcriptura, ferè ſæpè in malam partem ſumitur, ſignificat enim curam & ſollicitudinem maximam ad nocendum, vt conſtat ex *Pſal. 117.* Pſalmiſta: *Circundederunt me ſicut apes, &c.* & iterùm, *circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me.* *Pſal. 21.* Sed cui meliùs *1. Petri 5.* conuenire poteſt circuitus ad nocendum quàm Dæmoni? Ideò S. Petrus ait: *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, &c.* Vt poſteà fuſiùs dicemus. Quidam dicunt quòd dicitur Dæmon circuire, quia

eſt Spiritus ſubtilis, incorporeus, ſubitò totum orbem percurrere valens, quem non impedit grauitas carnis aut corporis, quia Spiritus eſt, nec vnico loco continetur, quippe qui ſecum defert pœnam quæ non ſinit eum quieſcere, ideoque omnia loca ambulat, quærens requiem & non inuenit, eſt omninò quietis impatiens. Videtur S. Cyprianus attendiſſe vim verbi Hebræi *Sut*, quod propriè eſt attentè diſcurrere, attentè circunſpicere, explorare, & perluſtrare; quaſi diceret, Dæmonem tanquam exploratorem omnia conſiderare, omnes noſtros luſtrare actus atque inclinationes, vt nos decipiat & ad malum alliciat. Figuli rota voluitur, vt vas formetur, Sathanas contrà circuit ſemper vertiturque, vt Dei figmentum conterat & perdat. Audiendus eſt S. Greg. Thaumaturgus, ſic enim ille monet; *Malignus Dæmon qui ab initio mundi vſque ad finem, nocendi ſemper eſt auidus, ingenti ore ſæculum hoc circuit, & immodicè contendit, ſi quà occaſione nactâ, figmentum Dei perdere poſſit;* Circuit ergò ad fraudes, ad inſidias, vertit ſe circà mortales vt eos decipiat, fallat, euertat. Rectè Origenes, *Circuit*, inquit, *omnem terram non carnalibus veſtigijs, ſed circuitionibus iniquitatis, non terrenis greſſibus, ſed ſpiritualibus ſeductionibus; terram circuis ô Diabole, ad deſolandum, ad exterminandum.* Sic ille. Leo Papa referente S. Bonauenturâ huiuſmodi diligentiam notauit dicens: *Diabolus omnium diſcutit conſuetudines, omnium ventilat curas, omnium ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, vbi quempiam viderit ſtudioſiùs occupari.*

S. Cypr.

Greg. Thaum.

Lib. 1. in Iob.

In Pharetra. cap 4.

Dici etiam poteſt Vultur, qui auibus & potiſſimùm columbis inſidiatur, hoc eſt animabus Sanctis, quæ inſtar columbæ felle carent, & eas inuadere nititur. Refert autem quidam inſignis author, Vultures columbis inprimis infeſtos, bifariam illas adoriri; nam qui generoſi ſunt & à parentum natura minimè deficiunt, ij in ſublime feruntur, inſequunturque columbam ſi quando à terra ſurſùm aſſurgat; ſunt & adulterini & à parentum nobilitate plurimùm degenerantes, qui non alta petunt, ſed columbam deorſum impellentes inſectantur, mox vt à terra paululùm inſurrexerit; harum omnium inſidiarum non ignara columba cùm à prioribus ſibi ſtrui inſidias videt, mox demittit ſe & pennis in terram verſis fertur; quòd ſi à poſterioribus parari ſibi inſidias conſpicit, quantum poteſt in ſublime contendit: ſic animæ Sanctæ inſtar columbæ faciendum, nam ne teterrimis inferni volucribus præda ſit, duabus alis volet, oportet; alterâ humilitatis, quâ ſe deprimat in terram contrà ſuperbiæ tumorem & arrogantiam, in mentem reuocans ſe ex terrâ conſtare; alterâ verò contemplationis, quâ feratur ſurſum, contra viliſſimos abiectiſſi-

Dæmon Vultur dici poteſt.

moſque carnis petulantis inſultus, & nobilitatis ſuæ non ignara, cogitet quòd ad cœleſtia creatam, indignum ſit terrenis rebus inhærere,ſic ergò Vulturibus tartareis reſiſtendum eſt.

Dæmon eſt Coruus. *Binsfeld. de Confeſſ. Maleſic. Prælud. 12.*

Tandem Coruus dici poteſt; refert enim Binsfeldius, eum quibuſdam Sanctis viris quandoque in Corui ſpecie occurriſſe, & nullus nigrior Coruus reperiri poteſt quàm Dæmon,qui niger eſt ob peccatum & malitiam. Vide Sectionem 4. capitis 9. De diuerſis apparitionibus Dæmonum in figuris animalium.

Dæmoni columbæ nomen conuenire non poteſt, & cur.

Aduerte porrò quòd ſi, vt dictum eſt, auium & præſertim carniuorarum nomina,Dæmoni ob earum proprietates conueniant, aut quia in earum forma quandoque apparuit, attamen Columbæ nomen nullâ ratione ei congruit, quia nunquam in huius auis ſpecie apparuit, & quoniam in tali forma Spiritus Sanctus viſus eſt;Columba enim eſt auis munda, candida & pulchra, quare in tali forma Spiritus Sancti operationes deſignantur; malus autem Spiritus cùm ſit deformis & ferox, nigrâ delectatur formâ. Sic Sanctus Macharius eum in ſpecie nigri Mauri, & alter Sanctus in figura Corui, quandoque viderunt.

SECTIO II.

Dæmoni animalium terræ nonnulla accommodantur nomina, & primò commune nomen beſtiæ.

NOMINA terreſtrium animalium ſiue quadrupedum Dæmoni quoque conueniunt, aut quia in aliquorum forma quandoque apparuit, vel ob illorum proprietates quæ ei competunt. Hâc autem præſenti Sectione illi nomen commune beſtiæ aptabimus.

Ipſi itaque maximè conuenit beſtiæ nomen, quod quidem etiamſi vniuerſaliter loquendo volatilibus, reptilibus, & piſcibus maximè voracibus conueniat, vt oſtendit Cicero, qui piſces dentibus feroces & aues vnguibus & roſtris ſæuientes beſtias appellat; præcipuè tamen beſtijs terræ illud quadrare in ſcriptura videmus, videlicet in Geneſi, vbi poſtquam dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* addit, *& præſit piſcibus maris & volatilibus cæli, & beſtijs vniuerſæ terræ,* vbi apertè oſtendit illud beſtiæ nomen præcipuè animantibus terreſtribus conuenire. Hoc itaque nomen metaphoricè Dæmoni accõmdantur, vt conſtat ex ſcriptura,

Libro 5. Tuſc. qq.

Gen. 1.

vt in libris Iob: *Et beſtias terræ non formidabis*, vbi Gloſſa per be- *Iob. 5.*
ſtias terræ, Dæmones intelligit, quos iuſtus in hora mortis non reformidat, quia tunc non timet Dæmones ſæuientes, qui blandientes ſequutus non eſt. Eodem modo exponit Lyranus. Vnde Beatus Martinus, vt diximus Cap. 8. Sect. 5. in hora mortis cùm Dæmonem videret perterritus non fuit, ſed ei dixit: *Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies*: maximè autem beſtia dicitur, quia ſæuit in genus humanum, vt notant Richardus de Sancto Victore, & Sanctus Thomas ſuper illud Apocalypſis: *Vidi mulierem* *Apoc. 17.*
ſedentem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ: mulier illa erat hieroglyphicum iniquitatis & impietatis; ſub qua eadem effigie, vnus Angelus Zachariæ impietatem demonſtrauit, nam *Zach. 5.*
oſtendit illi mulierem quandam & dixit; *Hæc eſt impietas*: beſtia autem illa coccinea nominibus blaſphemiæ plena, ſuper quam illa mulier videlicet impietas ſedet, & à qua ducitur ac fertur, eſt Diabolus cuius coccineus ac veriùs ſanguineus color, crudelitatem huius tyranni exprimit, vel etiam eius feruentem ardentemque inuidiam, quâ ſuccenſus noſtram perditionem procurat: hæc etiam beſtia plena erat nominibus blaſphemiæ; quia Dæmon omnibus quibus potuit modis, ac rationibus quas potuit meditando excogitare, contra Deum blaſphemare nunquam ceſſauit, attribuendo ei quod non habet nec ei conuenire poteſt, ſuadendo Deum impium, inuidum, & mendacem, dum eſum ligni vitæ noſtris primis parentibus prohibuit, vt latiùs patet, vbi de illorum tentatione à Dæmone diximus; & auferendo ab eo quod habet, & ſibi arrogando cultum ei debitum, idolorum inducens religionem. Hæc beſtia mulierem portabat, quia Diabolus eſt qui iniquitatem adduxit, & intulit in mundum, iuxtà illud Sapientis: *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem* *Sap. 2.*
terrarum; quia introduxit peccatum; ille eam fert ac introducere conatur, eo modo quo equus equitem portat: qualiter autem illam ferat exprimit B. Ioannes: *Et erat*, inquit, *mulier circundata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis*: ecce quomodo Dæmon iniquitatem introducit non nudam, non apertam, non propriam referentem faciem, ſed fucatam, ornatam, circundatam purpurâ coccinoque, & inauratam auro. Nunquam Diabolus (inquit S. Gregor. Nyſſ.) iniquitatem nudam demonſtrat, neque prout in ſe eſt, exhibet, eſt enim illa in ſe tam turpis abominatione & odio digna quòd vnuſquiſque eam ſummâ celeritate auerſaretur & reijceret; ſed veſtit eam ornamentis illis quibus pulchram reddere contendit, ſicut fecit (inquit) cùm parentibus noſtris in Paradiſo, quibus inobedientiam & gulam nequaquam nu-

Dæmon iniquitatem nõ repræſentat nudam, ſed fucatam & ornatam.

Lib. 1. de offic. cap. 20.

dam exhibuit, ſed pretioſis ornauit monilibus, oſtendens ligni pulchritudinem, dulcedinem pomi, & vtiliſſimam perſuadens eius comeſtionem: ita crudelis illa beſtia, mulierem ducit aut inducit non nudam ſed ornatam, vndique circundatam ornamentis & monilibus, quibus intuentium oculis grata eſſe poſſit: non enim repræſentat auaritiam, verbi gratiâ nudam prout illa in ſe eſt, quis enim non auerſaretur eam, veriùs quàm cuiuſuis colubri venenatam faciem? ſed veſtitam inducit, repræſentans pecuniarum ingentem vim & potentiam, & quantam in mundo habeant æſtimationem: non ſuperbiam proponit apertam, crudelior enim quocumque crudeliſſimo tyranno facies eius deprehenderetur, ſed indutam, oſtendens eius gloriam, quâ ſplendent qui loca tenent ſuprema, quibus alij capita ſubmittunt & reuerentiam exhibent: non repræſentat luxuriam vt in ſe eſt, nam fœdior ſue iacente in volutabro luti ague ſceretur, ſed ſub placida delectatione carnis & ſatietate appetitus ita de alijs iudicandum.

SECTIO III.

Leonis & Pardi nomina, Dæmoni conueniunt.

NVNC ad ſpecialia beſtiarum & animalium terreſtrium nomina deſcendimus, & primum quod nobis occurrit eſt Leo, quod quidem nomen Dæmoni tribuitur à S. Petro, *Fratres ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Quòd ſi etiam Chriſto Leonis nomen conueniat, (dicitur enim *Leo de Tribu Iuda* in Apocalypſi.) S. Auguſtinus oſtendit vtrumque dici Leonem, ob contrarias Leonis proprietates, *Nam Chriſtus*, inquit, *vocatur Leo propter fortitudinem, Diabolus ob ferocitatem; ille Leo ad vincendum, iſte Leo ad nocendum.*

> 1. Petri 5.
>
> Leonis nomen Chriſto & Dæmoni, diuerſimodè competit.
>
> *Apoc* 5.
>
> *Aug. ſerm.* 46. *de diuerſis c.* 2

Primo ergò Diabolus Leo vocatur ob feritatem, crudelitatem, & ſæuitiam, ſicut enim Leo habet os ingens & vaſtum (vt ait Ariſtoteles) dentes robuſtos, aduncos, & validos vngues, atque vt ait Epiphanius [b] eſt animal rapaciſſimum & voraciſſimum, vt conſtat apud Danielem, de his qui à Leonibus in momento fuerunt deuorati, qui falſò Danielem accuſauerant: ita Diabolus eſt rapaciſſimus & voraciſſimus, nam rapiendis & vorandis animabus ſemper inuigilat: Et quemadmodum Leo eſt ſpecie animal fuluum, robore ſoliſſimum,

> Dæmon vocatur Leo ob multas Leonis proprietates quæ ei conueniunt.
>
> a *In Phyſiolog. cap.* 8.
>
> b *Hereſi* 78.
>
> *Dan.* 6.

ſtro hiſtoriæ Deiparæ, & alij. Conſtat etiam S. Lyduuinam Virginem ex eius vitæ actis apud Surium, [a] fuiſſe ab Angelis ſæpiùs aſportatam; vel ad Sanctas contuendas Deiparæ Mariæ effigies peregrinationibus fidelium celebratas, vel non raro ad loca iucundiſſimæ amœnitatis Elyſijs cognata.

a Cap. 8. 14. Aprilis.

De eximio quoque Patriarcha Benedicto Petrus Damianus in eius vita hæc habet, *cùm per ignota loca ſolus viator incederet, vbicumque biuium occurrebat, duo protinùs iuuenes videbantur aſſiſtere, qui ſibi quò progreſſus dirigere debebat indicarent, qui nimirùm iuuenes qui alij ſunt credendi quàm Angelici ſpiritus, ad ſancti viri cuſtodiam deputati?* Similia refert Thomas Cantiprat. & alij. Et ità ad mentem Pſaltis Regij dicere poſſumus, *Angelis ſuis mandauit de illis*, vt eos non ſolùm cuſtodirent in omnibus vijs ſuis, verùm etiam ducerent, & vbi opus fuit, aſportarent. O ſingularis in nos Dei amor & beneficentia, quòd cuique noſtrum, Principem vnum ex aula ſua nobiliſſimum, in cuſtodiam conceſſerit, qui non ſolùm cuſtodis, verùm etiam ducis, conſolatoris, & amici integerrimi, munere fungeretur, innumeriſque beneficijs nos cumularet, quamuis ſæpe ſæpius nos erga Deum & illum ingratos exhibeamus.

Serm. 8.

Lib. 2. Apum cap. 54.

SECTIO IV.

Recenſentur viæ, in quibus ex citata Sectione precedente Dauidis ſententiâ, cuſtodiunt nos Angeli.

QVONIAM ex ſupra allata Pſaltis Regij ſententia, in vijs noſtris cuſtodiunt nos Angeli, nunc videndum quænam viæ illæ ſint. Illæ ergo vt docent Sancti Patres, ſunt primò diuina mandata: vnde idem Pſalmiſta dicit, *Viam mandatorum tuorum cucurri*, &c. Via, eſt tota lex de qua iterùm in eodem Pſalmo dicitur, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Præterea viæ noſtræ ſunt viæ iuſtitiæ & veritatis, de quibus habet Salomon, *Via eius via pulchra, & ſemita eius Pacifica*. Et quandoque viæ ſunt iniuſtitiæ & actiones malæ, de quibus in Geneſi, *Omnis caro corruperat viam ſuam*. De ijs etiam dicit idem Pſaltes, *Via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos*. Vtráque viâ quandoque incedunt homines; ſunt qui ambulant vias virtutum & iuſtitiæ, neque deſunt qui inambulāt in vijs vitiorū & iniuſtitię; vtriſque vtiles ſunt Angeli,

Quęnam ſint viæ, in quibus ex Dauidis de nos cuſtodiunt Angeli. Pſal. 118.

Prou. 3.

Geneſ. 6.

Pſalm. 34.

Numer. 22. & quæ vtilia ſunt conſulunt, & quoad poſſunt vitia impediunt. Hinc videmus in lib. Numerorum, cùm Propheta Balaam ad maledicendum Dei populum pergeret, apparuiſſe Angelum gladio euaginato, ne vlteriùs progrederetur, nec quod inſtituerat executioni demandaret. *Act.* 10. Nonne deindè Cornelium illuminauit, ac monuit vt domum Simonis Coriarij in qua morabatur S. Petrus, adiret, à quò *Act.* 8. inſtruendus erat? Ita Angelus illuminauit Philippum, & vt ad Eunuchum Ethiopiæ pergeret, monuit, illumque docuit, ac in ijs quæ ei expediebant inſtruxit. Et ſic nobis innoteſcit, quomodo Angeli præſtò ſint bonis, timoratis, & iuſtis, & qui per viam iuſtitiæ incedunt; atque etiam iniuſtis qui in vijs vitiorum ambulant; & omnium vt poſſunt ſalutem operantur. Prętereà viæ hominum aut bonæ, aut malæ ſunt; bonæ ſunt illæ quæ in cælum eos ducunt, & malæ quæ in infernum. Bonæ igitur ſunt Dei mandata, bona opera, Virtutes, &c. malæ ſunt deſideria, cupiditates, & prauæ affectiones rerum mundanarum, ſunt peccata, inſolentiæ, luſus indebiti, & ſimilia. Boni igitur Angeli nos per virtutum vias ducunt, vt ad cælum quandoque cum eis conuolemus, & à vijs inferorum nos auertunt ſuâ benignitate quantum poſſunt, & ne per illas ambulemus impediunt. Sed heu ab illa cæli via ſępè ſępiùs aberramus, & vitijs noſtris viam ſequimur oppoſitam, & propterea boni noſtri Angeli cuſtodis opem, in tali diſcrimine conſtituti implorare debemus, vt veram ac rectam quâ in cælum gradiri valeamus viam, nobis patefacere dignetur: aiebat quandoque Plautus: *Viam qui neſcit quâ perueniat ad mare, eum oportet amnem quærere ſibi*, quaſi diceret, hoc modo nunquã errare poterit, omnia quippè flumina ſicut à mari exeunt, vt ait Sapiens, ita in mare reuertuntur; ſi igitur à via per quam incedere debemus, vt ad infinitum gloriæ pelagus Deum Opt. Max. perueniamus, aberrare nobis contingat, oportet nos amnem quærere, bonum videlicet Angelum, cuſtodem noſtrum, qui vt verum flumen ab illo profundiſſimo mari per creationem manat, & ad illud per glorificationem redit; & dubio procul ad illud mare, eius ductu tandem appellemus. Quòd autem fluuij vocentur Angeli ſuprà diximus, vbi de nominibus communiori ratione Angelis conuenientibus, diſſeruimus, Cap. XI. Sect. 2.

Viæ hominum bonæ & malæ, & quæ.

Eccleſ. 1.

Deinde viæ noſtræ in quibus nos cuſtodiunt, aliquando ſunt à dextris proſperitatis, & aliquando à ſiniſtris aduerſitatis. Angeli ergo in his vijs nos cuſtodiunt, dum videlicet proſperè & ex voto, res nobis ſuccedunt, & etiam in rebus aduerſis, & Dęmonum aliorumque aduerſariorum incurſibus, maximâ curâ ac ſollicitudine nobis adſunt; in quo eorum beneuolentia, & ſingularis amor oſtenditur,

Viæ noſtræ quandoque proſperæ ſunt, & quandoque aduerſæ, & quomodo.

non enim ipſorum conditio, eſt quemadmodum hominum, qui amici ſunt in proſperitate, in rebus autem aduerſis terga vertunt, & nullâ ratione de eorum amicitia eſt confidendum: pręcipitur ergo eis vt hominem in vijs ſuis cuſtodiant, quia via huiuſmodi, periculis & aduerſarijs plena eſt. Et ſicut cùm aliquis nobilis dùm per aliquod iter eſt tranſiturus, vbi prędonum aut hoſtium pericula timentur, litteræ Regiæ ei dantur, in quibus vicinioribus ciuitatibus pręcipitur, vt milites ei conferantur ad iter ſuum ſecuriùs peragendum; non ſecùs factum eſt cum homine, videns enim Rex Regum & Dominus Dominantium, quanta in huius miſerrimæ vitæ progreſſu, homini imminerent pericula, & quot inſidiæ paſſim Dęmonum ei pararentur, noluit vt ſolus incederet, ſed militibus, ſcilicet Angelis comitatus, vt ſic, omnes Diaboli technas & inſidias, cunctaque aduerſa euadere poſſet.

SECTIO V.

Viæ item noſtræ, orationes ſunt à nobis ad Deum fuſæ, quas eidem offerunt Angeli, & præcipuè ſacrificium Miſſæ.

VIÆ pręterea noſtræ ſunt orationes & preces, quas ad Deum fundimus, & has (inquit Origenes) adſtantes obſeruant, & ſi eas attentas & pias cognoſcunt, ſtatim cum inſigni deuotione & reuerentia, ad Deum deferunt & offerunt exaudiendas, & donis cæleſtibus cumulandas. *Hom. 9 in Leuit.* Incredibile enim eſt quantâ alacritate orantibus adſtant, & delectantur his, quos vident leuare puras manus in oratione, & ideò holocauſtum ſanctæ deuotionis gaudent ſe offerre Deo, in odorem ſuauitatis, vt docet S. Bernardus.[a] Et eſt quod clariſſimè ait Maſſutius de cęleſti conuerſatione,[b] pro ſua ardentiſſima charitate ergà nos in Deum relata, noſtras ipſi orationes etiamſi propter noſtram inſcitiam aut inſipientiam, magis quàm propter culpam, malè conſtructas, nequaquam ſpernunt, ſicut malè articulatæ balbutientium puerorum voces, maioribus fratribus non ſolent eſſe iniucundæ; & illas ſuis proprijs orationibus intermixtas, quaſi pretioſioribus, & magis ſuauè olentibus odoribus inſignitas, ad conſpectum diuinæ maieſtatis deferunt, & illi offerunt ac præ-

a *Hom. 3. ſuper Miſſus eſt.*
b *Lib. 8. cap. 4*

Angeli noſtras præces ſuis intermixtas, Deo offerunt.

ſentant. Non modicum profectò beneficium eſt nobis ab Angelis exhibitum; cùm enim orationes noſtræ ſunt eorum precibus intermixtæ, maiorem vim & auctoritatem apud Deum acquirunt; non quòd egeat Deus hoc Angelorum miniſterio, ſiue ad audiendas, ſiue ad videndas, ſiue ad cognoſceudas preces noſtras, ſed quià Angeli adiungentes ijſdem noſtris precibus ſuas commendationes, illas reddunt magis efficaces, votaque ipſi Deo magis accepta, ipſi enim quaſi aduocati à Deo petunt, vt orationes quas ad ipſum fundimus audiat, & opera bona ſuâ benignitate foueat, & opera mala quæ conſtanter etiam dæmon accuſat, pro ſua quoque miſericordia Deus indulgeat: hinc orationes & lachrymæ S. Viri Tobiæ per manus Angeli Raphaëlis narrantur oblatæ

Tob. 12.

Deo, vt eſt apud ipſum Tobiam his verbis, *Quando orabas cum lachrymis, & mortuos ſepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino:* & non mirum ſi gratas habebat Raphaël orationes Tobiæ, cùm oraret cum lachrymis, & magna deuotione atque attentione, ſi enim triſtitiæ capaces eſſent Angeli Sancti, maximè triſtarentur videntes nos à Deo mente alienos, & abſque vllo deuotionis & attentionis feruore deprecari, ſicut hilares & iucundos ſe ſe exhibent, quando orationum attentam obſeruant executionem. Diligentes ſunt & ſtudioſi in hoc attentionis & obſeruationis munere, circà verba, modum, geſtus, & compoſitionem, vt pronunciare non dubitauerit S.

Pſal. 28.

Baſilius, dùm ea Pſalmiſtæ Regij verba expenderet, *& in templo eius omnes dicent gloriam*, aſſiſtere Angelos verba deſcribentes. Et

Serm. 3.

vt ait S. Auguſtinus de natali Domini, *vota noſtra & opera bona Deo offerentes, videlicet Eleemoſynas, ieiunia, & alia denique, vt conſtat de Raphaële, qui non ſolùm orationes Tobiæ Deo offerebat, verùm etiam & eius eleemoſynas, & alia bona opera quæ exercebat circà mortuos quos*

Act. 10.

ſepeliebat; vnde in Actis habetur; *Orationes & Eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriã in conſpectu Dei*, quaſi diceret illas Deo obtuli: cùm autem preces offerunt & deſideria nuntiant, rationes etiam Deo allegant, vt nos exaudiat, & ſuas preces noſtris coniungunt, & quò ferentiores ſunt, & ardentiora ac puriora deſideria, eò libentius illa

Cap. 33.

Deo annuntiant & offerunt, idque maximâ præſtant eloquentiâ, vt colligimus ex eo quod habetur apud Iobum, *Si fuerit*, inquit, *pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, annuntians hominis æquitatem.* Pagninus & Regia vertunt *eloquens*, nam ſicut ſolent Oratores benè compoſitâ præmeditatâque oratione vti, vt eos quos alloquuntur ad id quod intendunt, inducant, ita Angeli dum noſtras preces Deo offerunt, nulli dubium eſt, quin id maximâ eloquentiâ præſtent, vt illas Deus exaudire dignetur. Hinc dici poſſunt interlo-

cutores, quaſi inter Deum & homines ſe interponentes, de ipſorum hominum cauſa acturi, & de eorum rebus apud Deum componendis, quod præcipuum munus eſſe ſolet Oratoris atque Legati, cuiuſmodi ſunt ipſi Angeli inter Deum & nos, dum ad illum perferunt noſtras orationes, vel bona opera noſtra ei repræſentant; tunc enim ſolent res ipſas noſtras in meliorem partem interpretari, vt nos cum Deo reconcilient, quamuis tamen, vt dictum eſt, eâ Angelorum intercesſione aut elocutione non indigeat Deus, neque ad faciendum neq; ad cognoſcendum; at indigemus nos, quibus diuina prouidẽtia idoneũ attribuit patrocinium SS. illorũ ſpirituum. Cùm autem addit Iob *Vnus de millibus*, ſignificat quempiam ex vniuerſis ordinibus & Hierarchijs idoneum eſſe ex officio ad proximè res noſtras procurandas, vel ſignificat quemlibet Angelum ex infimo Angelorum ordine, ex quo ad nos mittuntur Angeli cuſtodes, & rerum noſtrarum diligentiſſimi procuratores. Et ad hoc propoſitum Sanctus Bernardus ſuper Cantica allegat illud: *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus*; *Credimus*, inquit, *ſanctos Angelos aſtare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum denique.* Ad quod etiam facit viſio Iacob, de qua in Geneſi legimus: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, &c.* Quem locum explicans Origenes ait: *Angelos dicimus aſcendere, vt hominum vota preceſque, ad ea loca perferant quæ cæleſtia ſunt:* Et illud idem eſt quod piè proſequitur S. Auguſt. in Soliloquijs: *Adſunt*, inquit, *nobis ſolliciti, diſcurrentes inter nos, & te Domine gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem.*

Angeli dici poſſunt interlocutores, & cur.

Serm 7. in Cant.
Pſal. 67.
Gen. 28.
Lib. 5. contra Celſum.
S. Auguſt.

Ad maiorem autem probationem huius oblationis noſtrarum precum & bonorum operum ipſi Deo, hæc notanda ſunt Sancti Ioannis in ſua Apocalypſi verba, vbi ſatis apertè conſtat, Angelos ad Deum perferre piorum orationes & vota: *Et aſcendit* (inquit S. Ioannes) *fumus incenſorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Doctor Angelicus, his ſignificari docet quantam vim preces & bona opera accipiant, dum ab Angelis Deo offeruntur; ſicut enim incenſa & aromata niſi prunis imponantur parùm olent, igni verò impoſita longè latèque redolent; non aliter orationes noſtræ & opera, quæ per ſe fortè parùm valerent, dum tamen (vt dictum eſt) Angelorum precibus ſunt intermixtæ, & illis commendationes ſuas adiungunt, & ſic ab illis Deo offeruntur, multum valorem ex offerentibus accipiunt. Subijcienda ſunt S. Thomæ verba: *Eorum precibus & meritis*, inquit, *orationes noſtræ ſortiuntur*

Apoc. 8.
2. 2. q. 83 art. 1.

Angeli noſtras præces ſuis intermixtas, Deo offerunt.

ſentant. Non modicum profectò beneficium eſt nobis ab Angelis exhibitum; cùm enim orationes noſtræ ſunt eorum precibus intermixtæ, maiorem vim & auctoritatem apud Deum acquirunt; non quòd egeat Deus hoc Angelorum miniſterio, ſiue ad audiendas, ſiue ad videndas, ſiue ad cognoſcendas preces noſtras, ſed quià Angeli adiungentes ijſdem noſtris precibus ſuas commendationes, illas reddunt magis efficaces, votaque ipſi Deo magis accepta, ipſi enim quaſi aduocati à Deo petunt, vt orationes quas ad ipſum fundimus audiat, & opera bona ſuâ benignitate foueat, & opera mala quæ conſtanter etiam dæmon accuſat, pro ſua quoque miſericordia Deus indulgeat: hinc orationes & lachrymæ S. Viri Tobiæ per manus Angeli Raphaëlis narrantur oblatæ

Tob. 12.

Deo, vt eſt apud ipſum Tobiam his verbis, *Quando orabas cum lachrymis, & mortuos ſepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino:* & non mirum ſi gratas habebat Raphaël orationes Tobiæ, cùm oraret cum lachrymis, & magna deuotione atque attentione, ſi enim triſtitiæ capaces eſſent Angeli Sancti, maximè triſtarentur videntes nos à Deo mente alienos, & abſque vllo deuotionis & attentionis feruore deprecari, ſicut hilares & iucundos ſe ſe exhibent, quando orationum attentam obſeruant executionem. Diligentes ſunt & ſtudioſi in hoc attentionis & obſeruationis munere, circà verba, modum, geſtus, & compoſitionem, vt pronunciare non dubitauerit S.

Pſal. 28.

Baſilius, dùm ea Pſalmiſtæ Regij verba expenderet, *& in templo eius omnes dicent gloriam*, aſſiſtere Angelos verba deſcribentes. Et

Serm. 5.

vt ait S. Auguſtinus de natali Domini, *vota noſtra & opera bona Deo offerentes, videlicet Eleemoſynas, ieiunia, & alia denique, vt conſtat de Raphaële, qui non ſolùm orationes Tobiæ Deo offerebat, verùm etiam & eius eleemoſynas, & alia bona opera quæ exercebat circà mortuos quos*

Act. 10.

ſepeliebat; vnde in Actis habetur; *Orationes & Eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriã in conſpectu Dei*, quaſi diceret illas Deo obtuli: cùm autem preces offerunt & deſideria nuntiant, rationes etiam Deo allegant, vt nos exaudiat, & ſuas preces noſtris coniungunt, & quò feruentiores ſunt, & ardentiora ac puriora deſideria, eò libentius illa

Cap. 33.

Deo annuntiant & offerunt, idque maximâ præſtant eloquentiâ, vt colligimus ex eo quod habetur apud Iobum, *Si fuerit*, inquit, *pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, annuntians hominis æquitatem.* Pagninus & Regia vertunt *eloquens*, nam ſicut ſolent Oratores benè compoſitâ pręmeditatâque oratione vti, vt eos quos alloquuntur ad id quod intendunt, inducant, ita Angeli dum noſtras preces Deo offerunt, nulli dubium eſt, quin id maximâ eloquentiâ præſtent, vt illas Deus exaudire dignetur. Hinc dici poſſunt interlo-

cutores, quaſi inter Deum & homines ſe interponentes, de ipſorum hominum cauſa acturi, & de eorum rebus apud Deum componendis, quod præcipuum munus eſſe ſolet Oratoris atque Legati, cuiuſmodi ſunt ipſi Angeli inter Deum & nos, dum ad illum perferunt noſtras orationes, vel bona opera noſtra ei repræſentant; tunc enim ſolent res ipſas noſtras in meliorem partem interpretari, vt nos cum Deo reconcilient, quamuis tamen, vt dictum eſt, eâ Angelorum intercesſione aut elocutione non indigeat Deus, neque ad faciendum neq; ad cognoſcendum; at indigemus nos, quibus diuina prouidētia idoneū attribuit patrocinium SS. illorū ſpirituum. Angeli dici poſſunt interlocutores, & cur.

Cùm autem addit Iob *Vnum de millibus*, ſignificat quempiam ex vniuerſis ordinibus & Hierarchijs idoneum eſſe ex officio ad proximè res noſtras procurandas, vel ſignificat quemlibet Angelum ex infimo Angelorum ordine, ex quo ad nos mittuntur Angeli cuſtodes, & rerum noſtrarum diligentiſſimi procuratores. Et ad hoc propoſitum Sanctus Bernardus ſuper Cantica allegat illud: *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus*; *Credimus*, inquit, *ſanctos Angelos aſtare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum denique.* Ad quod etiam facit viſio Iacob, de qua in Geneſi legimus: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, &c.* Quem locum explicans Origenes ait: *Angelos dicimus aſcendere, vt hominum vota preceſque, ad ea loca perferant quæ cœleſtia ſunt:* Et illud idem eſt quod piè proſequitur S. Auguſt. in Soliloquijs: *Adſunt*, inquit, *nobis ſolliciti, diſcurrentes inter nos, & te Domine gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem.* Serm. 7. in Cant. Pſal. 67. Gen. 28. Lib. 5. contra Celſum. S. Auguſt.

Ad maiorem autem probationem huius oblationis noſtrarum precum & bonorum operum ipſi Deo, hæc notanda ſunt Sancti Ioannis in ſua Apocalypſi verba, vbi ſatis apertè conſtat, Angelos ad Deum perferre piorum orationes & vota: *Et aſcendit* (inquit S. Ioannes) *fumus incenſorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Doctor Angelicus, his ſignificari docet quantam vim preces & bona opera accipiant, dum ab Angelis Deo offeruntur; ſicut enim incenſa & aromata niſi prunis imponantur parùm olent, igni verò impoſita longè latèque redolent; non aliter orationes noſtræ & opera, quæ per ſe fortè parùm valerent, dum tamen (vt dictum eſt) Angelorum precibus ſunt intermixtæ, & illis commendationes ſuas adiungunt, & ſic ab illis Deo offeruntur, multum valorem ex offerentibus accipiunt. Subijcienda ſunt S. Thomæ verba: *Eorum precibus & meritis*, inquit, *orationes noſtræ ſortiuntur* Apoc. 8. 2. 2. q. 83 art. 5.

effectum, & noſtra opera bona à ſua diuina Maieſtate ſunt accepta. Sed ſi qualeſcumque orationes noſtras, cum attentione tamen, & animi feruore fuſas, atque etiam opera noſtra bona, Deo offerunt Angeli, ſuntque viæ in quibus nos cuſtodiunt, nulli mirum erit, ſi etiam auguſtiſſimum Corporis & Sanguinis Domini Sacrificium, quo nihil pretioſius, nihil Deo gratius offerri poteſt, in cælum feratur, Angelo interueniente, tanquam in vaſe auri ſolido, ornato omni lapide pretioſo, illis verbis à Sacerdote poſt Conſecrationem quotidiè prolatis: *Supplices te rogamus Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui, in ſublime Altare tuum, in conſpectu diuinæ Maieſtatis tuæ:* Atque ita planè contigiſſe cuidam ſui temporis Sacerdoti, refert B. Climacus, quòd vbi prædicta verba poſt Conſecrationem pronuntiaſſet, magna cæleſtium ſpirituum adſtiterit multitudo, inter quos vnus ſpecie illuſtrior & maieſtate ſublimior, viſus eſt ſacram hoſtiam accipere, & rurſùm diuino conſpectui præſentare, tum oblatam, omnibus ſummâ reuerentiâ congratulantibus, iterùm ſuper Altare ad Sacrificij conſummationem depoſuiſſe: Hinc ipſi Angeli hoc Euchariſtiæ ſacrificium adeò venerantur, vt ad illud propiùs accedere reformident; & ſæpè viri ſancti eos in terram pronos dum Miſſa celebraretur, conſpexerunt, vt Sanctus Chryſoſtomus [a], S. Gregorius Magnus [b], alijque teſtantur, potiſſimùm verò idem Chryſoſt. [c] *Vbi,* inquit, *eſt Chriſtus in Euchariſtia, ibi etiam non deeſt Angelorum frequentia: vbi autem eſt talis Rex & talis Princeps, ibi eſt cæleſte palatium, immò ipſum cælum.* Quocircà in vitis Patrum legimus de S. Ammon quòd eo celebrante, Angelus viſus ſit aſtare Altari, & communicantes ſignare, eorumque nomina in libro deſcribere. Et adhuc idem Chryſoſt. ferè idem docet: *Conſidera,* inquit, *menſam Regis appoſitam, Angelos Miſſæ miniſtrantes; ipſe Rex adeſt, & aſtas oſcitans;* & idem etiam de myſterijs Eccleſiæ non contemnendis, *Tum enim Angeli Domino procumbunt,* inquit, *& Archangeli nobiſcum canunt, habent enim tempus adiuuans, & oblationem ſibi auxiliantem, & tunc Dominum pro natura humana precantur, pro his,* inquiunt, *rogamus quos tu prior dilexiſti, vt animam tuam dares, pro quibus ipſe ſanguinem profudiſti, pro quibus corpus hoſtiam protuliſti.* Quapropter S. Franciſcus epiſtolâ ad Sacerdotes, quæ extat in Bibliotheca ſanctorum Patrum, inducit nos ad mundi contemptum, ex eo quòd præſentem in Euchariſtia habeamus Chriſtum: *Magna miſeria,* ait, *& miſeranda infirmitas, quando ipſum ſic præſentem habetis, & aliquid aliud in mundo curatis.* Etſi verò ipſi Angeli huic interſint ſacrificio, tamen non ſemper apparent, conſtat tamen ex hiſtorijs quibuſdam illos

Angeli Conſecratione factâ à Sacerdote, Deo Corpus & Sanguinem Chriſti offerunt.

In ſpeculo exempl. d.9.c.118.

a *Lib.3. & 6. de ſacerdotio.*

b *Lib. 4. Dialog.*

c *Hom.36. in epiſt ad Corinth.*

Hom.61. ad populum Antioch.

S. *Franciſc.*

quandoque apparuiſſe: Surius enim in vita B. Oſuualdi Epiſcopi Wigornienſis, refert Angelum quendam illi Epiſcopo Miſſam celebranti miniſtraſſe, quem videns miniſter qui ſacro inſeruiebat, nimio terrore perterritus, non audebat reſpondere ad ea quæ pro conſuetudine in Miſſa dici ſolent, ſed aufugiens audiebat Angelum ad ſingula reſpondentem, & ſacrificanti officioſè miniſtrantem; cùm autem ipſe miniſter quæ viderat & audierat, S. Epiſcopo retuliſſet, reſpondit: equidem vidi & audiui ea quæ dicis, ſit benedictum nomen Omnipotentis Dei, qui me tuâ operâ deſtitutum in ſacro miniſterio, ſuâ non deſeruit. Idem refert Ioannes Diaconus de Gregorio Magno in eius vita, cùm enim aliquando die Paſchæ in Eccleſia S. Mariæ Maioris celebraret, & dixiſſet: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, Angelus Domini altâ voce reſpondit: *Et cum ſpiritu tuo*; propter quòd Papæ ipsâ die ibidem celebranti, & *Pax Domini, &c.* dicenti, nihil reſpondetur. Ita legimus apud Petrum Epiſcopum Aquilinum, Angelum Domini Proculo Epiſcopo & Martyri, ſacris operam danti miniſtraſſe. Simile legimus in Chronicis Ordinis noſtri Minorum de R. Patre Parmenſi, qui cùm generalatu ordinis, contemplatiuæ vitæ ſtudio ſe abdicaſſet, Religioſum eiuſdem Ordinis habebat Miſſæ adminiſtrum; contigit autem eo tempore quo ſolebat celebrare, ipſum adminiſtrum abeſſe & obdormiſcere, quare Angelus eius ſpecie & habitu, Miſſæ miniſtrauit.

Angeli quandoque celebranti miniſtrarunt.

I. Diacon.

Lib. 1. catal. Sanctorum c. 25

Lib. 1. c. 57.

SECTIO VI.

Aliæ inſuper viæ, in quibus nos Angeli cuſtodiunt, recenſentur.

DENIQVE viæ noſtræ in quibus iuxtà Pſaltem Regium, nos Angeli cuſtodiunt, eſt tota vitæ præſentis noſtræ peregrinatio, in qua virtuti & bonis operibus eſt incumbendum, vt ait Sanctus Baſilius [a], cui expoſitioni ſuffragatur S. Bernardus [b], expendens enim illa verba *In vijs tuis*, ait illa hunc ſenſum habere poſſe, *non omnia relinquenda ſunt Angelorum cuſtodiæ, ſed nos etiam corroborare oportet, oportet ducentem nos Angelum ſequi, ſuggerenti obaudire, ita priùs in vijs virtutis greſſus fige, & ſubinde Angelus tui curam geret*: vel certè hunc ſenſū habere poſſunt; Angeli quidē tui curā gerent, ſi tamen tu non aberraueris à via virtutis, non quòd Angeli

Viæ noſtræ, eſt tota vita noſtra.

a *In explic. Pſal. 1.*

b *Serm. 2. in hunc Pſalmum*

peccantes homines omninò deſerant, ſed quòd maiori curâ inuigilent erga pios: vel ſanè hunc ſenſum habent verba illa, *In omnibus vijs tuis*, id eſt id agunt Angeli, id intendunt, vt homines quos in vijs hominum incedere vident, ad vias Angelicas & Sanctorum hominum, vel etiam diuinas transferant, id eſt quos vident hominum mala exempla ſequi, transferant ad exempla moreſque Angelorum & Sanctorum, vel ad imitationem ipſius Dei. Hinc notant aliqui & prꝗclarè ad mores formandos, vias noſtras eſſe varias ætates, & diuerſos hominum ſtatus ac viuendi modos; vnde ſi virginitatem amplexaris, intuere S. Ceciliam, cuius Angelus virginitatem ſummo zelo cuſtodiuit. Si continentiâ polles, & eam ſequi velis, conijce oculos in Iudith cuius Angelus eam cuſtodiuit. Si Doctores & Prꝗdicator, non deerit tibi Angelus, qui te vt alterum Daniëlem docebit, cui dixit Angelus, *Nunc egreſſus ſum vt docerem te.* Si es Euangeliſta, intuere reuelationes Sancto Ioanni in Apocalyp. factas. Si es coniugatus, animaduerte quàm ſępiſſimè Angeli ad domos Abraham, Loth, & Tobiæ diuertebant, eoſque ab innumeris periculis liberabant. Si martyr es, Angelus tibi aderit, te comitabitur, ſolidabit, conſolabiturque: cuius rei tot ſunt exempla, vt meritò mirari debeamus; quibus prętermiſſis, notanda ſunt Romani ad S. Laurentium verba, *Video ante te iuuenem pulcherrimum* (is erat Angelus) *feſtina me babtiꝣare.* Si confeſſor es, ijdem Angeli ſe erga te beneuolos exhibebunt, tibi continuò in vita & morte aderunt, vt de S. Martino legimus, quòd in eius tranſitu auditæ fuerint multorum Angelorum cantantium voces, & in cælum animam eius ducentium, & illas meruit audire S. Seuerinus, vt notat Vſuardus in eius vita. Idem multis alijs contigit.

Viæ noſtræ ſunt diuerſæ ætates atque diuerſi hominum ſtatus, & modi viuendi ad quos inducunt nos Angeli.

Iudith 13.

Dan. 10.

Quemadmodùm autem viæ noſtræ in quibus cuſtodiunt nos An-Angeli, ſunt ipſæ Virtutes, quibus muniti & ornati, gradiri in cælum debemus, ad tantorum Sanctorum atque etiam Angelorum imitationem; ita vias oppoſitas vitare & fugere tenemur, hoc eſt peccata, quæ viæ ſunt impiorum ad infernum ducentes. Vnde monet David, *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit*, &c. quæ via alibi dicitur iniquitatis. Ita Angeli horrent has peccatorum vias, & quemadmodum gaudent & lætantur de hominum ſancta conuerſatione, & receſſu à malo per pœnitentiam, iuxta id Chriſti Domini apud Lucam, *Gaudent Angeli ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, &c. ita è diuerſo dolent & triſtantur quando homo peccat, eo modo quo dolor in Angelum cadere poteſt. Id præclarè docet Origenes dum ait, *Sicut boni actus noſtri, & virtutum profectus, lætitiam feſtiuitatemque Deo & Angelis gignunt, ita vereor*

Viæ noſtræ in quibus cuſtodiunt nos Angeli, ſunt virtutes.

Pſal. 1.

Viæ impiorum ſunt peccata, quæ horrent Angeli.

Luc. 15.

Hom. 3. *in cap.* 28. *num.*

vereor ne mala conuerſatio noſtra, non ſolùm terris, ſed & cælis, lamentationes inducat & luctus. Et nihil eſt quod tãto horrori ſit Angelis ac peccatum, nam etiamſi nos non deſerant abſolutè, licet peccemus, vt in præcedentibus diximus, pro tẽpore tamen à nobis recedunt, dũ turpe aliquod peccatum cõmittimus, vt docet S. Baſil. *Velut fumus*, inquit, *apes fugat, & fœtidus odor colũbas expellit, ſic Angelum vitæ noſtræ cuſtodem, abigit multa lacrymarũ aſpergine dignum ac graueolens peccatum.* Angelos cum apibus confert, ſicut enim fumus abigit apes, non aliter peccata noſtra Angelum cuſtodem noſtrum pellunt; non quòd Angeli peccantem hominem deſerant, ſed quòd quodammodo à familiari quadam conſuetudine ac ſolitis beneuolentiæ ſignis abalienentur, nec ita amanter cuſtodiant, conſtat enim ad mortem vſque perſeuerare Angelorum cuſtodiam. Tùm etiam dicit S. Baſilius Angelos columbas, quia columbas trahit in columbaria ſuauis odor, pellit verò grauis, peccatum enim ex ſe graueolentiam emittit, quæ Angelos veluti columbas abigit. Id confirmatur exemplo quod narrat S. Antoninus, vnus (inquit) Angelus qui Eremitæ cuiuſdam comes erat, cùm adoleſcenti elegantiſſimè compto occurriſſet, nares dum is præteriret obſtruxit, quod anteà ad putridum & fœtidum cadauer pertranſiens non fecerat, & cùm miraretur Eremita, faſſus eſt Angelus ſe plus fœtoris ex peccatis adoleſcentis iſtius perſenſiſſe, quàm ipſe perſenſiſſet Eremita ex putrido cadauere. Vnde disertè admodum Petrus Damianus in Epiſtola quam ſcripſit ad Alexandrum ſecundùm Pont. Max. deputat Deus, inquit, Virtutes Angelicas humanæ cuſtodiæ, & infœlix homo relictâ munditiâ & puritate Virtutum, ſqualoribus ſe polluit ac ſordibus vitiorum; nam cum inhalantis ac cœnoſæ luxuriæ fœtore peruoluitur, cùm vermeſcentis auaritiæ ſordibus inquinatur, cùm denique, ad inſtar Ægyptiorum fluminum, homicidialis anima in odij ſanguinem vertitur, poſtremò, cum velut in cloacam ſtercorum corruens, multiplicis nequitiæ fœcibus fędatur, hunc Angelus fętorem & inhoneſtam purulentiæ nauſeam inuitus ſatis & grauiter tolerat; & ſi cęleſtis imperij lege conſtrictus obedientiam non omittat, in Angelorum quippè conſpectu nil ſordidum, nil fœtet obſcœnum, niſi vitium & peccatum, hęc ille. Maximè autem Angeli laſciuos & impuros vitant, & à communione cum talibus obſcœnis maximè ſe præbent alienos, caſtos autem ſummo proſequuntur amore, illos quærunt illos iuuant, cuſtodiunt, & protegunt, vt conſtat de multis virginibus; vnde iuſti per caſtitatem, Angeli dicuntur, quia vitam ducunt Angelicam. Et hinc S. Bernardus, *Angelica, ait, planè vita virginitas eſt, & qui non nubent neque nubentur erunt ſicut Angeli Dei.*

In Pſal. 33.

4. p. ſumma tit. 14. c. 6.

Angeli laſciuos & impuros vitant, caſtos verò amore proſequuntur.

Serm. de natiu. B. Mariæ

SECTIO VII.

Exponuntur Dauidis verba, In manibus portabunt te, *&c.*

Angeli nos in ſuis manibus portant, & quomodo id intelligatur.

QVOMODO autem Angeli in cuſtodiēdis nobis ſe gerant, oſtendit Pſaltes dum ſubdit, *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* In quibus verbis eſt catachreſis, non enim Angeli habent manus, niſi eas quas habent dùm aſſumunt ſibi corpora. Pro faciliori igitur horum verborum intelligentia, eſt explicandum quænam ſint Angelorum manus, qui lapides in viâ, qui pedes hominum. Manus Angelorum (ait Bellarminus in hunc Pſalm.) ſunt intellectus & voluntas, ſiue ſapientia & potentia, nam intelligendo & volendo omnia faciunt; vel manus ſignificat opem, vim & miniſterium Angelorum: lapides in via ſunt omnia impedimenta quæ occurrunt in hac vita, ſiue temporalia, ſiue ſpiritualia, ſcandala, tentationes, perſecutiones, & ſimilia: pedes quibus ad lapides offendimus, ſunt duo affectus humani, amor, & timor, ait S. Auguſt. quocumque enim homo operando, loquendo, deſiderando, pergit, vel amore, aliquid acquirendi, vel cauendi malum, mouetur; vel timore amittendi bonum, vel in malum incidendi; ne autem hos pedes ad ſupradictos lapides offendamus, in manibus ſuis nos portant Angeli noſtri cuſtodes, & opem ferunt, & ideò ait Pſaltes, *In manibus portabunt te ne* &c. Quæ poteſt fingi protectio ſtudioſior & prouidentia prouidentior, quàm vt nobiliſſimæ Angelorum manus, viliſſimis hominum pedibus ſubſternantur? profectò id ſummi eorum amoris erga nos eſt indicium, portamus enim in manibus id quod valdè charum eſt, ſicut mater portat paruulum filium, & ſicut gemmam & lapidem pretioſum in manibus etiam portare ſolemus. Cùm ergo dicit Pſaltes Angelos in manibus ſuis hominem portare, vult ſignificare ipſum eſſe illis valdè charum & pretioſum, & proindè ne pereat, in proprijs ſuis manibus portant. Vel iuxtà S. Bernardi expoſitionem, in manibus illum portant, quia non patiuntur illum tentari ſuprà id quod poteſt ſuſtinere, ſed in manus tollunt, eique ſunt auxilio, ad hoc vt offendiculum tutus pertranſire valeat; nam facilè tranſit foueam qui portatur manibus, & munde lutum, qui manibus ſuſtinetur, & facilè natat in aquis cuius alter ſuſtinet mentum; ita qui manibus portatur Angelicis, omnes difficultates

ſine offenſione in hac vita pertranſit, & tandem ſecurè ad cœleſtem peruenit Patriam. *Sic enim* (ait idem S. Bernard.) *fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, quid trepidamus? tantùm ſequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cæli commoremur.* S. Bernard.

Nonnulli alij hæc verba, *In manibus portabunt te*, &c. ſic exponunt, quod videlicet ipſi Angeli vtramque manum exponunt, id eſt tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus nobis ſunt adiumento, quâ ratione efficiunt vt nullo modo offendamus, aliqui enim in via virtutis deficiunt, quia deficit eis aliquid ſpiritale, ſcilicet vel doctrina, vel admiratio, vel correctio, vel quid ſimile; alij verò deficiunt in via virtutis, quia defectum patiuntur in temporalibus, & vt corpori conſulant animam perdunt. Ergo Angeli vtraque manu nobis adiumento ſunt, & ſpiritualia largiuntur, & temporalia non deſerunt. Et id expreſſiùs docet S. Auguſt. dum ait, ambulant nobiſcum in omnibus vijs noſtris, intrant & exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes quàm piè quamque honeſtè in medio nationis prauæ conuerſemur, quantôque ſtudio & deſiderio quæramus regnum tuum, & juſtitiam eius, quantôque timore & tremore ſeruiamus & exultemus tibi in lætitia cordis noſtri. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus; de te inquam gaudentibus, compatiuntur patientibus, pro te inquam patientibus. Grandis eſt eis cura de nobis, magnus eſt affectus dilectionis eorum erga nos, & hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis charitatis, quâ dilexiſti nos, diligunt enim quos tu diligis, cuſtodiunt quos tu cuſtodis, & deſerunt quos tu deſeris. Nec diligunt operantes iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus gaudent Angeli, & triſtantur Dæmones quoties verò à bono deuiamus Diabolum lætificamus, & Angelos tuos ſuo gaudio defraudamus, gaudium eſt enim eis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ſed Diabolo ſuper vno iuſto pœnitentiam deſerente. Hæc Aug. In ſoliloq. cap. 17.

Alij item, per dexteram manum memoriam beatitudinis intelligunt; per ſiniſtram verò, meditationes pœnarum infernalium. Angeli ergo nos quaſi duabus manibus geſtant ne in huius mundi tentamenta incidamus, dum imm[illegible]ſâ nobis memoriâ fœlicitatis æternæ nos fulciunt, & recordatione ignium æternorum territant.

Alij denique vt S. Bernardus, vt ſuprà, [illegible] manus Angelicas quibus ſibi commiſſos portant, intelligunt huius vitæ tribulationem, breuitatem, & præmij æterni magnitudinem, de quo ait Apoſtolus, *Momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſuprà modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* S. Bernard. loco citato. 2. Cor. 4.

Iob 9. Conformiter ad Dauidem explicari poteſt illud Iobi, *Sub quo curuantur qui portant orbem.* Loquitur enim de intelligentijs cælorum motricibus quæ ideò orbem portare dicuntur, quia earum vnica cuilibet aſſiſtit cælo illudque infatigabili curſu mouet: quia autem homo dicitur, *microcoſmos*, id eſt paruus mundus aut quaſi paruus orbis, ideo de illo poteſt quoque intelligi Dauidis ſententia, quòd videlicet ipſi Angeli illum manibus ſuis excipiant, & in omnibus vijs ſuis cuſtodiant, regant, ducant & protegant, ne vt ſuperaddit Pſaltes, offendat ad lapidem pedem ſuum, hoc eſt ne in offendicula, tentationes, ac labendi occaſiones corruat. Et poſteà ſequitur, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, videlicet auxilio & tutelâ ſeptus Angelorum, illi enim aſpides, baſiliſcos, dracones, leoneſque, hoc eſt ipſos Dęmones cohibent, ne nos aut vulnerent, aut deuorent.

SECTIO VIII.

Præcipua noui Teſtamenti loca, quibus hominum ab Angelis cuſtodia probatur.

Matth. 18. Angelorum cuſtodia ex ſcripturis probatur. PRÆCIPVVS (vt reor) noui Teſtamenti locus, quo nobis conſtat vnumquemque noſtrum habere Angelum cuſtodem, ſibi à Deo deputatum, deſumitur ex Chriſti verbis apud Matthęum, vbi de fidelibus, puſillorum hoc eſt humilium nomine loquens ait, *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis, dico enim vobis quià Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt*, quaſi diceret magni enim à Deo fiunt, ità vt Angelorum illis cuſtodiam tribuerit, qui Dei faciem, hoc eſt diuinam eſſentiam fulgidam, ſemper clarè & ſine velo, continuò intuentur, *quos ſeruant Angeli*, In 18. Matth. (ait Euthimius) *hos deſpicere non oportet, etſi non propter illorum virtutem, at ſaltem propter cuſtodes eorum*, &c. Et S. Hylarius, *periculosè* S. Hylar. *ille contemnitur, cuius deſideria & poſtulationes ad Deum Angelorum miniſterio peruehuntur.* Addit ergò Chriſtus, *ſemper vident faciem patris* Lib. 9. de Ciu. Dei cap. 22. *mei*, &c. Hoc eſt quamuis homines cuſtodiant in terris, tamen vbicumque ſint, Dei faciem intuentur. *Angeli* ait S. Auguſt. *incommutabili & ineffabili pulchritudine,* (Dei) *cuius ſancto amore inardeſcunt, omnia quæ infrà ſunt, ſeque ipſos inter illa contemnunt, vt ex toto quod* Serm. de S. Michaele. *boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt perfruantur.* Et Cardinalis Petrus Damianus, *Angeli etiam cùm mittuntur, non fraudantur gloriâ*

viſionis, quia vbique occurrit Diuinitatis eſſentia, &c. Facies ergò Dei eſt decor & fulgor ipſius diuinitatis clarè ſe manifeſtans, & videndum exhibens Angelis, ſicque eos beatos efficiens; Deus enim propriè, vti non habet corpus, ſic nec habet faciem. Aduertendum porrò ex ſacro illo textu, Angelos cuſtodes noſtros dici eſſe in cælis, & ibi videre faciem Dei, id eſt diuinam eſſentiam. Sed qui fieri poteſt vt in terris exiſtentes & cuſtodientes nos, videre poſſint in cælis faciem Patris qui in cælis eſt? ſi in terris ſint, quomodo in cælis? vel ſi in cælis, quomodo in terris? Itaque pro huius difficultatis reſolutione notant SS. Gregorius [a] & Bernardus [b] Angelos etiam dum cælo exeunt, ſemper videre faciem Dei, quia Deus eſt vbique, ſunt enim beati vbicumque ſint, ideò vbicumque ſint in cælis eſſe dicuntur, vbi enim eſt Dei viſio & gloria, ibi eſt cælum & Paradiſus: vnde infert S. Greg. *Et mittuntur igitur & aſſiſtunt, quia per hoc quod circunſcripti ſunt, exeunt; & per hoc quòd intùs quoque præſentes ſunt, nunquam recedunt. Et faciem ergò Patris ſemper vident, & tamen ad nos veniunt, quia & ad nos ſpiritali præſentiâ foras exeunt, & tamen ibi ſe per internam contemplationem ſeruant*, Et paulò antè, *quid enim de his quæ ſcienda ſunt neſciunt, qui ſcientem omnia ſciunt?* Non ergò reuocantur à cuſtodia humilium, ex deſiderio redeundi ad Deum, quia à Deo nunquam diſtrahuntur, nec abeunt, ſed vbique eum præſentem habent & vident, ac propter Deum & in Deo omnia agunt & homines cuſtodiunt: quia vt vir doctus ait, ſic exteriùs implent miniſterium, vt tamen interiùs nunquam deſint per contemplationem, nam quolibet miſſi veniant, intrà ipſum currunt qui vbique eſt. Hac in re vtinam hi qui cuſtodiuntur homines, cuſtodes ſuos imitarentur Angelos; fœlix qui vbicumque eſt Dei faciem intuetur: Angelus perſpicuè & abſque velo cernit, homo cernat per fidem, & Deum omnia intuentem in omnibuſque locis præſentem, fidei oculis omnibus in locis intueatur, nullum enim ad vitanda peccata majus eſt remedium. Hinc S. Auguſt. *Magna eſt cautela peccati, Dei ſemper præſentiam timere*, &c. Item, *qui erubeſcit in conſpectu hominis peccare, quantò magis dignum eſt quòd erubeſcat in conſpectu Dei iniquitatem agere, qui non ſolùm opera ſed & corda conſiderat? Præterea homo* (inquit) *ſapiens, in omnibus operibus ſuis Deum metuit, ſciens ſe eius nunquam effugere præſentiam*. Alia etiam in re imitandi ſunt cuſtodes Angeli, videlicet in cuſtodiendis & à peccato liberandis hominibus. *Angelicum eſt* (ait Theophylactus) *mortalium ſaluti inſeruire*, &c. Vnus Angelus vnum cuſtodit hominem ſi non potes multos, ſaltem vnum tu quoque cuſtodi. Et S. Chryſoſtomus, *ne*, inquit, *quoniam orbem terrarum non potes ſeruare, etiam*

a Gregor. 1. Moral. cap. 2.
b S. Bern. ſerm. 5. de Dedic. Eccleſiæ.
Serm. 195.
Ad Hebr. 2.
Hom. 3. in Epiſtolam primam ad Cor.

ne paucos deſpice; & ſi non poſsis centum, decem curam geras; & ſi non poſsis decem, ne quinque deſpicias; & ſi quinque non poſsis, vnum noli deſpicari, &c.

Act. 12. Item receptum fuit in Eccleſia ab Actibus Apoſtolorum, Angelum cuſtodem eſſe à Deo deputatum, & ei vitam noſtram eſſe commiſſam, nam legimus S. Petrum poſtquam liberatus fuiſſet ab Herodis carcere, petiuiſſe domum Mariæ matris Marci, vbi cæteri Apoſtoli ac diſcipuli Chriſti congregati, vacabant orationi, & pulſato oſtio proceſſiſſe puellam ad audiendum, nomine Rhode, & cùm percepiſſet vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, ſed illicò nuntiauit vniuerſæ congregationi, ſtare Petrum ante ianuam, illi autem non credentes, dixerunt ad eam, inſanis; probè enim nouerant quàm ſolidis catenis in carcere conſtringeretur; illa autem affirmabat ſic ſe habere, & propterea adinuicem dicebant, *Angelus eius eſt*. Ex hoc ergò ſacro contextu liquet, communem tunc temporis fidelium opinionem fuiſſe, quòd quilibet à Deo haberet ſibi deputatum Angelum cuſtodem, vti ex hoc loco euincit S. Chryſoſt. [a] vide Theodorum Studitam [b], & Auguſtinum datum [c] qui eruditè admodum hac de re ſcripſit.

a Hom. de Aſcenſione. b Serm. 45. c Lib. de genialis hyeme ad Hebr. 1.

Ad eandem de Angelorum cuſtodia probationem, confert etiam S. Pauli ſententia pluries iam repetita, *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis*. Non deſunt quamplura alia vtriuſque teſtamenti loca, quibus hæc Angelorum cuſtodia nobis innoteſcit, quorum nonnulla in tranſcurſu huius Tractatus, in medium adducuntur, vide Theſaurum Bibliorum Guillelmi Allotti, verbo *Angeli*.

SECTIO IX.

Ex SS. Patribus Angelorum cuſtodia probatur.

AVCTORITATE item SS. Patrum hæc veritas quòd Angeli ſingulis hominibus cuſtodiendis ſint deputati, probatur.

De Cæl. Hierarch. cap. 9. & 10. Angelorum cuſtodia ex SS. Patribus probatur. Et primò à S. Dionyſio Areopagita, qui ſingulos homines à ſingulis Angelis bonis cuſtodiri teſtatur. Hermas etiam alius S. Pauli diſcipulus, vt fertur in libro qui Eccleſia dicitur, viſione tertiâ ſcribit ſe cuſtoditum & præſeruatum per Angelum bonum dictum Hegrim, à magna quadam beſtia quæ in formâ ceti apparuerat, ex cuius ore locuſtæ igneæ egrediebantur.

Secundò, *Epiphanius ait* (inquit Sinaïta) *vnicuique Genti præ-*

eſſe Angelum dicit Scriptura. Et probat multis S. Ciryllus [a], *Scimus*, inquit, *Sanctos, Angelos à Deo eſſe ordinatos ad opem ferendam credentibus.*

a *Hom. 6. de laudibus D. Pauli.*

Tertiò, Sanctus Chryſoſtomus [b], *Angeli*, inquit, *ab omnium domino deputati ſunt cuſtodes.* Ita etiam docet ſcribens in Euangelium Matthæi.

b *Hom. 60. in Matth.*

Quartò, Sanctus Hieronymus. [c] *Magna*, inquit, *dignitas animarum, quia vnaquæque ab ortu natiuitatis ſuæ Angelum habet in ſui cuſtodiam deputatum.* Primò, notanter dicit *vnaquæque*, non enim vnus Angelus cuſtodit plures homines; tum quia non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis, & ſæpè contingit duos homines loco diſtare: tum quia hoc magis liberalitatem Dei oſtendit. Secundò etiam dicit *ab ortu natiuitatis ſuæ.* Quamuis enim nonnulli opinati ſint à conceptione in vtero materno vnicuique eſſe Angelum deputatum, vt voluit Sanctus Anſelmus [d] etiam in Elucidario; attamen communis doctrina eſt conformiter ad hanc Sancti Hieronymi ſententiam, non eſſe homini deputatum niſi ab ortu natiuitatis, hoc eſt ab egreſſu ex vtero; quia ſicut fructus pendens in arbore eſt aliquid arboris, ita vt qui cuſtodit arborem cuſtodiat fructum, ita paruulus in vtero matris exiſtens, eſt aliquid matris, per quandam colligationem; Igitur Angelus matris cuſtos, paruulum quoque ante ortum ſuum cuſtodit, ſicut Dæmon ei inſidiatur, eſtque valdè moleſtus, niſi à bono cohiberetur dum naſcitur: Poſt natiuitatem autem pueri, ille Angelus qui ſpecialiter in ſuam cuſtodiam eſt deputatus, illum ad baptiſmi gratiam perducit; pluribus enim modis nititur Dæmon per ſe, vel per maleficos & Sagas ſuffocare pueros ante baptiſmum, vt ſtatim dicemus, ſed hoc impediunt eorum Angeli cuſtodes: In infantia & pueritia ipſe Angelus cuſtos à varijs periculis illum præſeruat & protegit, ſæpè enim ad aquam vel ignem incautè accedens, vel per plateas vagans, equorum vel aliorum animalium tranſitu, periculum & nocumentum incurreret, niſi Angelica interueniret cuſtodia.

c *In cap. 4. Matth.*

d *S. Anſelm. in Elucid.*

Poſteà vſu rationis inchoante, ad bonum inſtigat, illuminat, reuocat à malo, excitat voluntatem ad amorem & timorem Dei, vt tandem ſalutem conſequatur æternam; quò fit vt ab eo tempore ad finem vitæ vſque debeat homo ſe illi committere, & ſpecialiter colere & venerari. Et denique idem Angelus cuſtos, in maiori ætate vbi maiora occurrunt pericula tam animæ quàm corporis, diligentem exhibet tutelam & cuſtodiam. Et tum in morte dum hac cuſtodia homo valdè eget, ei non deeſt; & poſt mortem illum in cælum deducit vt ſuo loco dicendum erit.

Lib. 3. de princ. cap. 2. Zachar. 1. Quintò, Origenes: *Quòd etiam* (inquit) *per Angelos vel bonos vel malos, aliqua humanis cordibus ſuggerantur, vel qui Tobiam Angelus comitatur, vel Prophetæ ſermo dicentis, & reſpondit Angelus qui loquebatur in me*, (hoc eſt intra me) *teſtantur*; Sed & de Paſtoribus Liber hæc eadem declarat dicens quòd bini Angeli ſingulos quoſque hominum comitentur: & ſi quando bonæ cogitationes cor noſtrum aſcenderint, à bono Angelo ſuggeri dicit; ſi verò contrariæ, mali Angeli dicit eſſe inſtinctum. Sed quia librum de Paſtoribus citat Origenes, auctor illius eſt Hermas, qui in illo libro quem Paſtorem vocat, vel de Paſtoribus, illorum duorum Angelorum (quos alio nomine Genios nuncupat) naturam deſcribit, atque cum homine vnum eſſe genium æquitatis; alterum iniquitatis dicit: Æquitatis genium docet eſſe ſenem verecundum, manſuetum, & quietum, ſignaque eius eſſe cùm nobiſcum adeſt, ſi hæc in cor noſtrum aſcendant, & continuò loquatur nobiſcum de iuſtitia, de pudicitia, de caſtitate, de benignitate, de venia, de charitate, de pietate: Contrà, genium iniquitatis ait, amarum, iracundum, iniucundum, ſtolidum, omniaque eius opera praua, cupidum, elatum, taliaque ſigna ſuæ ſocietatis inuehere menti. Et ita (vt nonnulli alij dicunt) Angelus malus, & Angelus bonus non procul ſunt ab vnoquoque noſtrûm, malus quidem, vt nobis varijs modis inſidietur, noceat & perdat, ſi ei poſſibile ſit, tanquam aſpis, draco, & baſiliſcus: bonus autem pias habet manus ad nos iuuandos extenſas, vt eius ope ipſum malum Angelum pedibus noſtris conculcemus & proteramus, maiori enim ſollicitudine vnumquemque incitat ad bonum, quàm Dæmon ad malum, vt aduertit Sanctus Bonauentura, ipſum enim Angelum malum reprimit, ne quantùm vult, nos impugnet; confortat nos in via virtutis, vitij fœditatem manifeſtat, futuræ gloriæ magnitudinem proponit, occaſiones mali ſubmouet, aut temperat, ad orationem inſtigat, orationes noſtras Deo offert, &c. Deinde quoniam ſæpè multi Dęmones ſecundùm varias occaſiones, accedunt ad vnum hominem perdendum; ita ſæpenumerò multos Angelos mittit Deus ad vnius hominis cuſtodiam, vt patet cùm ad defenſionem Eliſei & pueri eius, miſit Deus innumeros Angelorum exercitus, qui apparuerunt in ſpecie curruum igneorum.

Lib. 1. c. 6. — 2. Sentent. diſt. 11. q. 1. — 4. Reg. 6.

Hom. in Pſal 33. Sextò, Sanctus Baſilius de eodem cuſtode Angelo, hæc habet: *Sicut muri Ciuitatis circunducti omni ex parte, arcent propulſantes hoſtiles incurſus; ſic & Angelus te præmunit à fronte, & à tergo cuſtodit, & nihil vtrimque in cuſtodiendo relinquit.* Et in Iſaïam: *Angelis* (inquit) *tanquam prouidis tutoribus humani generis curam demandauit Deus ad cuſtodiam & ſalutem hominum.*

In 8. cap. Iſaïæ.

Septimò,

Septimò, Petrus Damianus in epiſtola quam ſcripſit ad Alexandrum II. Pontificem Maximum poſt adductum Danielem, & Paulum, ait, *Neque enim*, inquit, *Verſutia tam callidi, tam exercitati hoſtis, poſſet fragilitas humana reſiſtere, niſi eum à tentationibus electorũ, virtus Angelica propulſaret; vnde vnicuique noſtrũ à die baptiſmatis vſque ad obitum delegatus eſt Angelus, qui & viriliter decertantem à tentatione cuſtodiat, & auxilium præbere in tentationibus non deſiſtat. Daremus exempla niſi cerneremus frequentatione notiſsimâ*, agit videlicet de Angeli cuſtodia, qui nulli parcit labori, vt inſidiantis hoſtis malitiam diſſipet, technas auertat, diſperdat flatus. Notanter dicit *à die baptiſmatis* delegari Angelum, naſcitur enim puer filius iræ infectus peccato originali, & in poteſtate inimici, donec ſacro lauacro Deo recõcilietur regeneratione;& demùm ſacramento exufffletur, quo tempore Angelus Domini illi puero ſpeciali cuſtodiâ adeſt, quamuis tamen, vt dicit Sanctus Hieronymus, incipiat illum cuſtodire à ſuo ortu & natiuitate; quò fit vt arguendi ſint parentes qui differunt baptiſmum natis, cùm interim periculum ſit ob nimiam Dęmonis poteſtatem, ne is vitæ eius inſidietur, & eum priuet ſacramento, ſine quo gloriâ perfrui non poteſt æternâ. Sunt & qui dicant hoc medio tempore quo differtur baptiſmus, aliquando maleficas impulſu Dæmonum, hos pueros offerre & conſecrare Dæmonibus; In quo & pręcauendas obſtetrices iubent, quæ ſi ſortilegæ ſunt, ſolent extra parturientis cubiculum cum puero exire, velut aliud negotij quidpiam acturæ, & Dæmonibus illum offerre, & ita maleficis artibus Dæmonis initiare, vt ſcribunt Iacobus Spreger, & Henricus Inſtitor, ſacræ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, de fide inquiſitor, in ſuo malleo maleficarum; egent & tum maximè curâ bonorum Angelorum, & parentum prouidentiâ & vigilantiâ recenter nati, ad implorandam pro illis gratiam.

P. Dam.

loco citato.

Quid circa puerum recenter natum præſtent quãdoque ſortilegæ.

Malleus malef. p.1.q.1. & p.2. q.1 cap.2.

Octauò, S. Bernardus in Canticis Canticorum eandem Angelorum cuſtodiam mirè extollit, ſic enim ait: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſsimilaui te amica mea, anima nuſquam eſt ſine Angelorum cuſtodia, & ne dixeris in corde tuo, vbi ſunt? quis eos vidit? Vidit eos Propheta Eliſæus, & fecit orando vt videret etiam Giezi: tu non vides quia non es Propheta, nec puer Propheta. Vidit Patriarcha Iacob & ait, Caſtra Dei ſunt hæc. Vidit & Doctor Gentium qui dicebat, Nonne omnes adminiſtratorij ſpiritus? Ergo Angelicis ſuffulta miniſterijs & ſuperno ſtipata agmine ſponſa incedens, ſimilis eſt equitatui Domini.*

S. Bern. in Cant. Cant.

Nonò, Guilielmus Aluernus ait, *Gens Chriſtianorum ex ipſo te-*

p 2. cap 158.

ſtimonio, Legiſlatoris, credit, vnicuique hominum vnum bonum ſpiritum aſſignatum à Creatore.

quæſt. 9. Decimò, Beda venerabilis in libro quæſtionum hæc habet, *Omnes homines Angelos habere probatur, loquente Domino in Euangelio, Amen dico vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, &c. Vnde & Petrus in Actibus Apoſtolorum, cùm pulſaret ianuam dixerunt, non eſt Petrus, ſed Angelus eius.*

Tract. 10. de tacit. Vndecimò, Taulerus denique hæc ait: *Angelus proprius tuæ ſpeciatim cuſtodiæ deputatus à Deo, nocte ac die, omni loco, ac tempore, tanta cum fidelitate, aſſiduitateque tuæ inuigilat ſaluti, vt ne ad momentum quidem, vnquam à te recedat, immò nec deſerere te poſſit, aut ſuos à te oculos auertere.* Et rursùm, *Amiciſſimus, dulciſſimus, ac fideliſſimus ſeruit tibi Angelus tuus, omni loco, tempore, & causâ ac periculo, nocte ac die, tuæ moderationi, gubernationi, perfectionique inuigilans.*

Quamplura alia ſanctorum Patrum extant teſtimonia, quòd ſingulis hominibus ſinguli Angeli cuſtodes à Deo deſtinentur, vt Sanctorum Gregorij Nyſſeni, libro de vita Moſis, Ambroſij libro de viduis, Cyrilli libro 4. contra Iulianum, Euſebij libro de præparatione Athanaſij qui eos vocat pędagogos noſtros, & SS. Auguſtini, Bernardi & aliorum, quorum ſententiæ pro maiori parte in decurſu huius Tractatus adferuntur, & maximè vbi loca Scripturæ quæ ad hoc propoſitum faciunt citantur. His omnibus adiungi poteſt optimum argumentum ex Feſto Angeli cuſtodis, quod à paucis annis fuit à Paulo V. Pontifice Maximo inſtitutum, atque magno omnium conſenſu receptum & approbatum.

Greg. Nyſſ. Ambroſ. Cyrill. Euſeb. Athanaſ. Auguſt. Bernar.

SECTIO X.

Rationibus quibuſdam Angelorum cuſtodia probatur.

Angelorum cuſtodia rationibus probatur.

QVANQVAM Deus Optimus Maximus, per ſeipſum homines cuſtodire, erudire, & protegere poſſet, nam quicquid poteſt cauſa prima cum cauſa ſecunda, poteſt ſe ſolâ: non deſunt tamen congruentiſſimæ rationes, cur ipſis hominibus tutores ac cuſtodes Angelos deſtinare voluerit; tum ex parte Dei, tum etiam ex parte Angelorum, hominum atque Dęmonum.

Ratio ex parte Dei eſt, quia lex eſt diuinæ prouidentiæ & ſa-

pientiæ vt extrema reducat ad prima per media ; Angelus autem eſt medius inter Deum & hominem, tum ratione naturæ immortalis & ſpiritalis, tum etiam ratione gratiæ conſummatæ; quare debet homo reduci ad Deum per Angelum.

Preterea, videmus in diſpoſitione vniuerſi, res corruptibiles gubernari per incorruptibiles, vt patet de ſublunaribus, quæ per cœleſtia reguntur, certiſſimum eſt enim cœlos & aſtra in hęc inferiora influere. Conſtat quoque de rebus mobilibus, quæ per immobiles regi ſolent, vt res omnes corporeæ per Angelos qui incorporei ſunt; cùm igitur homo mutationi ſit obnoxius, & in bono defectibilis, regi debet in bono ab aliquo immutabili, cuiuſmodi eſt Angelus. Hinc S. Dionyſius lib. de cœleſti hierarchia, docet diuinam ſapientiam ordinaſſe, vt ſuperiora inferioribus prouideant, *Propter ordinem*, inquit, *& pulchritudinem vniuerſi, congruit homines viatores, per Angelos tanquam per ſuperiores cuſtodiri.* *S. Dion. de cœl. hier. cap. 10.*

Ratio ex parte Angeli, eſt quia ciuis eſt noſter, & ideò debet eſſe commercium inter eum & nos: cùm etiam ſimus eiuſdem ſocietatis, atque ad eundem finem ordinati; & non debet eſſe tardior Angelus in adiuuando, quàm Dæmon in nocendo: & hoc eſt quod dicit doctiſſimus quidam Pater ex modernis, non debet eſſe charitas pigrior ad iuuandum in Angelo, quàm malitia in Dæmone ad nocendum; ſed Dæmon ſemper conatur nocere: Ergo decet Angelum ſemper pręſtò eſſe ad adiuuandum, vt nulla ex parte, homini deſit adiutorium, & ne lapſus, in miſeria culpæ remaneat.

Ex parte item hominis, eſt ipſa Angelica cuſtodia valdè neceſſaria, tum quia eius voluntas eſt flexibilis ad bonum & ad malum, & poſt peccatum pronior eſt ad malum, multaque reperiuntur quæ illam ad illud malum inclinent; tum propter caliginem intellectus, & perturbationem paſſionum in affectu; itaque neceſſarium eſt illi Angelicum auxilium. Alexander Alenſis id confirmat dum aſſerit ſeptem miſerias ad nos ex peccato defluxiſſe, & propterea Angelicâ cuſtodiâ nos indigere, & id ex morali commentario B. Gregorij in Iob deſumpſit, *Homo*, inquit, *per peccatum cecidit in ſeptem miſerias, quæ ſunt ſtultitia, hebetudo, præcipitatio, timor, ignorantia, duritia, ſuperbia.* Ab his autem vitijs & miſerijs nos Angeli cuſtodes liberant, decertando contrà Dęmonem qui per illa vitia nos conatur proſternere. S. Bonauentura docet, quatuor ob cauſas hominem præſidio Angelico atque tutelâ indigere, videlicet ad proficiendum in gratia, ad reſurgendum à culpa, ad præcauendum mala, & ne admiſſi peccati pondere grauetur, & trudatur ad maiora. Deinde idem docet illum tali tutelâ indigere, ne in vtero materno ſuffocetur à Diabolo, aut

Alexand. Alenſ.

Miſeriæ ſeptẽ ad nos ex peccato defluxerunt.

Greg. in 1. Iob.

2. Sent. diſt. 2. q. 1.

iam ab eo egreſſus periclitetur ſine baptiſmo, tum ne in mundo viuens, ad multa peccata protrahatur ab ipſo Dæmone. Et denique vt moriens & egrediens de hoc mũdo, ab eius inſidijs caueatur per Angelum; nam vt in tractatu de Dæmonibus dicemus, eo tempore plus indiget homo auxilio, quoniam magis inſidiator conatur illum vincere & perdere ſi poſſet; nam ſecundùm S. Auguſtinum, tunc magis aduerſùs hominem omnia eius mala opera allegat, ſicque neceſſe eſt de congruo Angelum ibi adeſſe, & allegare coram ſupremo Iudice omnia bona eius facta. His addit S. Bonauentura, ipſum hominem Angelo indigere poſt mortem, vt eius anima ab eo in cœlum deferatur, vel ſaltem ad purgatorium: Vnde S. Lucas de Lazaro ait, *Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.*

Luc. 16.

Confirmatur, quia Angelica cuſtodia pertinet ad genus gratiæ ſufficientis, & homo per ſe nõ ſufficeret ſolus ad reſiſtendum Diabolo; atqui gratia ſufficiens nemini denegatur, & quamuis reprobi non ſaluentur per ſuos Angelos, tamen à quibuſdam ſaltem peccatis reuocantur, nec tam facilè prędeſtinatis nocere poſſunt; & deinde per illam cuſtodiam redduntur inexcuſabiles.

Denique ex parte Dęmonum indiget homo ipsâ Angelicâ cuſtodiâ, cùm enim non ſit *nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem*, vt Paulus ait, Diabolus autem ſit potentiſſimus aduerſarius, quia ſecundùm Iob, *nulla eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei*; ſit quoque in ſciendo aſtutiſſimus, & propter longam experientiã peritiſſimus, nocendique cupidiſſimus; decuit homini contra talem aduerſarium in malitia obſtinatiſſimum, conſtitui defenſorem Angelũ, qui eum tot in diſcriminibus conſtitutum, fortiter tueretur. O verè inuſitata & inexplicabilis Sanctorum Angelorum beneuolentia & humanitas, qua miſerorum hominum humilitatem ſordeſque non defugiunt. Quid enim eſt admirabilius, quàm pulcherrimos Aulæ ſydereæ proceres, Triadis honorarios, Palatinos cælites, Genios illos magnificos, & ornatu omnium gratiarum nobiles, illos diuinis honoribus perfruentes & beatos, deuolare ad homines, ſe illis benigniſſimè adiungere, eoſdem velut manu ad beatiſſimæ vitæ gloriam dirigere, viuos mortuoſque tueri, & humaniſſimè complecti? Homines, inquam, in Deum impios, iræ filios, multis criminibus maculatos, crudelitate prope belluas, vęcordia pecudes, in eos ipſos tutelares ingratos? Sunt enim Olympici Dynaſtæ & Empyreæ Domus purpurati, apud auguſtum orbis terræ Opificem & Dominum gratioſi, pręfecti vniuerſitatis, & rerum omnium creatarũ Præſules, quibus dominans in nobis Deus, & ſupremus Imperator, dedit hominũ atq; omnium quæ ſub cælo ſunt, curam prouidentiamque, ait Iuſtinus Martyr Apolog. 1.

Ephes. 6.
Iob. 41.
Iuſtin. Apolog. 1.

ſ Hæ igitur ſunt rationes, quibus confirmant Sancti Patres, & Scholaſtici, hominem Angelicâ cuſtodiâ indigere.

SECTIO XI.

Non ſolùm deputantur Angeli cuſtodes hominibus prædeſtinatis, & fidelibus baptiſatis, ſed etiam infidelibus, imo & Antichriſto.

ORIGENES tractatu in Matthæum duas ſui temporis Magiſtrorum ſententias, de Angelorum cuſtodia refert. Prior eſt, ſolis prædeſtinatis ab inſtanti natiuitatis ſuæ, Angelum dari cuſtodem; in cuius confirmationem citat illud quod Apoſtolus ait: *Qui me ſegregauit ab vtero matris meæ.* Scilicet per Angelum cuſtodem; Et illud Pſalmiſtæ: *De ventre matris meæ tu es protector meus.* Et rurſùs: *Suſcepiſti me de ventre matris meæ.* Deinde, *In te proiectus ſum ex vtero.* Quæ omnia fieri dicit per cuſtodem Angelum. *Tract. 5. in Matth.* *Ad Galat. 1.* *Pſal. 70. Pſal. 136. Pſal. 21.*

Poſterior ſententia eſt, ſolis & omnibus Chriſtianis, ex baptiſmi lauachro regeneratis, Angelum cuſtodem dari, quia non decet inquit, ſanctum Angelum infidelibus & immundis dari, ſed potiùs Angelum Apoſtatam ſimilem eis; propterea dictum à Domino cenſet: *Ne contemnatis vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, &c.* Hanc poſteriorem opinionem tenet S. Chryſoſtomus ſuper Matthæum, & ibidem S. Hilarius, item tenere eandem videtur S. Cyrillus. At communis eaque veriſſima eſt ſententia, cunctis hominibus, ſiue malis, ſiue bonis, ſiue fidelibus, ſiue infidelibus, ab ortu natiuitatis ſuæ, dari ſine dubio Angelum bonum in cuſtodiam, quia cuſtodia Angelica reſpicit hominem quatenus viator eſt, & non quatenus iuſtus, aut fidelis. Et hæc eſt aſſertio S. Hieronymi in caput 4. Matthæi ſicut eam ſuprà retulimus, vbi docet vnamquamque animam, ab ortu natiuitatis ſuę Angelum habere, in ſui cuſtodiam deputatum, in quo, vt ait, magna apparet animarum dignitas. Et idem tenet Origenes ex propria ſententia. Et idem aſſerunt Theophylactus, Anſelmus, Gloſſa, S. Thomas, Lyranus, Abulenſis, &c. Eſtque communis ſcholaſticorum ſententia, & ſenſus vniuerſalis Eccleſiæ, cui iam non licet refragari. Legimus enim Agar Ægyptiã Angelum habuiſſe cuſtodẽ, & Iſmaëlem Ethnicè viuentem, & Balaam Ariolum, & Cornelium adhuc gentilem, qui monuit illum vt adiret Petrum, & auditis eius monitis baptiſmum ſuſciperet. Perſarum etiam atque Græcorum Angelos commemorari ſcimus, vt ſuprà notauimus. Non deſunt alia teſtimonia, quibus ſatis conſtat Angelos cuſtodes ſingulis etiam infi- *Cunctis Christianis imo & infidelibus, eſt à Deo aſſignatus cuſtos Angelus.* *Matth. 18.* *S. Cyrill.* *Lib. 4. contra Celſum.* *In cap. 4. Matth.* *Lib. 5. Periarchon.* *Gen. 16.*

delibus eſſe deputatos, & alijs quantumcumque ſceleratis; nam etiamſi per talem Angelorum cuſtodiam non iuuentur, quantum ad hoc quòd vitam æternam finaliter bonis operibus mereantur, iuuantur tamen quantum ad hoc quòd ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & ſibi ipſis malis nocerent. Immò docet S. Thomas & aſſerit, Antichriſtum tali cuſtodiâ Angelicâ non cariturum, etiamſi ſit futurus de numero reproborum; & ità cum S. Thoma docent omnes: Iuxtà S. Pauli regulam, quâ dicit Deum velle omnes homines ſaluos fieri; quibus verbis nullos excipere videtur, ſed omnes comprehendere etiam peſſimos, & per conſequens ipſum quoque Antichriſtum. Et fauet ratio, Qui enim proponit alicui finem, debet prouidere de medijs ad illum obtinendum; at verò cunctis quantumuis impijs proponitur vita æterna, & cuſtodia Angelica medium eſt ad illam obtinendam & acquirendam; ergò illi, & proindè Antichriſto non denegatur. Adde quòd quemadmodum ſemper inſidiantur mali Angeli, ità è contrà boni eâ quâ feruent charitate, volunt continuò auxiliari, & in hoc Deum miſericordiæ & charitatis fontem imitantur. Neque dicendum eſt cuſtodes Angelos, homines quantumuis peccatores deſerere, quandiù ſunt in hac vita: Quemadmodum enim nulli viatori omninò denegatur auxilium ſupernaturale commune, ita neque dum eſt in via, cuſtodiâ Angelorum prorſus deſtituitur. Sicut autem propter peccata hominum, interdum eis denegantur auxilia quædam particularia & efficaciora, quæ Deus non tenetur dare; ita denegatur cuſtodia Angelorum quoad peculiares aliquos effectus. Et de talibus auxilijs ſpecialibus, quandoque ob multa facinora denegatis, intelligi debet illud: *Curauimus Babylonem & non eſt ſanata, relinquamus eam.* Et aliquid ſimile legitur in hiſtoria Eccleſiaſtica, vbi ſcriptum eſt quaſdam Angelicas voces auditas fuiſſe: *Relinquamus has ſedes*, & ante ſubuerſionem & ruinam Hieroſolymorum, *migremus hinc*; & apud Iſaïam, *auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.* Vbi per ſepem & maceriam intelligitur Angelorum cuſtodia, quæ ſpecialis quidem auferenda à reprobis, non verò communis & generalis. De tali igitur cuſtodia ſpeciali intelliguntur nonnulli, de Antichriſto ipſo ſermonem inſtituentes, vt refert Ioannes Alteſtaig Mindelhaimenſis in ſuo vocabulario Theologico, dictione Antichriſtus. *Angelus bonus* (inquit) *deputabitur primò Antichriſto ad cuſtodiam, ſed quando ita obſtinabitur in peccato, quòd dicet ſe eſſe Deum, & extollet ſe ſuper omne id quod dicitur Deus aut colitur, ſicut dicit Apoſtolus, tunc primò deſeret eum Angelus ex toto, nec habebit eum poſtmodùm ad protectionem, ſed ad accuſationem.* Hæc igitur,

1. p. q. 113. art. 4

Angelicâ cuſtodiâ non carebit Antichriſtus.

Hierem. 51.

Iſai. 5.

Ioannes Alteſtaig.

deſertio erit quoad ſpecialem cuſtodiam, non communem. Hi porrò Angeli magnâ curâ munus ſuum obeũnt, non fideles & iuſtos modò, verùm etiam infideles & iniuſtos, etiam ſuæ fidei commiſſos cuſtodientes; quoniam diuinæ prædeſtinationis arcanum illis prorſùs incognitum eſt, niſi ſpeciali quodam modo illis à Deo reueletur, ſi id illi bonum videatur, & pro ratione cunctis ignota, quandoquidem diuina electio atque prædeſtinatio, nullum in prædeſtinati anima characterem aut ſignum imprimit, ideò non indulgenter etiam Infideles, Gentiles & improbos cuſtodiunt, quos an prædeſtinati ſint ignorant. Quid enim non cuſtodiant, qui vident publicanum cooptari in Euangeliſtam, Centurionem Gentilem, ad fidem conuerti, & Eccleſiæ perſecutorem in Doctorem gentium? Nota quoque, quod etiamſi prędeſtinationis arcanum eis non innoteſcat, per coniecturam tamen, impiorum & qui aut ſine fide, aut ſine bonis operibus viuunt, perditionem agnoſcunt, nec tamen propter hoc deſiſtunt ab eorum cuſtodia, ſed eos protegunt & inſtruunt, quantum diuino nutu eis permittitur, ſcientes quia *potens eſt Deus de lapidibus illis ſuſcitare filios Abrahæ*, Imo filios Dei; & cùm poſteà pereunt, non tamen de illorum perditione triſtantur niſi metaphoricè, aut operam ſuam perditam exiſtimant, quoniam voluntati diuinæ per omnia conformes ſunt, & ſufficit illis iniunctum officium ad Dei nutum fideliter peregiſſe. Quo igitur zelo putandum eſt, eos zelare viros Dei ſui cultores, ſi filijs gehennæ, qui ſolummodò in combuſtionem & cibum ignis reſeruantur, taliter patrocinari non dedignantur? Aduerte pariter, Deum aliquando per Angelum ita homini loqui, & illi quæ ſunt bene agenda inſpirare, vt nulla corporea ſpecies appareat, ſed ipſa Angeli ſubſtantia ſit intrà hominem cui loquitur, ita tamen vt animæ non illabatur, quod eſt ſolius Dei, & ita docent Patres, hocque modo intelligitur id quod habetur apud Zachariam, *& dixit mihi Angelus qui loquebatur in me*, hoc eſt intrà me.

Angelus eſt arcanum diuinæ prædeſtinationis incognitum.

Matth. 3.

Angeli Diuinæ voluntati ſunt conformes.

Eſai. 9.

Zachar. 1.

Illi qui opinantur ſolos prædeſtinatos habere Angelos cuſtodes, obijciunt S. Paulum dicentem ad Hebr. Angelos, *in miniſterium mitti propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*, At ſoli prædeſtinati ad illam perueniunt hæreditatem; ergo &c. Reſpondeo reproborum & peccatorum cuſtodiam, redundare etiam in bonum prædeſtinatorum, nam per illam arcentur dęmones inſtigantes reprobos, ne noceant electis quantum cupiunt.

Hebr. 1.

SECTIO XII.

Chriſtus Angelum cuſtodem non habuit, at benè primi noſtri parentes in ſtatu innocentiæ, & Beata Virgo.

Angelos cuſtodes habuerunt primi parentes & Beata Virgo, non tamen Christus, & ob quid.

EX ſupradictis, conſtat ſingulis hominibus etiam infidelibus, aſſignatos fuiſſe à Deo ſingulos cuſtodes Angelos; ſed quærunt nonnulli an Chriſtus, primi noſtri Parentes, & B. Virgo aliquos habuerint. Et primò quod ad Chriſtum attinet, communis ſententia eſt illum Angelo cuſtode non eguiſſe, vt etiam reſoluit S. Thomas, Chriſtus (*inquit*) ſecundum quòd homo, immediatè regulabatur à verbo Dei, vndè non indigebat cuſtodia Angelorum, cùm ipſe ſit maior omnibus Angelis ratione vnionis hypoſtaticæ, & ſit eorum Dominus. Deinde Chriſtus non erat purus viator, ſed ſimul comprehenſor, plenus ſcientiâ, gratiâ & gloriâ, ſicque non indigebat Angelo cuſtode, & dare illi vnum, eſſet dare Philoſopho rerum omnium inſtructiſſimo, magiſtri loco, ignarum puerum. Id confirmant nonnulli etiam Scholaſtici, quia nos indigemus Angelo cuſtode propter tres potiſſimùm cauſas: Prima, vt nos doceat & inſtruat ne decipiamur: Secunda, vt moneat & hortetur ad bene agendum: Tertia, vt remoueat occaſiones & pericula peccandi: at Chriſtus nullo horum indigebat: primò quia erat maiori ſcientiâ pręditus quàm omnes Angeli: ſecundò, quia cùm eſſet plenus gratiâ, poterat ſeipſum excitare ad bene agendum: tertiò, quia intrinſecè erat impeccabilis propter vnionem Hypoſtaticam, gratiam & gloriam: qui ergo cuſtodit Iſraël, immò cuſtos eſt omnium, Chriſtus, Angelo cuſtode opus non habuit. Vnde apud Matthæum, non dicuntur Angeli ipſum adiuuiſſe ad certamen illud quod habuit cum Sathana, ſed tranſacto duello, *Acceſſerunt Angeli* (ait Sacer textus) *& miniſtrabant ei.* Quòd ſi tentatus fuit à Dęmone, id ità voluit liberâ ſuâ voluntate, nec vinci au ſuperari potuit; & ideò Angelo non indiguit, qui illum ne tentationi ſuccumberet, cuſtodiret. Quòd ſi dicat quis, Angelum ad eum fuiſſe miſſum, qui eum in agonia confortaret: Reſpondet S. Damaſcenus, Angelum illum non propoſuiſſe Chriſto rationem quæ ipſum lateret, quamque non haberet pręſentem, ſed tantùm allocutio quędam familiaris fuit, quæ repręſentauit quicquid rerum gerebatur; etenim ipſe Chriſtus habuit

1. p. qu. 113. art. 4. ad 1.

Matth. 4.

Lib. de fide cap. 3.

buit Angelos, non velut Conſiliarios & defenſores, ſed tanquam miniſtros & famulos. Ita incarnationis ſuæ miniſtrum habuit Gabriëlem qui Virgini illud indicaret, qui Ioſepho fugam in Ægyptum ad euitandum Herodis furorem conſuleret, qui paſtoribus fœliciſſimam natiuitatem nunciaret, &c.

Sed ſi ab hac regula, quòd omnibus ſint aſſignati à Deo cuſtodes Angeli, fuit Chriſtus exceptus, ob ſupràdictas rationes; non tamen primi noſtri Parentes, quandiu etiam in ſtatu innocentiæ fuerunt, vt ſtatuit S. Thomas; quia in illo ſtatu non fuit homo impeccabilis, cùm de facto tentatus à Diabolo mediâ muliere peccauerit, & deinde in multis indigebant diuina protectione, vt non læderentur ab extrinſecis agentibus & obiectis, & proinde recta prouidentia poſtulabat, vt cuſtodes Angelos haberent. Poſteri etiam Adæ cùm in gratia non fuiſſent confirmati (dato etiam quòd in florentiſſimo illo innocentiæ ſtatu perſtitiſſent) vt docet S. Auguſtinus, [a] quem ſequitur S. Thomas, [b] Angelis quoque cuſtodibus indiguiſſent, nullus ſiquidem dubitat quin mille periculis expoſiti fuiſſent. Deinde hoc fulcro ad virtutem ardentiùs capeſcendam eguiſſent

a *Lib. 1. retract. c. 13.*
b 1. *p. qu.* 100.

Quod ſpectat ad B. Virginem Mariam, etiamſi mater Dei fuerit, & ſanctiſſima, quia tamen non fuit intrinſecè impeccabilis, ſed tantum extrinſecè per ſpecialem protectionem, in quantum erat in gratia confirmata, Angelum cuſtodem habuit, quem Hugo de Sancto Victore, & S. Bernardus dicunt fuiſſe Gabriëlem, qui, vt S. Ambroſius ſcribit, eam conſolabatur, & animabat exteriùs, illamque de multis vt nuntius illi à Deo directus erudiebat; quanquam vt Dei mater, & ipſorum Angelorum Regina eorum perfectionem longè antecelleret: Hic Gabriel illi myſterium incarnationis aperuit, hic Ioſephum admonuit de fuga in Ægyptum, & poſteà de reditu in Iudæam, vt antea diximus. O quot pericula euaſit in tali fuga! quot inſidias machinantis Herodis! quot dolores, triſtitias, & tribulationes in paſſione filij ſui ſuſtinuit! conueniens ergo erat vt inter tot diſcrimina cuſtodem & conſolatorem Angelum haberet. Scribit autem Andreas Cretenſis, non ſolùm habuiſſe Archangelum Gabrielem cuſtodem, ſed tanquam Reginam Cæli & Angelorum dominam, multis ipſorum turmis circũdatam fuiſſe, æquum iuſtumque fuit, nec indecens fuit, ſicut nulla eſt indecentia ſi Rex multis militibus & ſeruis ſtipatus, ab ijs protegatur. Nonne Elizæus multa habuit Angelorum millia, qui partes eius agerent? Nihil ergo mirum ſi idem de B. Virgine cenſant Patres, ipſa agmina duce-

Andr. Cret.

Gregor. Nicomed. bat Gabriel, vt ait Gregorius Nicomedienſis in Oratione de Maria in templo oblata. Hæc doctrina in Canticis confirmatur; ibi enim *Cant. 7.* dicitur Sunamitem, hoc eſt virginem, vt interpretantur Patres, choros caſtrorum habuiſſe; Chori enim caſtrorum ſunt cæleſtium ciuium agmina, atque legiones armatæ, quæ ſanctiſſimam illam Virginem exhilarabant; ideò chori mirâ quâdam melodiâ, decantantes di- *Toſtatus in cap. 11 Matth.* uinas laudes dicuntur. Nota porrò id quod habet Abulenſis B. Virginem habuiſſe duos cuſtodes, vnum vt perſona erat priuata: alterum vt erat mater Dei, quandiu officium matris exercuit, ſicut antea diximus.

CAPVT XIV.

SECTIO I.

Quænam Angelos ad noſtri cuſtodiam alliciant.

Angeli cuſtodes noſtri ſunt, quòd ſciant Deum ita velle.

MVLTA ſunt quæ Angelos ad hanc cuſtodiam alliciunt & mouent. Primò quia cùm ingenti & incomparabili mentis acumine polleant, & omnia in verbo contemplentur, atque egregiâ voluntate ſint prędîti, Deum Opt. Max. velle & illis imperare talem cuſtodiam intelligunt, & ſummo ſtudio illi parere ſtudentes, ſe ſe libentiſſimè ad hoc mirificum cuſtodiæ opus accingunt, eos quorum ſe ſciunt adminiſtratores ſpiritus inſtitutos, ſuo conſilio regunt, præſidio & ope iuuant & tuentur, cæleſti luce colluſtrant, & ad diuini numinis cultum & religionem beneficijs alliciunt, ac tandem ſi qui hoſtes in eos incurrant, eorumdem impetum retundunt: & in hoc tantæ charitatis æſtu, erga Deum & homines ſunt incenſi, vt dum pluribus bene faciunt, nihil magis quàm diuinam gloriam & laudem expetant & promoueant, vt Bloſius benè notat in dictis *Bloſius.* Patrum: Hi, inquit, pręclariſſimi filij & amici Dei, ac præcellentes cœleſtis palatij principes, ex immodica charitate ſua tibi ad ſeruiendum (Deo ita diſponente) ſubiecti ſunt, teque tanto ſtudio & cura cuſtodiunt, vt nulla mens id planè capiat. Neque enim vlla vnquam mater erga vnicè dilectum filium ſuum regendum, cuſtodiendum, tuendumque vigilauit, vtì hi beatiſſimi Spiritus ſaluti inuigilant; & præcipuè Angelus proprius, tuæ ſpeciatim cuſtodiæ à Domino deputatus; nam noctu & diù omni loco, & tempore, in cunctis

cauſis & neceſſitatibus tuis, ſumma cùm fidelitate tibi adeſt, & ne ad momentum quidem vnquam à te recedit. Sanè cùm cœleſtes illi ſpiritus videant & cognoſcant quàm admirabili, immenſo, atque ardenti amore, & tuus & ipſorum Dominus te proſequatur, hinc etiam & ipſi tantâ dilectione te complectuntur, vt à nullo id dignè queat exprimi. Reuolue quęſo ſępiùs tanta erga te diuini amoris documenta, & à peccatis quibus Deum & Angelos offendiſti, diligenter abſtine, hęc Bloſius.

Secundò, ipſi Angeli, quamuis tantæ dignitatis ſint in natura, in gratia & in gloria, vt potiſſimùm in natura cunctos excedant homines, qui eorum reſpectu, quaſi vermes repræſentari poſſunt, non dedignantur tamen illis inſeruire, & profectò nollet Princeps homo vilem puerum ſic cuſtodire & comitari. Si verò percunctetur quis, cur id non dedignetur Princeps Angelus. Reſpondet Chriſtus quòd ipſi *Angeli ſemper vident faciem Patris.* Vt habetur apud Matthæum. *Matth. 18.* Ex hac enim viſione diuina, oritur in eis ſumma charitas, vnus affectus, vnaque voluntas & indiuidua cum diuina. Cùm ergò videant diuinum cor verſum ad homines tanto deſiderio & amore, cúmque intelligant gratiſſimam eſſe Deo hominum ſalutem, & in hoc eidem maximè ſe placituros, ſi tali hominum cuſtodiæ incumbant; eius facti coadiutores, tantâ charitate ipſorum hominum tutelam ſuſcipiunt, vt nobis ſit planè inexcogitabilis. Quâ ratione Pſaltes ait: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*, id eſt *Pſalm. 103.* eos quos creauit Spiritus, facit Angelos & nuntios ſuos ad nos, & quos miniſtros noſtros efficit, vult vt tantâ in nos flagrent charitate, vt ſint quaſi flamma ignis; eiſque contingit quod Ioab, videns quòd cor Regis verſum eſſet ad Abſalom, curauit continuò eius reconciliationem: *2. Reg. 14.* vident Angeli cor Dei verſum ad nos profugos filios, & & ideo ad nos quoque ſua vertunt corda. Hinc Raphaël Angelus ad Tobiam: *Cùm eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram, nolite timere*; *Tob. 12.* id eſt, non miremini, quià cùm in eo Deo placerem, mihi gratiſſimùm erat filio tuo inſeruire. Hominem prætereà vt nitidiſſimum quoddam numinis ſpeculum intuentur, & in eo expreſſam Domini ſui ſpeciem atque imaginem ſuſpiciunt, cuius idcircò amore flagrant, & eundem ſingulari beneuolentiâ proſequuntur.

SECTIO II.

Alia ratio notanda, Cur Angeli ad noſtri cuſtodiam alliciantur.

VLTRA prædictas rationes quibus ad noſtri cuſtodiam boni Angeli alliciuntur, vna eſt non exigui ponderis & momenti, cur id libenti animo præſtent; Etenim, ſi Regis miniſtri, Regem iter facientem viderent ab equo deſcendere, & pauperculum humi iacentem ſubleuare, eique auxilium ferre, & longo ſpatio comitari, necnon ſuis humeris & manibus portare, proculdubiò ipſi miniſtri & ſerui, libenti animo ac maximo cum gaudio idipſum præſtarent, nullo etiam indicante, aut imperante. Cùm autem homo iaceret, ac maximis miſerijs opprimeretur, Chriſtus Rex Regum ob nimiam quâ mundum dilexit charitatem, exultauit vt Gigas ad currendam viam, è cælo deſcendit, hominem ſubleuauit, ei auxilium tulit, multa pro eo paſſus eſt, ita vt vir dolorum, non habens ſpeciem & decorem dictus ſit, ei inſeruiuit, ac eius fuit miniſter, *Non veni miniſtrari ſed miniſtrare*, inquit apud S. Matthæum; non mirum itaque ſi Angeli, Dei miniſtri & famuli id conſpicientes idem celeres præſtent, atque ſubleuare & cuſtodire hominem nitantur & ſtudeant, prout præclarè docet S. Cyrillus Alexand. comment. in Oſeam: *Sunt*, inquit, *Spiritus adminiſtratorij, iuxtà B. Paulum, ſurſum & deorſum diſcurrentes, & miſſi in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, valorem animarum illorum apprimè cognoſcentes, tùm quòd nouerint diuinam majeſtatem infinitam in earum gratiam, è cælo voluiſſe deſcendere, & tam indigna pati, tùm etiam quià continuò vident faciem Patris, & in ea animarum ipſarum pretium contemplantur.* Id nobis eſt notum apud Ioannem, vbi aiebat Chriſtus: *Amen dico vobis videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuprà filium hominis.* Quid quæſo eſt illud, *aſcendentes & deſcendentes ſuprà filium hominis?* Origenes in Ezechielem hâc ratione locum exponit, id eſt ad exemplum filij hominis, ſemper quidem multam hominum curam egerunt Angeli, cæterùm poſtquam hauſerunt exempla Chriſti Domini, feruentiùs in noſtrum inuigilant ſalutem, Chriſtus enim pro hominibus tot paſſus, pupugit quidem Angelos vt majori vigilantiâ hominibus conſulerent. Quod ſanè ſatis ſuperque innuit ſcri-

Angeli cuſtodes noſtri ſunt ad Chriſti imitationem, &c.

Matth. 20.

S. Cyrill. Alex. Comment. in Oſeam.

Hebr. 1.

Ioan. 1.

Hom. 1.

ptura: *Vidit Iacob in ſomnis ſcalam ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ, dicentem ſibi, Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tuis &c.* Vide quantam curã gerant Angeli ipſius Iacob, ſiquidem nullus feriatur, omnes in bonum illius inuigilant, inſtar apum mel & ceram conficientium & componentium; dormiebat quidem ille, ſed Angeli ad eum miſſi non dormiebant, ſed & circà illum vigilabant, vt notum nobis eſſet quòd nec vigilantibus, nec dormientibus nobis deſunt ſancti Angeli. Vtinam videre fas eſſet, quantâ curâ & diligentiâ, tutelares noſtri ſpiritus nunc aſcendant, nunc deſcendant pro nobis, quemadmodum illi Patriarchæ Iacob oſtenſum eſt in viſu, per ſcalam illam in qua Angeli aſcendebant & deſcendebant. Porrò aſcendunt Angeli, neceſſitates noſtras exponendo, bona & preces offerendo, vt iam ſuprà fuſiùs notauimus, opemque nobis & miſericordiam à cæleſti Patre implorando; deſcendunt verò deferendo ad nos à Deo cæleſtes inſpirationes, ſanctas cogitationes, aliaque diuina auxilia, quibus iuuemur in ſpirituali militia, & maiores in dies progreſſus in virtute faciamus. Sed quid eſt ergò quod Angelos impulit in tutelam ipſius Iacob, & in noſtram quoque eos impellit & inducit? quia viderant Dominum innixum ſcalæ proſpicientem ipſi Iacob. Hæc cura conditoris, Angelorum curam vrgebat: imò verò Dominus innixus ſcalæ, hoc eſt Chriſtus affixus cruci: Chriſti ergò exemplum in cruce pro nobis patientis, Angelos ad noſtram traxit & impulit tutelam ac cuſtodiam; & proptereà aliqui exiſtimant additum fuiſſe hoc loco *Angelos Dei*, non enim ait Scriptura: *Vidit Angelos aſcendentes & deſcendentes, ſed Angelos Dei.* Sanè omnes Angeli ſunt Dei, & vbique ſunt Dei, ſed præcipuè hoc loco dicuntur *Dei*, id eſt Angeli quos Deus ſuo exemplo in bonum hominum vrgebat. Hinc verba Origenis ſequuntur, *Deſcendunt Angeli quia prius deſcendit Chriſtus.* Pſaltes Regius, vt nonnulli ſcriptores ſacri docent, id nobis indicare videtur, quando ait: *Domine inclina cælos tuos & deſcende:* Verùm vt Dei Verbum noſtram aſſumpturus carnem, noſtro concipiendi modo deſcendat, cur neceſſum eſt orbes empyreos ſimul inflecti? certum eſt cælos à ſuo ſitu dimoueri non poſſe, ſed tantùm circulariter moueri, ſed cælorum nomine Angelos debere intelligi. Sed contemplemur, quemadmodum priuſquàm Verbum caro factum ſit, Angelicæ mentes (ſi cogitemus more humano) quaſi dedignabantur mortalibus pares referre honores, nam cùm Ioſue apparuiſſet vnus, cecidit ille pronus in terram, & adorauit, & tamen ipſi quanquam Hebræorum duci, nec ſe inclinauit, nec prohibuit ſubmiſſionis notas, at verò poſtquam in

Geneſ. 28.

Angeli in bonum noſtrum inuigilant, & quomodo.

Pſal. 143.

Ioſue 5.

Angeli magni faciunt homines poſt

Chriſti incarnationem. *Apoc. 19.*

carne apparuit Deus, cum ad pedes Angeli prolaberetur Ioannes, non ſuſtinuit, inquiens: *Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum.* Quorſum antè Verbi incarnationem, adorari ſe Angeli permittunt, poſteà reſpuunt? quoniam Dei Filium deſcendentem viderant, ideò Regis ſui exemplo moti, ipſi ſe tanquam cæli inclinarunt, ſcilicet in nocte cœnæ, quando tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, illum conſpexerant ad Iudæ impuriſſimos pedes procumbentem, lauantem, & linteo tergentem: Quod igitur à Rectore ſuo perpetrari cernunt, ingrauatè peragunt, nihil contemnendum putant, nihil vile poſtquam arriſit capiti: hoc igitur eſt, cælos inclinari, quià nempè viderant cælorum Monarcham deſcendentem. Hanc conſiderationem aliquo modo S. Bernardus inſinuat: *Quidni, inquit, mittat Angelos, pro quibus & ipſe à patre voluit mitti? quidni pro eis inclinet calos pro quibus ipſe quoque calorum Rex inclinanit ſe? ita vt digito in terram ſcriberet, Domine inclina calos tuos? parum eſt, & deſcende.*

Serm. 5 dedicationis Eccleſia.

SECTIO III.

Ob tria potiſſimùm noſtri curam agunt Angeli.

HIs omnibus ſuprà allatis rationibus, quibus nobis innoteſcit Angelos ad noſtram adduci & moueri cuſtodiam & protectionem, illam quæ eſt à Villa noua Archiepiſcopi Valentini, iudicauimus non eſſe prętermittendam. Ille ergo ſermone de S. Michaële hæc habet: *Vnde obſecro Angelis tanta cum hominibus amicitia? vnde pro eis tanta ſollicitudo? Ex tribus nempe* (inquit) *vt opinor, libenter enim noſtri curam agunt, propter Deum, propter ſcipſos, propter nos*: & id videtur deſumpſiſſe ex Sancto Bernardo ſermone de Sancto Michaële: propter Deum qui eis hoc cuſtodiæ officium iniungit, & eos mittit *in miniſterium propter eos qui hæredìtatem capiunt ſalutis.* Non igitur dedignantur ſeruire illis, quibus Dominus eorum è cęlo miniſtrare deſcendit, & ſufficit eis quòd in hoc, Domino ſuo placent. Ad quod etiam, valdè inuitat eos illa benedicta hominis forma, quam in Domino ſuo nimis amant & venerantur: Non deſpiciunt homines maximè ex quo Dominus eorum factus eſt homo; norunt etiam quia animæ iuſtorum ſedes Dei ſunt, & equi potentiſſimi quibus Dominus eorum inſidet, in quibus etiam terribilia & fortia operatur aduersùs Dæmoniorum phalanges. Sicut igitur vernaculus equum domini ſui omni ſollicitudine curat &

Serm. 2.

S. Bern.

Ob tria noſtri curam agunt Angeli.

Heb. 1.

mundat, quo non ignorat ſe multò præſtantiorem eſſe, ſed propter dominum ſuum libenter inſeruit iumento, cùm ſit ipſe rationalis: Ita Angelus licèt naturâ nobilior ſit homine, tamen propter Deum ſeſſorem eius illi ſeruire non dedignatur, ſed omnia agit, quòd domino ſuo libeat inſidere animæ, quam tam miro ſtudio ornat, & præparat, in qua cùm aſſidere Deum viderit, ipſe animo exultat. Nulli autem mirum videatur ſi hominum animæ vel etiam ipſi homines, equis comparentur, nam ipſamet Chriſti humanitas equo in Scripturis comparari ſolet, vt apud Zachariam: *Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum.* Zach. 1. Hic vir Chriſtus eſt (inquiunt Sancti Patres) & equus rufus benedicta eſt eius humanitas purpureo ſanguine rubricata. Eodem modo explicatur ille locus Apocalypſis, *Et vidi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret*; Apoc. 6. ibi ſancta Chriſti humanitas alba dicitur, ob eius puritatem & caſtitatem, &c.

Deinde etiam hoc cuſtodiæ munus, Angeli propter ſeipſos exequuntur, nempe quia ſciunt ciuitatis ſuæ ruinas non aliter quàm per homines reparandas, neque aliter antiquam illam ciuium ſuorum plenitudinem, ciuitatem eorum recuperaturam eſſe, quam hominibus ad Angelicæ dignitatis gradum aſſumptis, ſicut ſcriptum eſt apud Pſalmiſtam: *Iudicabit in nationibus implebit ruinas*, &c. Pſal. 109. Ipſi ergo Angeli, homines tanquam lapides viuos vt boni artifices ad ſtructuram, atque ſuæ ciuitatis reparandam ruinam expoliunt. Neque tamen dixerim homines ad hoc fuiſſe conditos, vt per illos Angelorum ruina reparetur, non enim propter Angelum, ſed propter Deum creatus eſt homo, ſicut Angelus; vnde vnus Angelus in Apocalypſi ſe S. Ioannis conſeruum nominat, & & fratrem habentium teſtimonium Ieſu, id eſt fidelium; Apoc. 19. quod non dixiſſet, ſed potiùs quaſi ſe eius dominum, ſi propter Angelicam naturam eſſet creata humana. Quamuis ergo nunquam cecidiſſet Angelus, nihilominùs tamen homo conditus eſſet ad ſui conditoris gloriam, ad quam nunc conditus eſt, accidit tamen vt cadente Angelo, homo ſic ad Dei gloriam conditus, dum ad cœleſtia ſubleuatur, in priſtinum decorem & primam Angelorum plenitudinem, ſublimis illa ciuitas reparetur; & confirmatur auctoritate Sancti Auguſtini: *Diligunt conciues ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras reſtaurari expectant.* Lib. ſoliloq. cap. 27.

Tertiò, ipſi Angeli propter nos inſeruiunt nobis, miſerentur enim ſortem noſtram, videntes periculum noſtrum & laborem vitæ noſtræ, quia conſpiciunt nos in magno diſcrimine poſitos, in medio ſcilicet, inter gloriam & gehennam, quibus aut perpetuò regnan-

dum eſt aut ardendum, & in tanto diſcrimine conſtitutos, omni ſollicitudine curant in bonam partem deflectere, immò (ait quidam grauiſſimus Auctor) ipſi licèt natura, gratia & meritis, multùm nos ſuperent, cupiunt tamen atque etiam ſatagunt vt eos excedamus gloriâ, & ſic minimè grauantur curam noſtri habere & continuam cuſtodiam, in vita, in infantia, pueritia & omni ætate; in conſilijs, periculis, & diuerſo ſtatu vitæ, vt aliàs fuſiùs dictum eſt. O qualis obedientia, & qualis humilitas! quòd tam ſublimes creaturæ, propter Deum, & nos ipſos, quos maximo proſequuntur amore, tam vili obſequio ſe ſe nobis ſubijciant, & continuò nobiſcum in terris conuerſentur. Quis noſtrûm obſecro vellet aut etiam poſſet, etſi propter Deum, vilium formicarum & muſcarum ſic curam habere, idque diu vt continuò miniſtraret illis? quinam verò reſpectu Angelorum nos ſumus? muſcis certè ac formicis viliores.

CAPVT XV.

De alijs vtilitatibus, quæ nobis ex Angelorum cuſtodia proueniunt.

QVOT & quantæ vtilitates & commoda, ex Angelorum cuſtodia in homines deriuentur, iam in præcedentibus recenſere incepimus, at pleraque ſunt alia, quæ in ſequentibus à nobis commemoranda ſunt, vt cunctis innoteſcat, quantùm illis pro tanto nobis exhibito affectu, beneuolentiâ, vigilantiâ, & diligentiâ in nobis regendis, inſtruendis, conſeruandis, & protegendis deuincti ſimus.

SECTIO I.

Angeli ſunt Pædagogi noſtri & Conſolatores, malis autem terrori ſunt.

Cap. 13. SANCTVS Baſilius libro de Spiritu ſancto, dum de Angelis noſtris cuſtodibus ſermonem inſtituit, illos vocat Pædagogos
Lib. 3. ac morum noſtrorum gubernatores, & libro contra Eunomium eos

vocat Paſtores ac etiam Pædagogos ad vitam noſtram dirigendam; Angeli ſunt
& alij Patres eos vocant nutritios, curatores, eruditores, manudu- Pædagogi &
ctores noſtros, quia reipsâ pueri & infantes ſumus in rebus ſpiri- Paſtores noſtri, & quomodò.
tualibus, quamuis aliàs ad perfectam ætatem perueuerimus: ſicut
ergo infantes pædagogis & inſtructoribus indigent, qui eos diri-
gant doceant, & inſtruant, ſuaſque mentes bene forment & com-
ponant; ita nos Angelis ne incompoſiti hinc inde vagemur, & ne
motus aliquos incompoſitos, ſiue mente, ſiue corpore, ad modum
puerorum abſque pædagogô & inſtructore, reddere audeamus; ſic
Angelus miſſus fuit ad Danièlem vt illum inſtrueret & dirigeret,
vnde aiebat Danièli: *Nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelli-* *Cap. 9.*
geres. Hinc S. Athanaſius libro de communi eſſentia illos vocat
hominum præceptores, qui nos imbecilles excitant, inducunt,
& promouent ad virtutem, hortantur enim ad bona opera, vt ie-
iunium, eleemoſynam & laudem Dei, confirmant & ad progredien-
dum animum addunt, exprobrant peccata quibus Deum offendi-
mus, & conantur ab illis nos educere: ſed potiſſimùm ſedulò note-
mus ea quæ habet Origenes explicans hęc verba Cantic. *Vineæ* *Cant. 2. Hom. 4 ex quatuor.*
florentes dederunt odorem ſuum. ipſe docet per vineas florentes, ſuum
communicantes odorem, debere Angelos intelligi; *Poſſunt* (in-
quit) *& vites vel vineæ intelligi virtutes cæleſtes & Angelicæ, quæ*
hominibus largiuntur odorem ſuum, id eſt doctrinæ & inſtitutionis
bonum, quo inſtruunt & imbuunt animas, donec ad perfectionem
veniant, & incipiant capaces fieri Dei, ſicut toties ex Apoſtolo di-
ximus: *Nonne ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, pro-* *Ad Hebr. 1.*
pter eos qui hereditatem capiunt ſalutis? & ideò dicuntur ab ipſis,
quaſi primum florem & odorem bonorum operum capere homi-
nes, ipſos vero fructus ab eo ſperare, qui dixit apud Matthæum: *Matt. 26.*
Non bibam amodò de hoc genimine vſque in diem illum cùm illud bi-
bam vobiſcum nouum in regno Patris mei. Et infrà idem Origenes,
Angelicæ (inquit) *virtutes quibus electi quique & beati in reſurrectio-*
ne ſociabuntur, qui erunt ſicut Angeli Dei, ipſæ ſunt florentes vites
& vineæ, quæ odorem doctrinæ vnicuique animæ, & gratiam quam à
conditore ſuſcepit priùs, & nunc iterùm perditam recuperauit, imper-
tiunt, ſuauitateque cæleſtis odoris, fætorem tandem obiectæ ab eis mor-
talitatis corruptioniſque depellunt. Hæc Origenes. Et vt clariùs ha-
bet Creſolius, eo doctrinæ odore & lumine perfuſæ hominum
mentes, ſi maculis ſordibuſque vitiorum obſoleſcunt, vident ſce- *Creſol lib 3. Myſtag. c 3. ſect. 2.*
lerum turpitudinem, & monſtrificam veluti effigiem plenam hor-
roris & contemptionis, intuentur peſtem ante oculos poſitam, cru-
delc exitium, funeſtam calamitatem, ſi ſubitò illo in ſtatu, è cor-

poris domicilio rapiantur. Animaduertunt Numinis iracundiam, arcana iudicia formidabilia hominum generi, mucronem illum in diuinis oraculis pictum, inſtar fulgoris expolitum & vibrantem, illius oculum penetrantem omnia, & retruſas animi cogitationes peruadentem: inſuperabilem potentiam, fortem manum, quam pœnas repetentem, nullius hominis vis doluſque effugiat: Hæc ille. Et poſt pauca. Tum blandiùs radium inijciens intimum in animum, perſpicuè illi oſtendit ſceleris infamiam, labem animi, inexplicabilem hominum ſtultitiam, malo ſuo lætantium, ingratæ mentis indignitatem: demonſtrat diuinæ gratiæ vim & pulchritudinem, quæ nequitiâ perditur, quâ perditâ fit homo Dęmonis ludibrium, Erebi ſpolium, cœli exul: ponit ante oculos conſcientiæ bonæ lætitiam, quæ omnem corporis voluptatem, liquido animi gaudio & iucunditate antecellat; hęc & ſimilia Angelus Pædagogus noſter, conſuetâ ſuâ illuminatione patefacit: quomodo autem id fiat, clariùs Sectione ſequenti eluceſcet. Interim ſi meritò magni fieret à quoquam, poſſe de rebus cœleſtibus & diuinis, conferre cum aliquo antiquorum Prophetarum, Iſaïa, Hieremia, vel ſapientiſſimo Salomone, ad quem audiendum & conſulendum Regina Auſtri venit à finibus terræ: quanti ęſtimari à nobis oporteret, erudiri poſſe à natura adeò ſuperiori? quanto perfundi debemus gaudio quòd tantos tamque eximios Doctores & Pædagogos habeamus? De huiuſmodi ingentem concipiebat lætitiam Abbas Anuphius, vt referunt Ruffinus [a], & Palladius [b]. Ipſe enim triduò ante mortem, faſſus eſt ijs qui ipſum diuino afflatu inuiſerant, continenter ſe in illa ſolitudine in qua morabatur, Angelico miniſterio fuiſſe enutritum, ſicut Heliam ſemel iterumque in tertio libro Regum, & non ſolùm eius cuſtodem Angelum ei perpetuò aſtitiſſe, ſed etiam de quacumque virtute docuiſſe.

a *Lib. 2. cap. 10.*
b *Cap. 55. & ſeqq.*
3. Reg. 19.

Conſolandis etiam nobis incumbunt Angeli, atque benedictionis diuinæ teſtimonia nobis annuntiant, in quo illorum legationes eſſe hominibus fauſtas, aſſerunt Sancti Patres: ſic benedixit Deus Iacob poſt pugnam per Angelum, illumque eſt valdè conſolatus. Conſolatus eſt etiam Angelus Agar fugientem à facie dominæ ſuæ, dixitque ei: *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu eius*; & ſic eius mœrorem & triſtitiam dum eſſet in ſolitudine fugitiua abſterſit. Conſtat etiam de Gedeone, ad quem conſolandum miſit Deus Angelum, qui honorificè eum ſalutauit dicens, *Dominus tecum virorum fortiſſime*, vt exanimatum animaret, & de fuga cogitantem retineret. Sic Angelus Raphaël conſolatus eſt Tobiam, dum ei dixit loquens de filio ſuo quemad po-

Gen. 32.
Angeli homines conſolantur.
Gen 16.

regrinandum ſuſcipiebat ducendum: *Ego ſanum ducam filium tuum, & reducam.* Sic in reditu dum ipſum eius filium ſanum & incolumem ei repræſentauit, non minori conſolatione eum affecit. Sic Heliæ apparuit vnus Angelus confortans & conſolans eum in perſecutione Iezabel, cum pane ſubcinericio, & dicens: *Surge, grandis tibi reſtat via.* Ita conſolatus eſt vnus de Seraphinis Iſaïam dicentem; *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego ſum*; volauit namque ad eum ſtatim, habens in manu calculum ignitum, quo tetigit os eius, & mundata ſunt eius peccata. Conſolatus eſt & Angelus Daniëlem, viribus deſtitutum propter viſionem diuinam. Apparuit quoque Angelus de cœlo Chriſto Domino, dum eſſet in horto in agonia conſtitutus, vt illum confortaret; & mulieribus venientibus ad ſepulchrum Domini qui iam à mortuis reſurrexerat: Vt contrà, Angeli boni ibidem terruerunt cuſtodes ſepulchri, & facti ſunt velut mortui. Terruit & Angelus poſitus ad portas Paradiſi terreſtris primos parentes noſtros inde eiectos, vt eo metu ad pœnitentiæ remedium confugerent. Sic terruit Balaam & eius aſinam, vt ab inſtituto peruerſo itinere, & à maledictione quam Iſraëlitico populo inferre volebat, deſiſteret. Terruit & Moyſem in itinere, quo in Ægyptum ad Pharaonem redibat, volens illum occidere, quod genitum ex Sephora deferret ſecum incircunciſum, donec circunciſus fuit. Ipſe etiam Moſes meminit Deum per Angelos terrere malos, & Deum dixiſſe, *Hodie incipiam mittere terrorem ac formidinem tuam, in populos qui habitant ſub omni Cælo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur.* Et in libris Regum, Dominus per Angelos ſuos fecit audiri ſonitum, in caſtris Syriorum obſidentium Samariam, curruum & equorum, & exercitus plurimi, vt ſoluentes obſidionem fugerent relictis omnibus, & ſaluarent animas ſuas. Illud porrò proprium bonis Angelis, vt cùm malos terrent, illorum deſiderent ad Deum conuerſionem & ſalutem. O quot igitur & quantis fauoribus nos proſequuntur Pædagogi illi noſtri, ac conſolatores ſanctiſſimi & pijſſimi! exhibent enim ſe nobis non ſolùm vt magiſtros, Pędagogos & conſolatores, verùm etiam, vt paranymphos, baiulos, amicos, duces, ac ſodales, & omni nos quo poſſunt officio iuuant, lętis applaudunt, pſallentibus concinunt, pœnitentibus aſſiſtunt, ſolantur mœſtos, releuant afflictos, ſubleuant lapſos, reficiunt famelicos, erigunt puſillanimes, roborant prælìantes, coronant vincentes. Alexander Magnus ſe fœlicem olim exiſtimabat, quòd Ari-

Tob. 5.
3. Reg. 19.
Eſai 6.
Dan. 10.
Luc. 22.
Matth. 28.
Angeli etiam boni, malis terrori ſunt.
Geneſ 3.
Num. 22.
Exod. 4.
Deut. 2.
4. Reg. 7.
In quantis nobis faueant Angeli.

ſtolem in pædagogum, & ſuorum ſtudiorum directorem ac morum ducem haberet, ſed multò maiori ratione nos ipſos fœlices exiſtimare debemus, quòd non homines, nec Philoſophos, ſed Angelos illis longè ſapientiores, cunctiſque Regibus & Principibus mundi huius potentiores, à Deo deſtinatos in Pædagogos, duces, conſolatores, ac cuſtodes fideliſſimos habeamus. Si totius orbis Imperator, aut Rex aliquis potentiſſimus, omniumque Philoſophorum ſcientiâ eruditus, aliquem infantulum, & pro derelicto habitum, regere, inſtruere, nutrire, conſolari, & protegere dignaretur, & continuò illum comitari vellet, ſtupenda profectò, ac mirabilis eſſet hæc dignatio, atque omnium in ore & admiratione eſſet, & tamen hoc nihil eſt reſpectu Angeli, homines tanquam pueros illius reſpectu gubernantis. Nonne igitur rationi eſt conſentaneum, vt a tali rectore & magiſtro dependeamus? & præterea, quod adhuc ſupereſt, maximam ei obedientiam pręſtemus & fidelitatem, in omnibus promptè exequendis, quæ à Deo ſuggerit nobis; veniam petamus quòd tandiu ei reſtitimus, ac in poſterum cor noſtrum & voluntatem, directioni eius & votis inclinemus, vt tandem ad eius ſocietatem in cælis peruenire mereamur. Hæc omnia fundamentum videntur habere apud Exodum: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat in via, & inducat in locum quem præparaui, obſerua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo. Quòd ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedétque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Heuæum, & Iebuzæum, quos ego conteram*; Quæ ſententia etiamſi potiſſimùm de Hebræis olim intelligatur, ad quos conducendos, regendos, inſtruendos, & conſolandos, immo & caſtigandos dum opus erat, Angelum deſtinabat Deus, veruntamen ad vnumquemque noſtrum etiam referri poteſt, cùm ex ſupradictis ſatis conſtet, Angelos cuſtodes noſtros ad eum modum ſeſe ergà nos exhibere, dum ex Dei iuſſu mentes noſtras & intellectum illuminant, veritates quas ab ipſo Deo hauriunt, nobis annuntiant & communicant, vt de S. Ioanne Euangeliſta patet, cui Angelus Dei iuſſu, myſteria in Apocalypſi contenta reuelauit: & aliquando ſecundùm Dei voluntatem, nos quoque caſtigatione admonent, & tandem in locum quem parauit nobis Dominus, hoc eſt cælum introducunt.

Exod. 23.

SECTIO II.

Quomodo Angeli nos illuminant atque inſtruunt, vt verè dici Pædagogi noſtri queant.

QVONIAM ſuperiori ſectione oſtendimus Angelos noſtros cuſtodes, eſſe verè noſtros pædagogos & conſolatores; nunc videndum quomodo vt tales denominentur, nos illuminant atque inſtruunt, ad hoc vt nos excitent ac moueant, tum ad operandum bonum, tum ad cauendum malum & præcipuè ſpirituale, quod imminere prçuident.

Primò, id præſtare poſſunt per ſenſus exteriores, formando externas voces quibus nobiſcum loquantur. Hâc ratione loquuti ſunt cum Abrahamo, Loth, Moyſe, Ioſue, Gedeone, & S. Gabriel cum Virgine Maria Dei Matre; & ſæpe eâdem hâc ratione in aſſumptis corporibus loquuntur, pro iuſtorum bono, naturali ſua virtute, & Deo ſic diſponente.

Angeli quatuor modis nos illuminant & inſtruunt.

Secundò, Poſſunt ſpecies ſenſitiuas intrà potentiarum organa ordinare, & ita diſponere, vt quæ in bonum noſtrum erunt ſuggerenda, quaſi optimo typo edita, intrà animam legamus, & ad bona opera nos accingamus.

Tertiò, Poſſunt nos illuminare & inſtruere per interiores ſenſus, quià poſſunt in phantaſia hominis viſiones excitare imaginarias, & per eas rem aliquam abditam & occultã reuelare, vt nonnullis Prophetis accidit: & ob hanc cauſam S. Dionyſius vocat cæleſtes virtutes diuinorum internuntios atque interpretes, hoc enim diuino lumine mens hominum perfuſa, ſuorum ſcelerum turpitudinem & grauitatem conſpicit, ſi obſoleuit aliquando in criminibus & peccatis. Itaque ſunt mediatores & arbitri, (ſic enim vocantur à Philone libro de ſomnijs) inter Deum & homines. Ad hoc propoſitum non pigebit hîc referre quod narrat Mannus in ſelectis hiſtorijs de eo quod in vrbe Caſtellani accidit; nonnulli ciues ex primarijs ciuitatis condixerant & inter ſe conuenerant, vt ad vicinas ſyluas campeſtres proficiſcerentur venationis gratiâ, per dies aliquos feras indagando: cùm verò profecti operam venationi darent, contigit vt cælum quod ſerenum fuerat inceperit ità nubibus obtegi, vt paulò poſt grandis pluuia ſuper terram effunderetur: flabant venti, mugiebant tonitrua, ſcintillabant coruſcationes, ita vt venatores gra-

Philo.

Cap. 405.

ui procellâ ſub dio agitarentur; & cùm pluuiæ cadentis impetum ferre non poſſent, cum equis & canibus, in vicinum collatebroſum ſpecus quod excauatum erat ſe receperunt; cùm autem ibi morarentur donec miteſceret tempeſtas, vnus ex illis ſenſit cor ſuum formidine repleri, quaſi omnibus ibi commorantibus mors inſtaret: quamobrem commotione illâ pulſatus, proclamauit pluries altâ voce, fugiamùs hinc, recedamus ab hoc ſpecu ſi mori nolumus; & quanquam id quod dicebat non videretur ſatis conſentaneum rationi, cùm moriendi cauſa non appareret, omnes tamen trepidi ex ſpecu illo receſſerunt, quanquam imber magis quàm priùs increbreſceret: vix pedes extrà ſpeluncam dimouerant quando à mugiente nube tremendum fulmen ſuper altum antri foramen exploditur, ſpelunca fulmine tacta ſtatim corruit, omnes niſi receſſiſſent oppreſſura; illi verò trementes domum reuerſi, gratias egerunt Deo liberatori, diemque illum per ſingulos annos recurrentem, perpetuò obſeruarunt ad Dei honorem. Hæc autem ſalus vllo abſque dubio, illis contigit ab Angelo cuſtode, & ita inter omnes illos conuenit, Angelus quippe illum hominem excitauit per ſenſus interiores, imaginariâ viſione, & inde formidinem, & metum concepit, intellexitque eſſe inſtanter à ſpelunca recedendum.

Quartò, poſſunt Deo diſponente agere in noſtrum intellectum & voluntatem, illuminando videlicet interiùs intellectum, qui ſic illo lumine illuſtratus, proponat voluntati obiectum ſub ratione boni appetendum, hocque modo interiùs excitant ad virtutem & bona opera, auertuntque à cogitationibus impietatis; poſſunt quoque excitare varias paſſiones in appetitu ſenſitiuo, quæ ipſam voluntatem trahant & alliciant, ad deſiderandum quod ſecundùm Deum appetitui delectabile & conueniens eſt: poſſunt inſuper commouere per motum localem, ſpiritus & humores qui ſunt in appetitu ſenſitiuo, & ita eos temperare, vt appetitus afficiatur; vndè poſſunt etiam ſedare in nobis motus inordinatos partis ſenſitiuæ; ſicut contrà poteſt Dęmon & ſolet Deo permittente, ſanguinem in nobis accendere, commouere humores, excitare ſpiritus, inflammare concupiſcentiam & appetitum ſenſualem, vnde peruertatur etiam appetitus rationalis, niſi diuina gratia nos adiuuerit, & boni Angeli conſilium & auxilium. Hîc porrò valdè notanda venit S. Thomæ doctrina, quòd in homine tria ſunt in quæ Spiritus ſeparati agere poſſunt ſed differenter, voluntas, intellectus, & potentiæ aliæ ipſius animæ, affixæ membris organicis corporalibus; in primum ſolus Deus; in ſecundum tantummodò Deus, & bonus Angelus vt illuminet; & in tertium Deo permittente malus ſpiritus age-

a p. q. 105. a. 4. & lib. 3. contrà gentes, cap. 88. & 89. In homine tria ſunt in quæ ſpiritus ſeparati agere poſſunt.

re poteſt, & aliquid imprimere. Sed in poteſtate voluntatis humanæ eſt, immiſſiones factas per Angelos malos acceptare, vel refutare, talia cum Dei gratia inuocata propulſare, vel eâdem neglectâ admittere. Monendi ſunt itaque omnes, vt cùm bonos aliquos motus in ſeipſis ad bene agendum ſentiunt, recordentur illos Deo ita volente & inſpirante, ab Angelis ſuis cuſtodibus excitari, & proindè illicò ad bona opera & virtutes exercendas ſe ſe accingant, & peccata quælibet vitare & fugere curent: *Væ enim nobis* (inquit S. Bernardus) *ſi quando prouocati peccatis, & negligentijs noſtris, indignos nos iudicauerint præſentia & viſitatione ſua.* S. Bern. ſerm. 1. S. Michaelis.

SECTIO III.

Angeli ſunt Medici noſtri.

HÆc veritas conſtat primò ex ſcriptura, nam apud Tobiam legimus ipſum cùm cœcus eſſet, fuiſſe ab Angelo Raphaële à ſua cæcitate ſanatum, vnde aiebat, *Miſit me Dominus vt curarem te*, & propterea dictus eſt Raphaël, id eſt medicina Dei, ille enim infirmitatibus curandis præpoſitus eſt. Angeli ſunt Medici noſtri.

Secundò, in vitis Patrum legimus Hortulanum quendam quaſi putrefactum pedem habentem, non potuiſſe vllâ ratione à medicis vel chirurgis ſanari, multis nonobſtantibus expenſis, cùm itaque conſtituiſſent diem vt inciderent eius pedem, ille in tali diſcrimine conſtitutus ad bonum ſuum Angelum confugit, & noctu Angelus tetigit pedem eius, & ſtatim ſanatus fuit, & exurgens mane abijt in agrum operari, quod admirantes hi qui aduenerant, vt eius pedem ſecarent, fodientem terram eum videntes, Deum glorificarunt qui ei ſanitatem reddiderat. De alio qui monachus erat, refertur fuiſſe quoque ab Angelo ſuo cuſtode ſanatum, cùm enim ei apparuiſſet, & rogaret quidnam pateretur, & reſpondiſſet *hepar doleo*, ſtatim ille digitos manus ſuæ in locum iecoris immittens eum ſanauit, & ait illi: *Ecce ſanus factus es, & ideò ſemper Domino noſtro Ieſu Chriſto ſicut oportet, inſeruias.* Lib. 2.

Ita quoque ſanitatem ab Angelo conſequutus eſt Chriſti miles Zoſimus, cùm enim iubente Domitiano Antiochiæ Piſidiæ Præſide, Trajani Imperatoris temporibus, in æreum grabatum quendam igne candentem nudus iniectus eſſet, Cruciſque ſigno ſe armaſſet, confeſtim igne diuinitùs in rorem conuerſo, incolumis & illæſus inde ab Angelo ereptus eſt. Sic Beda narrat Sanctum Michaëlem B. Lib. 5. Hiſt. Angl. c. 20.

Vuilfrido Epiſcopo Eboracenſi dum ægrotaret apparuiſſe, & ei ſanitatem reſtituiſſe, pollicitumque fuiſſe, poſt quadriennium ſe reuerſurum, tumque in pace vitam terminaturum.

Ita de S. Theodoro martyre legimus, ei aſtitiſſe Angelum, eumque robori & ſanitati reſtituiſſe; & nota eſt eius hiſtoria apud Surium, quòd videlicet poſtquam Licinium Imperatorem acerrimis verbis reprehendit, eique tyrannidem exprobrauit, ipſe Licinius (quòd Deos ex auro & argento conflatos confregerat & pauperibus diſtribuerat) irà accenſus, iuſſit boum neruis eum cædi & pluſquam mille plagas ei inferri, deinde ferreis vngulis lacerari eius carnes. & lampadibus ignis vſtulari eius vulnera, & acutis teſtis radi concretum ſanguinem: poſt hæc martyrem ligno affixerunt per manus & pedes, arbitratus autem impius Licinius eum eſſe mortuum, reliquit in ligno pendentem; circà primam verò vigiliam noctis, adſtans Angelus Domini ſoluit eum, & reddidit eum corpore ſanum ſicut prius fecerat, eumque ſalutauit, & dixit, *Gaudeas & corroboreris in ſapientia & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſe enim tecum eſt, conſumma ergo curſum tuæ decertationis, & ad illum veniens accipies coronam immortalitatis.* Hæc cùm martyri dixiſſet Angelus, ab eo receſſit; Sanctus autem martyr Domino ſuo agebat gratias, & cœpit pſallere: *Exaltabo te Deus meus, Rex meus, & benedicam nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.*

Legimus pariter de Sancta Chriſtiana Virgine ex Italia oriunda, quæ in Deum credens Deos aureos Vrbani patris ſui Præfecti contriuit, & pauperibus diſtribuit; ob hoc iubente Patre alapis afflicta, verberibus dilaniata, & ferro onuſta in carcerem coniecta eſt: poſt hoc cùm diutiſſimè & crudeliſſimè dilaniaretur, & alligata rotæ igne ſuppoſito, & fuſo deſuper oleo torreretur, erumpens flamma mille Gentiles interfecit: iterùm carceri tradita, Angelo viſitante ſanata eſt & refecta, deinde cum magno ſaxi pondere in lacum Volſcenum iactata, Angelico præſidio eſt liberata: lacus & locus hoc martyrio celebris, in via Senenſi non longè a Roma cernitur.

Denique cùm B. Conſtantium Peruſij Epiſcopum, Marci Imperatoris milites grauiſſimis tormentis diuexaſſent, ita vt vires iam illi deficerent, ad Deum toto corde conuerſus orabat, ſuſcipe iam ſpiritum meum Domine, requieſcat in te qui pro te, teipſo iuuante, omni tempore laborauit. Vix dum pias haſce voces emiſerat, cùm ecce præſto eſt ei Angelus Domini, afflictum his verbis confortans, noli timere Conſtanti, ego ſum Angelus Dei, miſit me Chriſtus, vt plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adſim in omnibus vijs tuis, & illicò omnis plaga curata eſt; tunc ille Angelico ſolatio

ſtatio recreatus, gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte qui per Angelum tuum me in anguſtijs confortaſti, & curaſti vulnera mea, nunc verè ſcio te quidem nunquam deſerere ſperantes in te. Ita habetur in vita eius apud Surium.

Quamplures apud grauiſſimos auctores, hiſtorias prędictis ſimiles legimus, quibus conſtat Angelos tanquam verè medicos, immò longè cunctis hominibus medicis pręſtantiores, diuino iuſſu, & ea qua erga genus humanum charitate pollent, multis infirmis & vlceratis integram ſanitatem reſtituiſſe, ſed hic quæ iam ſunt allata ſufficiant.

Quemadmodum autem ipſi meritò dicuntur hominum Medici, inquantùm multos ex illis ſanitati, tum corporali tum ſpirituali reſtituerunt, ita etiam hoc nomine donari poſſunt, inquantùm corrigunt & puniunt eos, qui ſibi committuntur, quando illis expediens eſſe videtur; iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ, vt illos conuertant, & à malo abducant, & vt tandem peccata, etſi venialia caueant, vti beatæ Franciſcæ Romanæ, ex ſingulari Dei priuilegio ac charitate aduenìſſe, legimus in eius vita per Iulium Orſinum è ſocietate Ieſu, vbi affertur per colaphos ſanctiſſimi Angeli cuſtodis, ſicut ei reuelatum poſtea extitit, admoneri ſolitam, vt ab erroribus commiſſis, & poſtea committendis caueret; quod ſimiliter & in alijs legitur Sanctorum hiſtorijs de qua re videndus eſt Andręas Cęſarienſis in Apoc. cap. 47. & cap. 21. vbi expreſsè affirmat Angelos Sanctos eſſe Dei miniſtros ad huiuſmodi pœnas infligendas, tanquam *miſericordes, condolenteſque medicos*, in quo ſumma Dei miſericordia erga homines multùm eluceſcit.

Angeli dicuntur noſtri medici, dum nos corrigunt.

Iul. Orſin. lib. 1. cap. 12.

Andr. Cęſar in Apoc.

SECTIO IV.

Angeli nos à Dæmonibus, & alijs periculis, magna cum vigilantia defendunt & protegunt.

IN lib. Geneſis ſcriptum legimus: *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præeſſet diei & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas.* Hæc verba iuxta anagogem de minori mundo, id eſt de homine, exponit Sophronius Archiepiſcopus Conſtant. Oratione de excellentia Angelorum, vìdelicet, ſicut orbis terrarum, & hæc rerum vniuerſitas gubernatur luce ſolis per diem, & miniſterio lunæ pro noctem, non aliter homo qui minor mundus iure dicitur

Geneſ. 1.

Orat. 6.

duplici prouidentiâ in finem ſuum dirigitur, nempè diuinâ prouidentiâ tanquam ſole, & Angelica tanquam Luna. Ergo ſicut abſente Sole noctis tenebras depellit Luna, ſic inter huius mundi denſam caliginem & peccatorum tenebras quas Dęmones tenebrarum principes nobis ingerunt, protegimur Angelorum cuſtodiâ. Ipſi Angeli cuſtodes tanquam ſtrenui milites ſub vexillo Chriſti Domini, Diabolicas poteſtates in decipiendis nobis, innumeras concipientes fraudes & mille artibus furioſè vtentes, aſſiduo certamine dimicant, & animos nobis de obtinenda victoria inijciunt. Et profectò cùm nullum ſit fraudis genus & ſtratagematum, quod non illis excellenti ratione cognitum ſit, & prętereà tot experientia annorum, tot rerum euentu expoliti & limati ſint, toties victores, qui triumphos vix numerent ſuos, non de mediocribus tantùm, ſed de magnis & fortiſſimis etiam Eccleſiæ ducibus reportatos: cùm (inquam) eorum robur, atq; infatigabilis potentia eorum calliditati & immanitati iuncta tanta ſit, vt cũ eis cõparati vix locuſtæ videamur, quid in his periculis tam certis, tam continuis, nos imbecilles, & quaſi pueri agere poſſemus cum tantis hoſtibus pugnaturi, niſi nobis de Angelorum præſidio clementiſſimus Deus prouidiſſet? Pugnant igitur pro nobis cæleſtes illi Principes qui à primo ſui ortu, cingulo militiæ donati, palma & lauris glorioſè redimiti Sathanam, è cælo pepulerunt, vt fuſiùs in proprio tractatu de ipſis Angelis malis dicemus: & hoc eſt quod clariſſimè docet Granatenſis, quia, inquit, quandiu in corpore militamus, non deſunt ſpiritus nequam qui ſint ad malum incentores, non deſunt etiam Angeli qui ſint ad bonum hortatores, qui videlicet nos præcedant, hoc eſt qui lucem nobis ad veritatis cognitionem præferant, qui viam quâ itur in cælum monſtrent, qui ab hoſtibus tueantur, qui à ſceleribus auocent, & ad honeſta ſemper inducant: ſicut ergò illi mala ſemper ſuggerunt, ità contrà iſti ſemper honeſta ſuadent, & cùm vident innumeram dæmonum inſidiantium multitudinem, quorum omne ſtudium eſt laqueos parare & offendicula ponere, vt homines illaqueentur, capiantur & in interitum ruant, illi aduerſùs eos pugnant, & technas eorum auertunt, fraudéſque diſſipant, vt exemplum habemus de ſancto Raphaële apud Tobiam: *Qui apprehendit dæmonium: & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti*; ita Angeli noſtri cuſtodes terrori ſunt ipſis Dæmonibus inimicis noſtris, & maximâ potentiâ illorum furorem compeſcunt; vnde Abbas Moyſes ſemel vidit multitudinem Dæmonum, & hi erant confuſi & turbantes ſe ad pugnandum, & hi erant ad occaſum, & mox reſpiciens ad orientem, vidit longè majorem multitudinem Angelorum in gloria, qui miſſi erant ad

[Margin notes:]
Angeli nos à Dæmonibus, & aliis periculis defendunt & protegunt.

Concio. de S. Mich.

Tob. 8.

Lib. 6. de Vitis SS. PP.

Angeli Dæmonibus terrori ſunt.

auxiliandum; & id præclarè docet S. Bernardus in Cantica Canticorum: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit.* Sanctus ille Pater per vulpes Dæmones intelligit; per cuſtodes verò vineæ Angelos, quibus vineæ id eſt Eccleſiæ cura mandata eſt. Tantæ ergo virtutis, tanti roboris ſunt ſancti Angeli, vt cacodæmones ad eos comparati, non leones, aut tygrides qui fortiora ſunt animalia dicantur, ſed vulpes quæ non viribus, ſed aſtu rem agunt; imò verò non vulpes, ſed vulpeculæ aut vulpes paruulæ, doloſæ tamen dicuntur. Reperio quædam verba in ijſdem Canticis, quæ non multùm diſcrepare videntur à præcedentibus: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.* Qui ſunt fortes iſti, & quæ cuſtodia iſta? & cur lectum ambiunt Salomonis? S. Athanaſius in lib. quæſtionum: *Fortes hi, Angeli Dei ſunt*, inquit, *qui perfectum virum circumeunt, & circa ipſum incedunt*; in eo autem quòd lectum circunſtant, intelligi datur maxima illa cura, quâ ſeruos Dei ipſi Angeli cuſtodiunt, nobiſque diu ac noctu inuigilant & protegunt, atque aduerſùs Dæmones potiſſimùm, nobis inſidiantes pugnant. Ad cæleſtes illos ſpiritus cuſtodes noſtros poſſunt referri hæc verba Apocalypſis, *Eſto vigilans*; vigilant enim aduerſùs verſipellem aduerſarium noſtrum, obijciendo ſe eius incurſibus, frangendo vires, & acceptam reſarciendo iacturam; vigilant item dum confirmant nos, nunc remouendo peccatorum occaſiones, nunc deterrendo à vitijs, nunc corroborando in ſpirituali bello, nunc à Deo fortitudinem ac robur ad reſiſtendum impetrando; denique ità vigilant, ac mater intentos ſolet ſemper habere oculos in puerulum ſuum, ne fortè labatur, aut aliquid mali vel faciat, vel patiatur; imò longè meliùs vigilāt quàm mater, nam illa amet quantum velit, aliquando dormiet, ſaltem dormitabit: detur etiam merces diligentiſſimo alicui famulo aut ancillæ, nùm perpetuò totâ die ac nocte ſuper eam vigilabit? minimè gentium, per duas aut tres noctes vigilabit, ſed non continuò; at Angeli ſemper. Fabulantur Poëtæ de Argo quòd centum oculis donatus eſſet, at id de Angelis potiùs dicendum, qui tot oculis ſpiritualibus donantur, hoc eſt ità diligenter vigilant & nos obſeruant, vt ſaluos & incolumes conſeruent, inter tot peregrinationis huius diſcrimina, ne Dæmonum aſtu graue aliquod vitæ periculum adeamus, vt de Raphaële Tobiam ducente in peregrinatione ſua diximus. Nonnullos doctores reperio, qui exponentes quid ſibi velit virga illa vigilans de qua habet Hieremias. *Virgam vigilantem ego video*: docent bonū noſtrum Angelum cuſtodem, in ſenſu myſtico per illam virgam intelligi debere, & id apud Danielem clarum eſt: *Ecce vigil & ſanctus de cælo deſcendit.*

Cant. 2.
Cant. 3.
Quæſt 122.
Angeli in cuſtodiendis & protegendis nobis vigilant.
Apoc. 3.
Tob. 5.
Hier. 1.
Dan 4.

Theodoſius legit: *Ecce Angelus.* Et S. Hieronymus addit. *Vigilant enim Angeli ſem. et ad Dei officium parati.* Sunt ergò Angeli virgæ, ſed oculatę, quę oculos habent acutiſſimos, & ſubtiliſſimos, virgę amygdalinæ ob eorũ diligentiam, quia inter arbores prima floreſcit, baculi nucei ob eandem rationem, & vt noſtras dirigant actiones, nos protegant & conſolentur; illi (inquam) nos quaſi brachijs excipiunt (vt anteà fuſiùs diximus exponendo verba Dauidis *in manibus portabunt te*, &c.) vt tuti ſecurique loca periculoſa tranſeamus. Sic factum cum eodem Tobia iuniore, nam cum perueniſſet ad fluuium Tigris & in eo vellet pedem abluere, inſilijt in eum immanis quidam piſcis (qui Dæmonis typus erat) vt deuoraret, verùm Angelus tutatus eſt eum, & à periculo liberauit, iuſſitq; vt fel eius acciperet ad reſtituẽdam cœco Parenti ſanitatem. Adde cuſtodes Angelos etiam nonnunquam eſſe ſollicitos cùm expedit, in procurandis nobis bonis temporalibus, vt ſanitate, viribus, pecuniâ alijſque adiumentis, vt vitam conuenienter ſtatui qui ad ſalutẽ conſequendam ſit accõmodatior, inſtituere valeamus; & ideo etiã dęmonibus reſiſtere, ſi in his aduerſum nos quidpiam eos moliri conſpiciant. Rectè itaque ob tantam eorũ fortitudinem & vigilantiã in nobis aduerſus Dęmones protegendis, dicuntur fortes, lectulũ Salomonis hoc eſt animã noſtram, quę lectulus eſt veri Salomonis Chriſti ambientes, vt ſupra receſuimus ex Canticis. Et his etiã & conſequentibus Salomonis verbis, apparet præter deſignatum & ordinatiũ vnum tutelarẽ Angelum, quandoq; etiã ad vnius hominis cuſtodiã vel particularẽ curam, plures Angelos deſtinari quaſi gladio accinctos, & ad bellum doctiſſimos & fortiſſimos, propter timores nocturnos, & ad lectum veri Salomonis Chriſti Domini, hoc eſt animam noſtram, cuſtodiendum; vnde tutelares illi Angeli deſignantur per clypeorum & armaturæ omnis generis multitudinem pendentem ex turri Dauid, vt Sanctus Gregorius Nyſſenus in Cantica exponit. Quid quæſo ex his non magnum nobis pollicemur, cùm fortiſſimos illos habeamus cuſtodes Angelos, qui nobiſcum & pro nobis certant aduersùs phalanges iniquiſſimorum ſpirituum? nulli enim dubium eſt, quin illi hoſtes noſtri tanto odio nos proſequantur, vt in ignem, vel in aquas, vel in foueas, nos proijcerent, vel per ſe etiam in partes diſcerperent, niſi Angeli noſtri conſeruatores & præſides nos à tanta rabie protegerent, & pręſeruarent; & propterea in illis fixa firmataque debet eſſe ſpes noſtra, adeò vt nulli venti & turbines poſſint inuertere fiduciam quam in illis habemus; his addendum cenſemus quòd non ceſſat animæ noſtræ, tanquam arci munitiſſimæ, inſidias moliri Diabolus; neque ex altera parte quidquam omittit Angelus noſter tutelaris, quòd ad murorum

Angeli ſunt etiam in procurandis nobis temporalibus bonis ſolliciti.

Homil. 7. in Cantic.

noſtrorum protectionem pertineat: at nos quibus primariè ſalus noſtra commiſſa eſt, vigilanſque animi cura cordi eſſe debet, manifeſtam (proh dolor) Dei erga nos benignitatem, Angelique cuſtodis hortamenta negligimus, & nihil mouent euidentiſſima Diaboli in nos intentata molimina, fitque vt quamplurimi tali ſocordia prægrauati, videntes volenteſque interirent, niſi boni Angeli, tantâ noſtrâ miſeriâ commoti, illicò adeſſent, & opem ferrent, auertendo exteriora pericula tam corporis quàm animæ, & interdum auertendo ipſa obiecta à Dæmone repræſentata vel etiam agentia extrinſeca, nobis plerùmque omninò ignorantibus, nihilque operantibus. Aliquando verò id præſtant immittendo bonam cogitationem, per quam ita moueamur, vt imminentis mali occaſionem euitemus, & tandem quoque impedimenta tollunt ſpiritualis profectus, ita vt vndique ſint tanquam muri circumuallentes nos, vt rectè animaduertit Sanctus Baſilius; Quemadmodum, inquit, vrbium muri in circuitu, vndequaque hoſtium inſultus arcent, ſic etiam Angelus, & à tergo & à fronte cuſtodit, & neque vnius lateris partes incuſtoditas relinquit. Ne autem quid ipſos Angelos lateat, quo ſuis clientibus auxiliari poſſint, & faciliùs Dæmonum fraudes & technas aduerſùm nos detegant, conſilium cogunt, & conſultores Angelos aſciſcunt, vt conſultiùs prouideant quomodò tyrannidem Dæmonum contra nos declinare valeant, & in viam virtutis & ſalutis nos faciliùs dirigant. Id nobis ſatis conſtat ex eo quod habet Iob, *Quodam autem die cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Sathan.* Quamplures ſancti Patres exiſtimant Angelos cuſtodes Iobi & filiorum eius in Concilium coactos, in quo vnus de mandato præerat; cui Concilio adfuit etiam & Sathan cum Angelis diſputans de Iobi virtute; quod minimè fuiſſe imaginariam viſionem, ſed concilium in terris celebratum, docet Sanctus Athanaſius in ſuis quæſtionibus ad Antiochum (ſi Athanaſij ſunt huiuſmodi quæſtiones) & Sancti Auguſtini in annotationibus in Iob; de quo Pineda qui allegat Sanctum Nazianzenum, Lactantium, Olympiodorum, Lyranum, & Ferum. O miranda diligentia & vigilantia Angelorum cuſtodum hominum qui ad audaciam noſtrorum hoſtium ſcilicet Dæmonum refrænandam, & mille eorum detegendos & cauendos nocendi modos concilium ineunt, & ingenioſâ prudentiâ conſultiſſimè diſputant de ſolerti hominum cuſtodia, & à malis illis Angelis protectione & defenſione. O homo ſatage ne tuâ deſidiâ fruſtretur conſultiſſimum Angelorum concilium: cui ſic Angelus cuſtos

S. Baſil. in Pſal. 35.

Angeli concilium in noſtrum fauorem ineunt.

Iob 1.

q. 8. ad Antiochum.

Pineda.

prouidet, ſic tu oſcitanter negligis? tua ſic procurant Angeli, & tu tibi non proſpicis? tibi conſule, tu te etiam cuſtodi, de quo fœliciter cuſtodiendo, & à tuis hoſtibus maximè Dæmonibus protegendo, ſic conſulunt Angeli, & ſic aduersùs illum armati incedunt, & ob id ipſamet Dei arma cenſentur, vt bene notat Didymus apud Cathenam Barbari in Iob.

Iob. 34.

Quamuis porrò hæ poteſtates Angelicæ ſic contrà Dæmones naturæ noſtræ corruptores, omnibus contrà annitentes, vt verbis ſancti Gregorij Nyſſeni vtar, & ad malè viuendum continuò impellentes nos defendant; aliquando tamen ex Dei permiſſione malis illis Angelis cedunt, ſunt enim boni diuinæ ſapientiæ adminiſtri; quamobrem quemadmodum diuina ſapientia mala fieri permittit per malos homines & Dæmones propter bona quæ indè elicit; ſic & Angeli ſancti non ſemper nec omninò compeſcunt à nocendo Angelos malos, vel impios homines, voluntati Dei inſeruientes; & ita etiam Dæmones vim & poteſtatem exerunt in pios & probos homines inquantùm poſſunt, & Deus ita permittit, quia ex illis malis & pœnis bona elicere nouit. Sed dubium eſt quomodo & quâ ratione homini adſunt & pugnant Angeli; & reſpondemus quòd primò moraliter incitant eum ad bonum, quando Dæmones ad malum: ſecundò, per imperium & poteſtatem, quando poteſtate à Deo acceptâ Dæmoni imperant, vt ab incepto malo deſiſtat, aut ab aliquo loco diſcedat; vt cùm Raphaël apprehendit Dæmonem Aſmodeum, illumque religauit in deſerto ſuperioris Ægypti, vt alibi notauimus: tertiò, pugnant phyſicè per vim & potentiam naturalem, vt quando Angelus depellit Dæmonem è ſuô loco, inijciendo illi ſpiritualem impulſum, qui in ſubſtantia eius immediatè recipitur; & hoc modo illi Angeli ſoli poſſunt efficaciter pugnare qui ſunt perfectiores Dæmone, & ab illo inſtar militum, nos in acie tueri & defendere; hinc apud Iobum *Dei milites* nuncupantur, & apud Zachariam vocantur *Cornua*, quia pro hominum ſalute contra Dæmonem prœliantur, noſque à barbara eorum crudelitate & fraude vindicant, nobis addunt vires & demunt illis hoſtibus.

Lib. de vita Moſis.

Quomodo nobis adſint Angeli, & pro nobis pugnẽt.

Tob. 8.

Iob. 25. Zach. 3.

SECTIO V.

Angeli cuſtodes nos à malis hominibus, à feris, à rebus inanimis, ab ira Dei, &c. defendunt & liberant.

PRIMÒ, Angeli tutores noſtri à malis hominibus, & inimicis corporalibus nos eripiunt & liberant, vt patet de Iacob qui Angeli ſui tutelaris ope, à ſui fratris Eſaü ira & furore ereptus eſt & à cunctis alijs malis, vnde ait: *Angelus Domini eruit me de cunctis malis.* Patet quoque de Ioſue, pro quo aduersùs Chananęos pugnarunt Angeli. De Ezechia & populo Iſraëlitico, qui etiam vnius Angeli, videlicet Michaëlis auxilio liberatus fuit, dum vnâ nocte centũ octoginta & quinq; millia Aſſyriorũ trucidauit, vt iam ſuprà dictum eſt; ſicut de Elizęo quem integer Angelorũ exercitus contra impetũ Syriorum defendebat. Sed quid obſecro viduam Iudith cuſtodiuit quando caput Holofernis amputauit, in tot periculis conſtitutam? Angelus eius cuſtòs, vt conijcere facile eſt; hinc ait Iudith: *Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.*

Angeli nos à malis hominibus, à feris, ab ira Dei &c. defendunt.

Geneſ. 48.

Iudith. 13.

Ad hoc propoſitum ingratum non erit, in medium adducere quod Socrates tradit de Theodoſio Iuniore Imperatore, ipſe enim cũ aduerſùs Perſas & Saracenos bellum gereret, Angelus Domini circiter centum millia Saracenorum in fluuium Euphratem præcipitauit.

Secundò, à feris quoque Angeli nos defendunt & protegunt, vt ex Tobia & Daniele nobis innoteſcit, quorũ prior ab ingenti quodam piſce fuit liberatus, & poſterior in lacu rugientium Leonum Angeli præſidio ſecurus fuit, vt iam dictum eſt, &c.

Tertiò, tandem nos à rebus inanimis ne noceant, Angeli pariter impediunt, vt conſtat de tribus pueris in fornacem ignis ardentis proiectis, qui vt etiam ſuprà dictum eſt, ab Angelo illæſi & incolumes conſeruati fuere. Aduerte autem hìc, quòd etiamſi Angeli omnium hominum quorum cuſtodiæ ſunt commiſſi, curam gerant, illi tamen qui militant Chriſto, & nihil niſi ſuperiorem Hieruſalem ſpirant, magis ad ipſos Angelos pertinent; & ſic eorum ſollicitudo minor eſt de impijs quàm de alijs.

Quartò, ſed potiſſimũ quod erga nos aut pro nobis exhibent apud

Deum beneficium ipſi ſancti Angeli, eſt quòd diligenter ſint noſtri aduocati ad Deum flectendum, & illum nobis reconciliandum quando ipſum contrà nos iratum conſpiciunt; & vt clariùs fiat, recordemur illius parabolæ Chriſti de ficulnea ſterili, de qua Dominus vineæ Agricolæ dicebat: *Ecce tres anni ſunt ex quo venio fructum quærens in ficulnea hac, & non inuenio, ſuccide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Agricola verò pro ficulnea Dominum exorabat, & aiebat, *Domine, dimitte eam etiam hoc anno, donec fodiam erga eam, & mittam ſtercora:* & quid ſunt ficulneæ iſtæ niſi nos ipſi, vinea autem eſt Eccleſia, cultores ſunt Angeli; ſed venit primus annus, hoc eſt pueritia, & in ea quærit Dominus fructum deuotionis, puritatis, & ſimplicitatis, & nihil inuenit niſi contentiones, pugnas, & malitiam, quoniam parentes curam ipſorum non gerunt, neque benè inſtituunt, aut in timore Domini eorum animos formant: venit vigeſimus annus qui ætas eſt adoleſcentiæ, in quo ipſi maiori rationis lumine pollent, & quærit Dominus fructum bonorum operum, & nihil reperit niſi vanitatum folia, amores obſcœnos, potationes, tripudia, veſtium ornamenta, & alia carnis oblectamenta; venit annus trigeſimus aut ampliùs, qui ætas eſt matura & grauis: & iterùm maiori ratione quærit Dominus in ficulnea fructum, & ſæpè nihil inuenit niſi ambitionis, ſuperbiæ, vſuræ, ebrietatis, & aliorum ſcelerum folia, & tunc ait: *Succide ergo illam, & in ignem proyciatur, vt quid terram occupat?* Sed Angelus Domini eius patrocinium ſuſcipiens, ſummo ſtudio intercedit & ait, ô Domine dimitte quæſo eam etiam hoc anno, des adhuc illi tempus & ſpatium pœnitentiæ, ego fodiam circà illam & mittam ſtercora, auferam de corde eius terrenas cogitationes, & ponam in oculis eius ſtercora peccatorum, vt illa videat, cognoſcat, & deteſtetur: ego efficiam vt recogitet dies ſuos in amaritudine animæ ſuæ, & fructus dignos pœnitentiæ & bonorum operum aliquando faciat. Et in hoc apparet quantum Angelis bonis debeamus, qui ita præſtò nobis adſunt, ad bonum nos inducunt, peccati horrorem præ oculis noſtris conſtituentes, & innumera nobis conferunt beneficia. Interim tamen eſt ſedulò aduertendum, quandoque bonos Angelos corrigere & punire homines ſibi commiſſos, quando iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ fuerit expediens, vt docet S. Hieron. in Danielem, quod eſt intelligendum de pœnis huius vitæ tantùm, quæ verè dici poſſunt medicinales: vnde Angelus fuit bonus qui extendit manum ſuam ſuper Hieruſalem vt diſperderet eam propter peccatū Dauid. Aliquando etiam Deus vtitur malis Angelis etiam ad has pœnas medicinales infligendas; & tunc veriſimile eſt fieri proprij Angeli cuſtodis directione

Luc. 13.

In cap. 7. Dan.
2 Reg. vlt.
1 Cor. 5.

ne & imperio, vel etiam Deo ita volente & ordinante iuſſu alicuius viri Sancti authoritatem habentis; ſicut S. Paulus tradidit fornicarium Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fieret: vel ſicut Deus permiſit Dęmoni affligere Iob vel Tobiam ac ſimiles.

His ſuperaddere poſſumus Angelos tutores & protectores corporum extinctorum quæ in Eccleſijs iacent, eoſque ab inſidijs Dęmonum & hominum impiorum defendere. Statim enim atque delata ſunt in Eccleſiã, cedunt in ius Angeli quem Deus Eccleſiæ huic pręfecit. Quòd ſi quandoque illa quid iniuriæ pati ab impijs contingat, id Dei permiſſu ob cauſam nobis ignotam accidit. Hic autem loquimur de fidelium hominum corporibus, & præcipuè Sanctorum. Sic itaque hanc probo propoſitionem; Corpora extincta Sanctorum ſunt magis affinia templo quàm ſit ipſius templi ærarium: ſed Angeli præſto fuêre ærario templi Hieroſolymitani, ne rapaces manus ſuas in illud inijcerent, Heliodorus auri cupidus, à ſuo impio Rege, vt ſacras illas opes inde aliò tranſportaret, miſſus: igitur & ſedulò ipſi Angeli Eccleſiæ Pręſides, fidelium oſſa aſſeruabunt in Eccleſia vbi iacent. Eſſe autem corpora illa templo magis affinia quàm ſit ærarium, conſtat ex eo quòd illæ reliquiæ ordinem habeant ad templi decorem, ad quod confluunt populi vt hominum beatorum recolant memoriam, quià etiam ſanctæ illæ reliquiæ ſunt aliquando in templum gloriæ, hoc eſt in cælum empyreum transferendæ, videlicet quando animæ ab illis ſeparatæ eiſdem in fine ſæculi per reſurrectionem erunt reünitæ; ærarium verò longè infrà ipſas reliquias ad rationem templi pertinet, vtpotè tantùm vſui communi idoneum, vt videlicet ad miniſtrorum victum & ipſius Eccleſiæ reſtaurationem, &c. Diximus ea corpora ad rationem templi pertinere, non quòd templa nequeant eſſe abſolutè talia ſine corporibus ſanctis, ſed quia venerationis amplioris ſacris ædibus incrementum adijciant: ideoque iure canonico cautum eſt, non frequentari ędes illas quarum altaribus nullæ ſunt beatorum hominum reliquiæ. verba canonis hęc ſunt, *Et omninò nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi corpus aut reliquiæ certæ ſunt.*

Angeli ſunt cuſtodes corporum quæ in Eccleſijs ſepeliuntur, & præſertim Sãctorum:

Can. placuit de conſecr. diſt. 1.

SECTIO VI.

Specialiora quædam Sacræ Scripturæ exempla cuſtodiæ Angelorum adferuntur.

Angelorum cuſtodia, ſpecialibus Scripturæ locis probatur.

ETIAMSI plura Scripturæ Sacræ loca Angelicam cuſtodiam confirmantia, in medium iam adduxerimus, reperio tamen nonnullos authôres, & inter alios Cornelium à Lapide Societatis Ieſu illa & aliqua alia ſummatim colligere, quæ hîc eſſe deſcribenda iudicauimus.

Geneſ. 3. Primò, Cherubin cuſtodiunt Paradiſum, eiecto Adamo peccatore, verſantque gladium flammeum, quia Angeli ſicut puri actus, vel fugiunt, vel fugant impuros peccatores.

Geneſ. 17. Secundò, Angelus profugam Agar reduxit ad heram ſuam.

Geneſ. 18. Tertiò, Tres Angeli Abrahæ promiſerunt filium Iſaac.

Geneſ. 19. Quartò, Duo Angeli eduxerunt Loth ex Sodomis, & Sodomitas igne cœleſti concremarunt.

Geneſ. 21. Quintò, Angelus conſolatus eſt Agar, & Iſmaëli ſiti morienti puteo oſtenſo vitam ſeruauit.

Geneſ. 22. Sextò, Angelus ſtitit gladium Abrahæ volentis immolare filium.

Geneſ. 28. Septimò, Iacob vidit aſcendentes Angelos & deſcendentes per ſcalam ad ſuam opem, & Dominum Angelorum in ſummitate ſcalæ reſidentem. Mirabilis profectò viſio Locus natiuus Angelorum cælum eſt, & tamen quia in continua hominum cuſtodia multi eorum ſunt, ad terram deſcendunt, & rurſùs vſque ad cælum aſcendunt: vt certè intelligas deferre ſanctos Angelos opera iuſtorum in conſpectum Domini, & afferre è ſinu eius ad clientulos ſuos, dona gratiæ & Saluatoris propitiationem.

Geneſ. 32. Octauò, Angeli deduxerunt Iacob ex Meſopotamia in Chananæam.

Exodi 14. Nonò, Angelus interpoſuit ſe intra caſtra Hebræorum, & Pharaonis, illa illuminans, & deducens per mare rubrum hæc obtenebrans, & ſubmergens.

Exodi 23. Decimò, Angelus deduxit Hebræos per deſertum in Chanaam.

Iudicum 6. Vndecimò, Angelus roborat Gedeonem ad bellum contra Madiam.

Iudic. 13. Duodecimò, Angelus promittit Manue filiũ, Sanſonem Nazaræũ.

Decimo-tertiò, Angelus confortauit Eliam pane, vt ambularet per quadraginta dies ad montem Dei Oreb. *3. Reg. 19.*

Decimo-quartò, Angelus miſit Eliam ad Ochoziam Regem, vt ei prædiceret mortem, ob cultum Beelzebub. *4. Reg. 1.*

Decimo-quintò, Raphaël Tobiam Iuniorem deduxit & reduxit, curauitque ei Saram vxorem, & Tobiam Senem à cœcitate. *Tob. 5. 5 & 6.*

Decimo-ſextò, Angelus Gabriel oſtendit Daniëli ſeptuageſimâ hebdomadâ occidendum eſſe Chriſtum, & cap. 11. Varia futura circa Reges Syriæ & Ægypti eidem reuelauit. *Danielis 9.*

Decimo-ſeptimò, Angelus tutatus eſt & vindicauit pudicitiam Suzannæ. *Daniel. 13.*

Decimo-octauò, Angelus Zachariæ Prophetæ varia myſteria reuelauit.

Plurima alia ſunt cuſtodiæ Angelicæ loca in veteri Teſtamento, ſed quia eorum pręcipua & communiora jam à nobis diuerſis in locis huius Tractatus adducta fuêre; ideò eſſe denuò repetenda non cenſuimus. Superſunt quædam in medium producenda ex nouo Teſtamento, & illa potiſſimùm quorum jam non meminimus in præcedentibus.

Et primò, Angelus Gabriel annuntiauit Zachariæ Sancti Ioannis Baptiſtæ Conceptionem, Luc. 1. & idem Gabriel Angelus, quem multi Patres dicunt fuiſſe Angelum cuſtodem B. Virginis, ad eam eſt miſſus, vt myſterium Incarnationis nuntiaret, &c. *Luc. 1.*

Secundò, Angeli Chriſto nato cecinerunt: *Gloria in excelſis*, &c. ſuaſerunt fugam in Ægyptum, indeque reditum, miniſtrarunt Chriſto poſt longum quadrageſimæ ieiunium, & Dæmonis tentationem, confortarunt in agonia Paſſionis, Reſurrectionem in veſte fulgenti nuntiarunt, gloriam eius in Aſcenſione prędicarunt. *Luc. 2.*

Quis ergo illos non magni faciet, & ſingulari honore proſequetur, cùm videat Chriſtum potentiſſimum omnium Dominum, magni conſilij & Teſtamenti Angelum, tanto illos affeciſſe honore, vt per ipſos ſuam Natiuitatem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, &c. primùm orbi ſignificarit? ad tanti autem honoris quo illos affecit complementum, eoſdem ad extremum iudicij diem reuertens, quaſi lateris ſui ſtipatores, toto orbe longè latèque ſpectante ſecum aduehet, & ſui iudicij impigros faciet executores, nec fallet eius promiſſio quâ dixit: *Omnis qui confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Sed ad alia Angelorum miniſteria properemus. *Luc. 12.*

Tertiò, Cùm in carcere iuſſu Herodis detineretur Sanctus Pe- *Act. 12.*

trus, & cathenis vinctus eſſet, ab Angelo fuit liberatus. Fuiſſe autem Angelum cuſtodem Sancti Petri patet ex eodem capite, vt ſuprà cap. 6. ſect. 6. notauimus.

Act. 27. Quartò, Angelus Sanctum Paulum naufragantem bono animo eſſe iubet.

Denique, Angelus Sancto Ioanni crebrò apparens, Apocalypſim reuelauit.

Ex tot ergo Scripturæ ſacræ locis, in quibus Angeli honorificè proponuntur & deſcribuntur, eorum refulget excellentia, laus, & prærogatiua. O Angeli ſancti! væ hominibus ſi non cuſtodiantur ab illis, arguunt homines dum peccant, & à peccandi occaſionibus abducunt, aduersùs malignorum ſpirituum impugnationes, alioqui infirmos viribuſque inferiores, & ad ruinam pronos, defendunt & ſubleuant, vt iam toties diximus; tum cogitationes bonas bonorumque operum occaſiones eis ſubminiſtrant, preces eorum, piaque deſideria & opera bona in conſpectu Dei offerunt, corporalia mala periculaque depellunt, & ab eis ipſos eripiunt, conſolantur in tribulationibus, ita vt ad nullum aliud miniſterium exiliant promptiores: vnde ille Angelus qui ad conſolandum Agar ancillam Abrahæ, quæ triſtis & mœrens in ſolitudine vagabatur, ei tam ſereno, compoſito, & hilari vultu apparuit, vt nihil terroris ei afflauerit. Quid ampliùs dicam? incitant homines ad fugienda peccata per pœnitentiam, & ad virtutes amplexandas; in dubijs conſulunt, & ad diuinum amorem alliciunt. Quæſiuit olim Deus à Caino *Vbi eſt Abel frater tuus?* qui reſpondit per indignationem, & veluti contemptum, *Nunquid custos fratris mei ſum ego?* Id igitur quod impius frater innocenti & iuſto fratri dedignabatur præſtare, libentiſſimo exequuntur animo ſuperni ciues, ſedulum exhibentes miniſterium erga infirmos homines, ſeruos, & ancillas, & in ſumma maiorem hominum curam gerentes, quàm ipſi homines de ſe habeant. Reuolue ergo quæſo ſæpiùs tanta erga te diuini amoris documenta, & à peccatis quibus Deum & Angelos offendiſti diligenter abſtine, ſequere illorum colluſtrationes, & inſpirationes, non enim ſolùm ipſi fulgentiſſimi ſunt, ſed omnes rerum ſublimium luce colluſtrant; vnde in Apocalypſi lampades nuncupantur ardentes, vt alibi notauimus; quare cùm ille Angelus qui liberauit Sanctum Petrum à carcere, illi apparuit, mox lumen refulſit in habitaculo carceris, proprium enim Angelorum munus (inquit Sanctus Cyrillus) eſt illuminare, docere, inſpirare, &c Et vt alius Doctor modernus ait, eorum munus eſt, illorum qui ipſorum cuſtodiæ committuntur, peccata exprobrare increpationibus & ſuaſionibus: peccatorum vin-

Marginal notes: *Quid erga homines præſtent Angeli.* — *Gen. 16.* — *Gen. 4.* — *Apoc. 4.* — *Act. 12.*

cula diſſoluere: peccatorum illecebras & boni impedimenta remouere: Dæmones arcere: homines docere & illuminare: ſecreta Dei conſilia interdum reuelare: afflictos conſolari: nutantes confirmare & animos addere ad viam mandatorum Dei percurrendam: corporum etiam incolumitati interdum conſulere, hoſtes etiam viſibiles depellere: vim tentationum infringere, ſupplicum preces Deo offerre, & tandem multa alia præſtare quæ in huius tractatus decurſu fuſiùs explicantur, & hîc compendioſè recenſentur.

CAPVT XVI.

SECTIO I.

Angeli præcipuè Religioſos cuſtodiunt.

IAM latè ſatis & apertè diximus, Angelos quoſdam à Deo deputari ad hominum cuſtodiam: ſed certiſſimum eſt ſingulariter & præcipuè ſollicitam Religioſorum curam gerere, vt præſenti ſectione congruentiſſimis quibuſdam rationibus, ex Sanctis Patribus & ex ſtatus eorum ratione, depromptis, necnon multis hiſtorijs probabimus. Et primò quod ſpectat ad rationes. Prima eſt, Veri Religioſi (de his enim hîc loquimur) ſe à rebus terrenis abdicarunt, & diuinis obſequijs ſeſe liberè manciparunt; necnon iuxta Chriſti conſilium, votis obedientiæ, caſtitatis & paupertatis ſe adſtrinxerunt: at in his ſeduló obſeruandis Angelorum ſectantur veſtigia, ſupra enim diximus eos valdè Dei mandatis obedientes, & poſteà oſtendemus illos eſſe puriſſimos, omníſque integritatis & caſtitatis obſeruantiſſimos: & quod ad paupertatem attinet Caſſianus de ipſis ſermonem inſtituens ait. *Angeli naturâ pauperes ſunt, nihil ſibi conquirunt in proprium, neque aliud præterquàm Deum volunt.* Itaque ſi ex vulgato eloquio lippis atque tonſoribus agnito, *ſimile ſimili gaudet*, nulli dubium eſſe poteſt, quin Angeli tantarum virtutum amatores, peculiarem habeant Religioſorum curam, eoſque ſingulari diligentia ac vigilantia cuſtodiant, adiuuent, & protegant; exoptantes maximè vt illi ad ſupernam quâ fruuntur gloriam perueniant.

Angeli præcipuè ſunt Religioſorum cuſtodes, quod rationibus & hiſtorijs probatur.

Caſſian. in euangel. lib. 10. cap. 4.

Secunda ratio videtur ex priori colligi. Nullus inficias ibit, quin Angeli quiſuam beatitudinem multis actibus internis, Deo firmiter adhærentes meruerunt, atque vincentes Angelos apoſtatas in ſanguine agni; non magni faciant eos qui bonis operibus continuò inſudantes, eandem merentur fœlicitatem, maiorique fe-

rantur amore, erga eos qui plus reliquis merentur: at verò bona opera quæ ex votis ſiue ratione votorum exequuntur Religioſi, ſunt magis meritoria quàm ſimilia illa quæ non ex voto fiunt, vt vnanimi conſenſu docent Theologi; & id manifeſta ratio concludit; nam opus quod procedit à pluribus virtutibus eſt magis acceptum Deo quàm illud quod procedit à paucioribus: opus autem quod procedit à voto, verbi gratiâ ieiunium, manat & fluit à virtute abſtinentiæ, & à virtute religionis ſimul; cùm ieiunium abſque voto à ſola abſtinentia procedat: & proinde minus acceptum eſt Deo quàm illud à voto procedens. Adde quòd opus à voto procedens, procedit adhuc à maiori liberalitate & charitate, quæ in voti emiſſione antecesſerunt: quando enim quis vouit, liberaliter ſe ſe vouit & obtulit Deo, & non ſine ingenti erga illum charitate, illius enim ſolius intuitu vota emittuntur. En ergo quot virtutes concurrant ſaltem antecedentes, ad opus ex voto factum, quo quidem vouens in holocauſtum ſe Deo conſecrauit: Religio, obedientia, charitas erga Deum, liberalitas, & aliæ virtutes. Cùm itaque conſtet hac ratiocinatione Religioſorum merita ex voto manantia, præſtare aliorum meritis, profectò ad merita & perfectiones Angelicas magis accedunt, & ſic magis quoque ipſi Angeli ad eorum cuſtodiam & protectionem inducuntur & alliciuntur, hinc Celada in lib. Iudith adducens Philonem Iudæum docet hominem Religioſum adhuc in terris, non terrenas virtutes alere, ſed cæleſtes, verèque olympias beatorum perfectionem æmulantes, eſſeque imaginem ſupernæ gloriæ, & Olympiæ fœlicitatis.

Celada in cap. 8. Iudith. Philo Iudæus lib. de agricultura.

Tertia ratio; Religioſi in carne hac importuna viuentes, eius illecebris ita renuntiarunt, ac ſi eâ eſſent exuti, inſtar S. Baſilij Monachorum Principis, cui cùm Præfectus quidam immanes cruciatus minaretur, reſpondit vt refert S. Gregor. Nazianz. *Iàm tormenta quid agere queunt cum corpus deſit?* Audis Sancto Baſilio corpus deeſſe ac ſi totus eſſet ſpiritus & corporis expers, quòd ſuprà humanum faſtigium eſſet: at verò Angeli ſunt omninò corporis expertes: Sanctus ergo Baſilius (ſicut & alij probi Religioſi) videbatur aliqua ex parte eis aſſimilari, & ad eorum perfectiones accedere: cur non igitur diceremus illos Religioſorum præcipuè curam gerere.

In oratione de laudibus S. Baſilij.

Quarta ratio; Probi Religioſi qui crucem Chriſti, hoc eſt ieiunia, ex Eccleſiæ & regulæ quam profeſſi ſunt præſcripto, diſciplinas, & alias mortificationes, votis omnibus amplexantur, aptiſſimi redduntur qui ad Angelorum conſortium admittantur, vt ex hiſtoria Procopij Ducis nobis innoteſcit: ille enim cùm aurificem clam conduxiſſet, vt crucem auream componeret: & ille opifex crucem affa-

brè factam tradidiſſet, apparuerunt effigies duorum Angelorum in vtroque brachio crucis, Deo indicante Angelos gaudere eorum cõſortio, qui ſe crucis obſequio deuouerunt; cũ igitur piorũ Religio- ſorũ cordi crux ſit inſita, & tanquam ſequaces & baiuli crucis, facta carnis (vt monet Apoſtolus) mortificent, eamque crucifigãt cum vitijs & concupiſcentijs, mundi opes, honores, vanitates ac voluptates floccè pendant, fortiterque in diſcrimen veniant cum Diabolo, carne & mundo, quibus omnibus ſe ſe Angelorum conſortio dignos reddunt: certiſſimum eſt Angelos eis inuigilare & ſuam impendere opem. *Rom. 12. ad Galat. 5.*

Quinta ratio; Viri verè Religioſi, humilitatis ſtatum ſectantur, nihil enim humilius quàm terrena deſpicere, & alta ſuperbaque contemptui habere: at in hoc ſunt Angelorum imitatores, nam ſicut ſuperbia reprobos Angelos perdidit, eorumque ruinæ cauſa extitit, & in præceps egit; ita humilitas fœlicitati initium dedit, & quamuis eſſent excellentiſſimi & plurimis perfectionibus etiam naturalibus exornati, nihil proindè agere voluerunt, quod tantillùm ſuperbiam redoleret, ſed tantam ſuam excellentiam, vt decebat, in ipſum Deum humillimè retulerunt: itaque non mirum ſi præ reliquis, Religioſos huius virtutis cultores, aſſeruent & ſedulò cuſtodiant ac iuuent.

Sexta ratio, Angeli ſunt quaſi ſpecula ſine maculâ & innocentes, cùm enim in gratia & gloria ſint confirmati, peccare non poſſunt: at veri Religioſi, etiamſi in gratia confirmati non ſint, ſed peccatis obnoxij, quia tamen à mundo ſunt ſemoti, non eis tot peccandi occaſiones occurrunt quot ſæcularibus, & ſolent ac debent; *Immaculatos ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*, vt ait S. Iacobus, atque ſingulari curâ & ſtudio, vitæ innocenti incumbere tenentur, aliàs eorum religio valdè exigui eſſet momenti. Hinc S. Victor perfectus ille Religioſus, quaſi foret alterius naturæ & veluti Angelicæ, peccare neſciebat, vt refert S. Paulinus Epiſt. 34. Cùm ergo ipſi Religioſi talis innocentiæ & puritatis ſtatus, ſe ſe imitatores exhibeant, non mirum ſi aſſeueremus eos ipſis Angelis cordi eſſe, ab eiſque aduerſus quoſcumque Dæmonum inſultus protegi & cuſtodiri. *Iacobi 2.* *S. Paulinus.*

Septima ratio; Si aliqui ex Chriſtianis erga proximos, benignitate, miſericordiâ, & charitate flagrare debent, maximè Religioſi, nam ideò Religionem ingrediuntur vt potiſſimùm ſaluti proximorum inuigilent, & id maximè præſtant hi quibus ex officio incumbit Dei Euangelium prædicare, verboque ac exemplo alios docere: quò fit vt S. Gregor. Nazianz. illos vocet ſpirantes Eccleſiæ columnas ad illam ſuſtentandam: hæc eſt autem Angelorum præcipua *S. Greg. Nazian. in orat. de Baſilij laudibus.*

cura, tanto enim affectu erga Deum & nos ducuntur, vt non ſolùm noſtros cuſtodes, verumetiam noſtros Pædagogos & Inſtructores ſe ſe continuò exhibeant, vt aliàs diximus, immò totius Eccleſiæ Sanctæ columnas pluſquam marmoreas, ſe ſe clariſſimè oſtendant: non ergo mirum ſi eorum qui eis in hoc aſſimilantur, ſollicitam curam gerant.

Octaua ratio; Denique viri Religioſi præ reliquis Chriſtianæ Religionis cultoribus, tempus pro maiori parte in diuinis decantandis laudibus tranſigunt; at hoc eſt Angelorum munus, vt poſtea dicendum erit: & conſtat præſertim ex illo triſagio quod continuò alternis vicibus decantant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. magnifica Dei opera & beneficia extollentes: nulli ergo mirum videatur, ſi conſtanter hîc aſſeueremus, ex hac potiſſimùm ratione, ipſos Angelos indicibili affectu Religioſos cuſtodire, docere, auxiliari & protegere, immò ſi quibuſdam hiſtoriographis (de quibus poſtea) fidem adhibere volumus, ipſi interſunt quanquam inuiſibili præſentiâ, dum Religioſi Pſalmos, Hymnos, & alias diuinas laudes celebrant, & cum eis pariter decantant. *Eſay. 6.*

Mitto alias rationes quæ hîc adferri poſſent, vt quòd Religioſi ſpiritali quâdam virtute reliquis ſupereemineant, ſicut Angeli cunctis hominibus præſtant; & quòd in maxima remaneant quiete, animorum tranquillitate, & fraterno amore, ſicut Angeli ſunt omninò pacifici, & abſque vlla diſcordia, homines & ſe ſe mutuò diligentes, quod vix homines huius ſæculi poſſunt aſſequi, ſaltem cum tanta perfectione, vtpotè rebus & negotijs ſæcularibus implicati. Ex his itaque rationibus & alijs multis, inconfeſsò eſt omnibus, Angelos ad proborum Religioſorum cuſtodiam, eruditionem, auxilium, & protectionem moueri & excitari.

Quod autem ad hiſtorias attinet, quibus etiam conſtat Angelos præcipuè Religioſos cuſtodire, eorumque curam gerere. Primò ſatis nota eſt hiſtoria S. Gregorij Magni, qui à Monachatu & Religioſo ſtatu, ad ſummum Pontificatum euectus fuit; ille ergo cùm aliquando duodecim peregrinos ad prandium inuitaſſet, tredecim numerauit, decimus enim tertius Angelus erat quem ſolus videbat, ſuſpicatus eſt autem Angelum eſſe, ex eo quòd in faciem eius intendens videbat illam ſtatim in forma adoleſcentis apparere, & poſteà in forma venerabilis cuiuſdam ſenis: cùm autem illi duodecim finito prandio egrederentur, illum decimum-tertium retinuit, & in cubiculum ſuum inducens, poſt familiare colloquium, ipſe Angelus declarauit ſe eſſe eius cuſtodem; vnde S. Gregor. in faciem ſuam corruit, Deoque de tanta eius beneuolentia gratias egit, & Angelus diſparuit.

Surius in vita S. Guthlaci Eremitæ, refert quantùm ei familiaris fuit eius cuſtos Angelus, veſpere & manè ei apparens: illi prædicebat futura, indicabat abſentia, arcana cœleſtia reuelabat, in omnibus conſolabatur, vt ipſemet Eremita Bertelino diſcipulo ſuo declarauit.

Idem refert Georgius Preſbyter de S. Theodoro Archimandrita, qui fuit multorum Monachorum pater, cui apparuerunt SS. *Georgius Presbyter.* Coſmas & Damianus multis Angelis aſſociati, cùm aduersâ valetudine laboraret, cùm autem ipſe fleret, ſe morti proximum exiſtimans, quòd tantam non egiſſet pœnitentiam quantam exoptaret, quodque puſillum ſuum gregem nondum perfectè inſtitutum relinqueret; Sancti illi, & Angeli, à Deo ſicut olim Regi Ezechiæ, quindecim vitæ annos impetrarunt. Sunt quamplures aliæ hiſtoriæ ſimiles apud Auctores, ſed tantùm vnam in præſentiarum referam ex Annalibus Societatis Ieſu, de Ioanne Carrera viro non mediocri ſanctitate, & vitæ probitate conſpicuo, qui cùm erga ſanctiſſimam Dei Matrem & tutelarem ſuum Angelum, maximè deuotus exiſteret, cum ipſo tantâ familiaritate coniunctus fuit, vt veluti intimo cum amico, ſua conſilia ſermoneſque, & ſæpè in rebus arduis & dubijs interrogaret & conſilium exquireret, viciſſimque Angelus ad omnia reſponderet. *1551. lib. 13.*

Sancti Angeli igitur, cunctis pijs Religioſis prompti ſunt, ad monendum, ad iuuandum, & benefaciendum. Quòd ſi forſan Religioſus in ſua vocatione vacillet: habet Angelum cuſtodem qui conſiliarius eius eſt, monitor & confortator ſodulus, & ſæpè reſiſtens tentationi Diabolicæ: ſicut Vincentius in ſpeculo hiſtoriali, refert de Germano quodam Monacho conuerſo Ciuitatis Colonienſis Laſſardo nomine, qui à Dæmone peccato ſuperbiæ tentatus, volebat à cœnobio recedere, quia cùm nobilibus parentibus eſſet oriundus, & in mundo multis ſeruis non careret, alijs tamen in ſeruiendis erat deſtinatus: apparuit ergo illi Angelus eius cuſtos in forma venerandi cuiuſdam viri, qui cùm eum ad portam templi, & hinc ad Cœmeterium duxiſſet, & apertis ſepulchris ei mortuum quendam putridum & fœtidum oſtendiſſet, declaraſſetque illum breui futurum huic ſimilem, ſi relictâ clauſtrali requie ad mundum rediret, cumque ducere niteretur ad alia quoque conſpicienda cadauera, illicò reſipuit, pœnituitque quòd à Monaſterio egredi voluiſſet, & tunc portas templi & Cœmeterium claudi vidit, & Angelus eo ad dormitorium reducto diſparuit. Cauendum eſt igitur viris Religioſis ne in aliquod vitium incidant, ex quo propulſent à ſe tutelam & cuſtodiam Angelorum, qui in illis monendis, iuuandis, conſulendis, *Angelus monitor eſt Religioſi ſi in ſua vocatione vacillet.* *Vincentius.*

cura, tanto enim affectu erga Deum & nos ducuntur, vt non ſolùm noſtros cuſtodes, verumetiam noſtros Pædagogos & Inſtructores ſe ſe continuò exhibeant, vt aliàs diximus, immò totius Eccleſiæ Sanctæ columnas pluſquam marmoreas, ſe ſe clariſſimè oſtendant: non ergo mirum ſi eorum qui eis in hoc aſſimilantur, ſollicitam curam gerant.

Octaua ratio; Denique viri Religioſi præ reliquis Chriſtianæ Religionis cultoribus, tempus pro maiori parte in diuinis decantandis laudibus tranſigunt; at hoc eſt Angelorum munus, vt poſtea dicendum erit: & conſtat præſertim ex illo triſagio quod continuò alternis vicibus decantant, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, &c. magnifica Dei opera & beneficia extollentes: nulli ergo mirum videatur, ſi conſtanter hîc aſſeueremus, ex hac potiſſimùm ratione, ipſos Angelos indicibili affectu Religioſos cuſtodire, docere, auxiliari & protegere, immò ſi quibuſdam hiſtoriographis (de quibus poſtea) fidem adhibere volumus, ipſi interſunt quanquam inuiſibili præſentiâ, dum Religioſi Pſalmos, Hymnos, & alias diuinas laudes celebrant, & cum eis pariter decantant. *Iſay. 6.*

Mitto alias rationes quæ hîc adferri poſſent, vt quòd Religioſi ſpirituali quâdam virtute reliquis ſuperemineant, ſicut Angeli cunctis hominibus præſtant; & quòd in maxima remaneant quiete, animorum tranquillitate, & fraterno amore, ſicut Angeli ſunt omninò pacifici, & abſque vlla diſcordia, homines & ſe ſe mutuò diligentes, quod vix homines huius ſæculi poſſunt aſſequi, ſaltem cum tanta perfectione, vtpotè rebus & negotijs ſæcularibus implicati. Ex his itaque rationibus & alijs multis, inconfeſsò eſt omnibus, Angelos ad proborum Religioſorum cuſtodiam, eruditionem, auxilium, & protectionem moueri & excitari.

Quod autem ad hiſtorias attinet, quibus etiam conſtat Angelos præcipuè Religioſos cuſtodire, eorumque curam gerere. Primò ſatis nota eſt hiſtoria S. Gregorij Magni, qui à Monachatu & Religioſo ſtatu, ad ſummum Pontificatum euectus fuit; ille ergo cùm aliquando duodecim peregrinos ad prandium inuitaſſet, tredecim numerauit, decimus enim tertius Angelus erat quem ſolus videbat, ſuſpicatus eſt autem Angelum eſſe, ex eo quòd in faciem eius intendens videbat illam ſtatim in forma adoleſcentis apparere, & poſteà in forma venerabilis cuiuſdam ſenis: cùm autem illi duodecim finito prandio egrederentur, illum decimum-tertium retinuit, & in cubiculum ſuum inducens, poſt familiare colloquium, ipſe Angelus declarauit ſe eſſe eius cuſtodem; vnde S. Gregor. in faciem ſuam corruit, Deoque de tanta eius beneuolentia gratias egit, & Angelus diſparuit.

Surius in vita S. Guthlaci Eremitæ, refert quantùm ei familiaris fuit eius cuſtos Angelus, veſpere & mane ei apparens: illi prædicebat futura, indicabat abſentia, arcana cœleſtia reuelabat, in omnibus conſolabatur, vt ipſemet Eremita Bertelino diſcipulo ſuo declarauit.

Idem refert Georgius Preſbyter de S. Theodoro Archimandrita, qui fuit multorum Monachorum pater, cui apparuerunt SS. Coſmas & Damianus multis Angelis aſſociati, cùm aduersâ valetudine laboraret, cùm autem ipſe fleret, ſe morti proximum exiſtimans, quòd tantam non egiſſet pœnitentiam quantam exoptaret, quodque puſillum ſuum gregem nondùm perfectè inſtitutum relinqueret; Sancti illi, & Angeli, à Deo ſicut olim Regi Ezechiæ, quindecim vitæ annos impetrarunt. Sunt quamplures aliæ hiſtoriæ ſimiles apud Auctores, ſed tantùm vnam in præſentiarum referam ex Annalibus Societatis Ieſu, de Ioanne Carrera viro non mediocri ſanctitate, & vitæ probitate conſpicuo, qui cùm erga ſanctiſſimam Dei Matrem & tutelarem ſuum Angelum, maximè deuotus exiſteret, cum ipſo tantâ familiaritate coniunctus fuit, vt veluti intimo cum amico, ſua conſilia ſermoneſque, & ſæpè in rebus arduis & dubijs interrogaret & conſilium exquireret; viciſſimque Angelus ad omnia reſponderet.

Georgius Presbyter.

1551. lib. 13.

Sancti Angeli igitur, cunctis pijs Religioſis prompti ſunt, ad monendum, ad iuuandum, & benefaciendum. Quòd ſi forſan Religioſus in ſua vocatione vacillet: habet Angelum cuſtodem qui conſiliarius eius eſt, monitor & confortator ſodulus, & ſæpè reſiſtens tentationi Diabolicæ: ſicut Vincentius in ſpeculo hiſtoriali, refert de Germano quodam Monacho conuerſo Ciuitatis Colonienſis Laſſardo nomine, qui à Dæmone peccato ſuperbiæ tentatus, volebat à cœnobio recedere, quia cùm nobilibus parentibus eſſet oriundus, & in mundo multis seruis non careret, alijs tamen in ſeruiendis erat deſtinatus: apparuit ergo illi Angelus eius cuſtos in forma venerandi cuiuſdam viri, qui cùm eum ad portam templi, & hinc ad Cœmeterium duxiſſet, & apertis ſepulchris ei mortuum quendam putridum & fœtidum oſtendiſſet, declaraſſetque illum breui futurum huic ſimilem, ſi relictâ clauſtrali requie ad mundum rediret, eumque ducere niteretur ad alia quoque conſpicienda cadauera, illicò reſipuit, pœnituitque quòd à Monaſterio egredi voluiſſet, & tunc portas templi & Cœmeterium claudi vidit, & Angelus eo ad dormitorium reducto diſparuit. Cauendum eſt igitur viris Religioſis ne in aliquod vitium incidant, ex quo propulſent à ſe tutelam & cuſtodiam Angelorum, qui in illis monendis, iuuandis, conſulendis,

Angelus monitor eſt Religioſi ſi in ſua vocatione vacillet.

Vincentius.

confortandis, conſolandis, & eis benefaciendo continuò proni ſunt; Pręſertim caueant à ſuperbia, iactantia, laſciuia, alijſque ſimilibus, quæ vitia peſtis ſunt quam effugere conatur Dei Angelus: nullo certè negotio ab his vitijs cauere poſſunt Religioſi, ſi perſoluto diuino officio in cellas ſuas ſe ſe recipiant, niſi neceſſitas, charitas, aut ſuperioris obedientia, aliud agendum ſuadeant ac mandent; dum enim eſt in cella ſua Religioſus, & ibi legit aut orat, aut meditatur, aut ſcribit, aut aliquid aliud boni operatur (inquit Thomas à Kempis, de diſciplina clauſtrali) non audit detractiones, non percipit rumores, non videt vanitates, non trahitur ad leuitates: bonus cellita ciuis eſt cæli; cælum enim & cella ſunt nomina, quæ videntur adinuicem aliquam habere cognationem, vt aiebat Sanctus Bernardus ad fratres de monte Dei, à celando enim cœlum & cella nomen habere videntur, & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis. Bonus cellita (ait idem Thomas à Kempis) amicus eſt Dei, ſocius Beatorum Angelorum, cognitor ſecretorum, inſpector ſermonum, victor tentationum, expulſor Dęmonum, bellator vitiorum, contemptor mundanorum, neglector curarum, poſſeſſor quietis, obtentor pacis, amator ſcripturarum, ſpeculator veritatis, guſtator puritatis, continuator orationis, collector ſanctæ meditationis, & deſtructor omnis euagationis. Hæc ſunt maxima Religioſorum bona in ſuis potiſſimùm cellis habita & acquiſita; ſed poſt amicitiam quam contrahunt, non exiguum eſt illud bonum, quòd ibi ſuorum bonorum Angelorum cuſtodum ſocij exiſtant, qui illos moneant, confortent, eis conſulant, & in cunctis benefaciant. Amicos ergo quæritis ô Religioſi? fideliores his non inuenietis; Conſiliarijs egetis? intelligentiſſimi ſunt: Patronos deſideratis? diſertiſſimi ſunt: propugnatores ambitis? potentiſſimi ſunt & in vita & in morte: benefactores optatis? his liberaliores non habebitis. Itaque oportet vt Angelos veneremur, & colamus, caueamus illos offendere, idque tantò ſollicitiùs, quantò faciliùs contra eorum puritatem & continuam munificentiam peccatur.

lib. 1. cap. 7. Thomas à Kempis.

S. Bern.

SECTIO II.

Quâ debeant reuerentiâ & honore, Religioſi & alij omnes, ſuos cuſtodes Angelos colere, eoſque amore proſequi.

APVD Gentiles tantus increuit honor erga tutelares Deos, illos ſcilicet in quorum protectione & tutela ciuitates eſſent, vt ne nominare quidem fas eſſet, ſicut refert Plutarchus [a], atque etiam Alexander ab Alexandro [b], cùm tamen falſa eſſet eorum tutela & defenſio; at quantò maiori reuerentiæ & honori nobis eſſe debent boni Angeli cuſtodes noſtri; quantoque debemus amore proſequi tantos Principes, & cœleſtis aulæ milites, qui noſtræ inuigilant tutelæ? Id nos docet Sanctus Bernardus cùm ait: *Et ſi ipſe* (ſcilicet Deus) *mandauit ipſis qui & ei ex tanta charitate obediunt, & nobis ſubueniunt in tanta neceſſitate, ingratos eſſe non licet, ſimus ergo deuoti, ſimus grati tantis cuſtodibus, redamemus eos, honoremus eos quantùm poſſumus, quantùm debemus, totus tamen ei reddatur & amor & honor, à quo tam ipſis quàm nobis eſt totum, vnde honorare poſſumus vel amare, vnde amari honorari-ve debemus.* Idem S. Bern. ſermone de Angelis nobis hunc reſpectum & venerationem inculcat cùm ait: *Penſate quanta nobis ſollicitudo opus eſt, vt dignos nos exhibeamus eorum frequentiâ, & eo modo conuerſemur in conſpectu Angelorum, ne forsè Sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis ſi quando Angeli prouocati peccatis & negligentijs noſtris, indignos nos iudicauerint præſentiâ & viſitatione ſuâ, vt iam neceſſe habeamus cum Propheta plangere, ac dicere: Amici mei & proximi mei aduersùm me appropinquauerunt & ſteterunt, & qui juxtà me erant de longè ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam; elongatis nimirùm eis quorum præſentia protegere & propulſare poterat inimicos.* Idem in Pſalmum 90. *In quouis diuerſorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe, tu ne audeas illo præſente quod-vidente me non auderes.* Idem adhuc hoc magis confirmat in ſermone de Angelis: *Si tam neceſſariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cauenda nobis illorum offenſa, & in his maximè exercendum, quibus nouimus eos oblectari.* Illa autem poſteà adferemus dum eos eſſe pacificos oſtendemus. Si itaque illos nobis ſemper præſentes ob oculos conſti-

Angelos honore colere, & amore proſequi debemus.

a *Problem. 61.*

b *Lib. 2 genial. dier. cap. 22.*

Serm. 12.

Serm. 1.

In Pſal 90.

Serm. 1.

tuamus & omnium operum verborumque teſtes omni exceptione maiores, vt par eſt, credamus, non ſolùm illos reuereri & colere ſtudebimus, verùm etiam nihil agendum tentabimus, quod eorum oculos offendere valeat. Anſam igitur arripere debent omnes, & maximè Religioſi, pro tam multis & magnis beneficijs ab ipſis ſuis tutelaribus Angelis eis collatis, animi gratitudinem, omnibus officijs ipſis exhibendi, aliàs profectò non mediocri notarentur ingratitudine: & id præclarè oſtendit Sanctus Ambroſius, vbi conſiderans quomodo Raphaël Angelus duxerit & reduxerit Tobiam Iuniorem, vt jam diximus, maximè hæc aduertit verba: *Profectus eſt autem Tobias, & canis ſequutus eſt eum.* Sed quid oportuit recenſere canem ſequutum fuiſſe Tobiam? Reſpondet ergo Sanctus Ambroſius ideò Scripturam meminiſſe canis, vt quid Angelo debeamus innoteſcat, Angelus adeſt, & homo; Angelus quidem, qui bono hominis conſulit, homo qui ſub tutela Angeli eſt; & canis qui ſymbolum eſt gratitudinis: ergo vbi adeſt homo & Angelus, adſit canis, quia oportet nos eſſe gratos Angelis, & omnibus modis noſtram eis animi gratitudinem demonſtrare. Notanda ſunt Beati Ambroſij verba, *Mutæ itaque* (inquit) *beſtiæ ſymbolo, Sanctus Raphaël Angelus Tobiam Iuuenem quem erudiendum acceperat, ad relationem gratiæ erudiebat.*

Erga Angelos haud ingrati eſſe debemus. *Lib. 6. exam. cap. 4.*

Hæc autem animi gratitudo, non ſolùm in illis colendis & maximo honore habendis conſiſtit, ſed etiam in ipſis ſummo amore proſequendis. Romani olim Manlium non modico affectu diligebant ob virtutes quæ in eo relucere cōſpiciebant; at poſtquàm reſciuerunt ipſum ſuâ vigilantiâ & diligentiâ impediuiſſe ne Galli Capitolium ingrederentur, vt illius loci tandem poſſeſſores exiſterent, maiori longè amore tunc erga illum ſunt affecti. Aſſuerus item Rex Aſſyriorum Mardochæum Iudæum diligebat, ſciens illum fuiſſe nutritium filiæ fratris eius Heſter nuncupatæ, quam in vxorem acceperat, & Reginam conſtituerat; at poſtquàm à quibuſdam ſuis domeſticis reſciuit, ab ipſo Mardochæo detectas fuiſſe Thares & Bagatham in propriam eius vitam conſpirationes, is Monarcha tunc erga illum longè maiora amoris indicia exhibuit: ita Angelos qui natura ſua ſublimes ſunt Spiritus, cunctis alijs rebus creatis ſuperiores, omnibuſque tùm gratię, tùm gloriæ perfectionibus donati, diligere debemus; ſed prętereà potiori ratione, quia tutores ſunt noſtri, & in dies eorum fauores, auxilia & patrocinia experimur, eos amore longè perfectiſſimo proſequi debemus, ne infami ingratitudinis labe, & grauiſſimis pœnis digni, exiſtimari & eſſe velimus. Et quidni eorum

amicitiam nobis conciliabimus, ſi nullum (vt aiunt) non moueamus lapidem, ad nobis acquirendam hominis etiam vulgi neceſſitudinem, familiaritatem, & beneuolentiam? Si Principis vel Nobilis & Optimatis alicuius, amicitiam & beneuolum affectum qui paucis diebus euaneſcit, tanti ſolemus æſtimare, vt nos ſufficienter ei dignas ſatis gratiatum actiones rependere non poſſe iudicemus, quid amabò pro tam beneuolo Angelorum erga nos affectu, tantiſque beneficijs, & acquirendis & conſeruandis etiam in perpetuum, agere non debemus, quò apud Deum mediatores noſtri & interceſſores exiſtant? Ad eorum æternitatem & cæleſtem hereditatem continuò tendimus, quid ergò non agendum, vt eos ad ſuſcipiendam deductionem noſtram inducamus, & vt in eadem aliquando fœlicitate eis aſſociemur? Solemus gratias agere ijs qui nobis veram viam quâ quò piam tendimus oſtendunt, & tot beneficiorum ab Angelis acceptorum haud memores erimus, & grates quàm maximas eis non perſoluemus, qui & Paradiſi viam nos docent, & cuncta ad illam obſtacula è medio tollunt, & qui tandem nos vſque ante Dei thronum ducunt & deferunt? & hoc ſanè ſatis nobis indicat id quod in libro Leuitici ſcriptum repetimus. *Iuſſit Dominus ſingulis annis menſe ſeptimo celebrare filios Iſraël feſtum ſolemne Tabernaculorum diebus ſeptem. Et dies primus bonum* (ait Sacer Textus) *vocabitur celeberrimus atque ſanctiſſimus.* Quare hoc feſtum ſic celebrari iuſſit? Reſpondet S. Thomas, ad commemorandum beneficium diuinæ protectionis & deductionis eorũ per deſertum miniſterio Angelico, vbi, in tabernaculis habitarunt, vnde in hoc feſto debebant habere fructũ arboris pulcherrimæ, id eſt citrum, & lignum denſarum frondium, id eſt, myrthum, quæ ſunt odorifera, & ſpatulas palmarum & ſalices de torrente, quæ ſuum virorem diu retinent, quęque in terra promiſſionis inueniuntur; ad ſignificandum, quòd per aridam terram deſerti eos deduxerat Deus ad terram delicioſam. Ita S. Thomas. Et inde colligere debemus quantùm Angelis cuſtodibus noſtris debeamus, quantòque eos honore proſequi teneamur, ac eorum opem implorare, cùm duces noſtri fideliſſimi ſint, ducendo nos non in terram promiſſionis, in quam Iſraëlitę ducti ſunt, ibi enim quamplures perierunt; ſed in Patriam cœleſtem vbi in æternum viuamus, atque regnemus cum Chriſto præcipuo duce noſtro; æquum eſt (inquam) vt redamemus tam bonos Præſtites, tam liberales atque munificos, tam ſingulari ornatos beneuolentiâ & humanitate, qui vbiquę beneficentiæ ſuæ argumenta teſtimoniaque deſigunt. Quod indicare mihi viſus eſt ille Angelus, qui ſanctum Petrum Eccleſię caput à Chriſto prępoſitum, è vinculis eripiendum

Leuit. 23.

1. 2. q. 102. art. 4. ad 10.

Act. 12. Cur Angelus tetigit latus Sancti Petri in carcere.

acceſſerat: cum enim Carceris locum illuminaſſet, ait ſacer textus Act. Apoſt. *Percuſſoque latere Petri excitauit eum:* Tetigit latus ſedem cordis & fontem affectionis, quo ictu foras euocaret amorem purum atque diuinum: ita Angelus cuſtos noſter, noſtrum quatit latus, non vt ille manu, nec aurea virga vt in fabulis Mercurius, ſed inclytis & perennibus beneficijs, quibus vt è ſilice ferrum, ſic è pectore noſtro amoris ignem educere nititur, niſi nos duriores marmore aut ſolido adamante ſimus. Senſit hanc flammam S. Dionyſ. de Eccl. Hierar. dum ſe amatorem Angelorum dixit: Ita S. Leo Papa ſerm. de Epiphania, dum dulciſſimum illum amorem erga beatiſſimas illas mentes ſentiret, & ſingularē in homines beneuolentiam, eò rapere ſecum omnes cupiebat, & ſimili incendere deuotione, dum his vtebatur verbis: *Confirmate amicitias cum ſanctis Angelis.*

S. Dionyſ. de Eccl. Hierar. cap. 13. S. Leo, ſerm. 5. de Epiph.

SECTIO III.

Angelos inuocare & eorum auxilium implorare, in noſtris afflictionibus debemus.

Angeli ſunt à nobis inuocandi. Gen. 48. Iob. 19.

HÆc Angelorum inuocatio nobis primò ex ſcriptura innoteſcit nam in Geneſi, Iacob benedicens filijs Ioſeph ſic aiebat: *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris iſtis.* Hic apertè S. Iacob Angelum inuocauit, ita in libro Iob habemus: *Voca ſi quis eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere.* Vbi nomine ſanctorum intelligit Angelos, vt S. Auguſtinus exponit in annotationibus in Iob, qui etiam illud: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*, ad Angelos dici exiſtimat; iuxta quod dicitur eodem in lib. *Si fuerit Angelus loquens pro eo vnus de millibus, miſerebitur eis & dicet. Et libera eum.* Ita etiam docent SS. Patres.

S. Auguſt. Iob. 33.

Serm. 2. in Pſal.

Et primò S. Bernardus ſermone in Pſalmum, *qui habitat*, monet quomodo bonum noſtrum Angelum in noſtris tribulationibus, tentationibus, & afflictionibus inuocare eiuſque auxilium implorare debeamus. *Quoties ergò*, inquit, *grauiſſima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca cuſtodem Angelum tuum, Doctorem tuum, adiutorem tuum, in opportunitatibus, & tribulationibus: inclama eum & dic, Domine ſalua nos, perimus.* Et idem S. Bernard. ſermone de triplici genere bonorum, *à Sanctis Angelis*, inquit, *auxilium quærendum eſt, & occultis ſuſpirijs & frequentiâ lachrymarum, vt illi ſupereminenti majeſtati preces noſtras offerant, referant gratiam, quia adminiſtratorij ſpiritus ſunt miſſi propter nos vt ha-*

Idem Bern.

reditatem capiamus ſalutis. Ita communis eſt opinio Sanctorum Patrum Angelos eſſe inuocandos ab omnibus, & quantò magis à Religioſis? videamus quomodo illos inuocabat S. Auguſt. in meditationibus ſuis, *Sancte Michaël, Sancte Gabriel, Sancte Raphaël, Sancti chori Angelorum, atque Archangelorum, per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, vt pro me culpabili, Deo ſupplicare dignemini.* Ita S. Chryſoſt. in Liturgia, *Cæleſtis militiæ Princeps Michaël, rogamus te nunc indigni, vt tuis interceſſionibus munias nos.* Ita quamplures Sanctæ Eccleſiæ Patres, quorum ſententias longum nimis eſſet hîc recenſere: illi pleno ore Sanctos Angelos inuocarunt; ad imitationem Patriarchæ Iacob. Hinc Petrus Faber Societatis Ieſu vir verè Religioſus (ait Orlandinus [a]) in omni regno ditioneque prætereunda, Principatus & Archangelos ſibi & incolis implorabat; & cùm ad vrbem aliquam oppidumue propiùs accederet, fundebat ſuper incolas orationem, & clementiſſimo Dei numini ſupplicabat, vt eius Regionis Archangelus, Angelique magiſtri ſingulorum hominum atque cuſtodes, præcipuo eam ſtudio curâque defenderent: & in hoc videbatur imitari Patriarcham Iacob de quo dicitur apud Ozeam, *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit, & rogauit eum.* Vox autem rogantis Iacob iſta eſt, *non dimittam te niſi benedixeris mihi.* Ipſi autem Sancti Patres qui nos monent vt Angelos inuocemus, docent proinde illos flecti miſericorditer, & anxiè pro nobis orare: ita docet S. Auguſt. in ſoliloquijs, *Magna cura* (inquit) *& vigilanti ſtudio adſunt nobis* (Angelici ſpiritus) *omnibus horis & locis ſuccurrentes, & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſollicitè diſcurrentes ad te* (Deus) *vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem: ambulant enim nobiſcum in omnibus vijs noſtris, intrant & exeunt nobiſcum, &c.* Et clariùs S. Chryſ. libro de incomprehenſibili Dei natura, loquens de Angelis, *Rogant* (inquit) *pro genere humano quaſi dicant, pro his Domine rogamus quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorũ ſalute mortẽ obires, animã in cruce efflares; pro his ſupplicamus pro quibus ipſe tuũ largitus es ſanguinem; pro his oramus pro quibus corpus tuum immolaſti*, &c. Mitto penè infinitos alios Patres, vt exemplum in medium proferamus de Seraphico Patre noſtro Franciſco, qui continuò in omnibus ſuis actionibus & maximè in tribulationibus, eorum implorare auxilium ſolebat: vnde ait S. Bonauentura in eius vita: *Tanto erat ipſis Angelicis ſpiritibus amoris vinculo copulatus, atque ita eos venerabatur, vt ob deuotionem ipſorum, ab Aſſumptione Virginis glorioſæ, quadraginta diebus inſiſtens ieiunauerit. Beato autem Michaëli Archangelo, eò quòd animarum repræſentandarum*

Marginal notes: Cap. 40. — S. Chryſ. — Gen. 48. — [a] Lib. 1. — Ozee 12. — Gen. 32. — Cap. 27. — S. Chryſ. — Angeli pro genere humano precantur. — Cap. 9. S. Franciſci deuotio erga Angelos.

haberet officium, ſpirituali erat amore deuotior, propter feruidum quem habebat zelum ad ſalutem omnium ſaluandorum. Et quis enarrare ſatis poſſet, quanto feruore, deuotione, & lacrymis, eorum implorabat auxilium, & maximè pro peccatoribus & totius mundi ſalute? hanc Angelorum venerationem & inuocationem, nobis commendant dies ſolemnes & feſtiuæ ad eorum honorem inſtitutæ, & potiſſimùm eorum Principis S. Michaëlis. Id habemus ex Canone *pronunciandum* de conſecratione, diſt. 3. Ecce Canon, *Pronunciandum eſt Laicis, vt ſciant tempora feriandi per annum, &c. feriandi verò per annum iſti ſunt dies, natalis Domini, &c. dedicatio Eccleſiæ ſancti Michaëlis Archangeli, &c.* Et iam aliàs diximus diem vnum quodlibet anno aſſignari à Paulo V. ſummo Pontif. ad laudes Deo decantandas in honorem Angelorum cuſtodum, & ad eorum officium celebrandum. Eandem inuocationem nobis commendant tot Eccleſiæ in eorum cultum & potiſſimùm S. Michaëlis erectæ, tum in locis vbi Gentiles Martem quaſi Deum adorabant, tum in monte Gargano ſub Gelaſio Papa ab ipſomet S. Michaële, à quo etiam dedicatio facta eſt; tum Romæ à Bonifacio II. tum propè Conſtantinopolim à Conſtantino Magno, & in vrbe Coloſſenſium, alijſque Græciæ locis; tum à Iuſtiniano Imperatore plures; in Germania quoque plurimæ; tum in Gallia tempore Childeberti Francorum Regis in loco maris qui propter eminentiam ſuam Tumba vocatur in Britanniæ & Normaniæ finibus; & alibi denique quamplures Eccleſiæ & Capellæ fuere in honorem S. Michaëlis & SS. Angelorum conſtructæ, & feſti dies inſtituti ex antiqua Eccleſiæ tàm Græcæ quàm Latinæ ordinatione & conſuetudine, in quibus Deus ipſe in ipſorum Angelorum memoriam colitur & laudatur, & in dicta loca & potiſſimùm in montes Garganum & Tumba, ſolent varij vndequaque peregrini confluere, eiuſdem S. Michaëlis & reliquorum cœleſtium ſpirituum, opem imploraturi.

Dies feſtiui in honorem Angelorum.

Diſt. 3.

In Angelorum & præſertim S. Michaëlis templa erecta.

Sed poſtquam eorum imploramus opem, ita promptè & tanta virtute nobis ſuccurrunt, & auxiliantur, vt non immeritò aquilis & leonibus à S. Dionyſio comparentur. Aquila enim celeri volatu ſuprema petit, & ſolem fixè quanquam in meridie contemplatur, pulloſque ſuos à ſerpentum illiſionibus defendit, ita vt tanto viſus acumine polleat, vt ſimul & ſemel vno oculo ſolem & altero pullos ad eos protegendos, vel etiam prædam intueatur, ſi quibuſdam naturalibus Philoſophis fidem adhibere velimus; ita Angeli tanquam celeres aquilæ lucidiſſimum Deitatis ſolem continuò contemplantur; *ſemper enim vident faciem Patris*; nec propterea deſinunt nos tanquam pupillos eorum tutelæ & protectioni commiſſos, ab infernalibus

De Celeſt. Hierarch. c. 19.

Angeli in nobis ſuccurrendis, Aquilæ & Leoni comparantur.

Matth. 18.

nalibus ſerpentibus defendere & tueri, atque nobis neceſſaria miniſtrare, immò ſuper alas ſuas portare, vt ipſe Deus Moyſi aiebat: *Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filijs Iſraël. Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi*; per has aquilarum alas, intelligunt Interpretes Angelorum protectionem. Exod. 19.

Leo etiam benè hunc fauorem protectionemque Angelicam deſignat: Leo enim terret hoſtes, nec aliquis contrà eius vires conſiſtere valet, vnde ait Pauſanias Agamemnonem in clypeo ſimulachrum Leonis ad terrendos hoſtes geſtaſſe. Continuò ergo ab Angelo qui in clypeo protectionis adeſt, Dæmon fugatus ac territus abſcedit; Quòd ſi legis Leonem formidare ignem, ſcias id quidem verum eſſe in Angelo, horret, & meminit quodammodo fugæ, cùm ignem accendimus concupiſcentiæ.

At obijcit Hoſpinianus Caluiniſta, talem Angelorum inuocationem & cultum, nec-non dies feſtos eis dicatos, pugnare cum Apoſtolo, qui Coloſſenſibus hæc dat monita: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans fruſtrà inflatus ſenſu carnis ſuæ, &c.* Et vt figmento ſuo aliquem colorem allinat, adducit Commentarium Theodoreti, qui omnem Angelorum cultum damnare videtur. Reſpondent S. Pauli interpretes, Apoſtolum loqui de illis qui Angelos ità colebant, vt eos Chriſto tanquam excellentioros anteponerent, qui cultus ſanè peruerſus immò ſacrilegus erat, & propterea ipſe Apoſtolus vt iſtos coargueret ac retunderet, ſæpiùs ex inſtituto, excellentiam & eminentiam Chriſti ſuper Angelos prędicauit, & Chriſtianis inculcauit, vt vt ad Coloſſenſes, ad Hebręos, ad Galatas, & ad Corinthios: *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus?* quò ſimiliter indicauit, tantùm abeſſe vt Angeli ſint Chriſto ſuperiores, quin etiam ipſis ſanctis hominibus in iudicio tanquam iudicibus ſubijciendi ſint. Quod verò ad Theodoretum ſpectat, dicimus illum nonnullos hæreticos redarguere, quòd in quibuſdam oratorijs in Phrygia, Sancto Michaëli alijſque Angelis, tanquam Chriſto maioribus ſacrificarent; Quod ſine dubio eſſe deteſtandum ac abominandum iudicabat.

ad Coloſſ. 2.

ad Coll. loco citi ad Hebr. 1. Galat. 1. 1. Cor. 6.

SECTIO IV.

Quid agendum, vt Angelo, quem inuocamus, grati ſimus.

Vt Angelis grati ſimus quid agendũ.

SI Angelo cuſtodi & protectori noſtro pro nobis pugnanti, cuius opem implorare debemus, grati eſſe velimus, & ab eo exaudiri, ductum eius ſequi debemus, acquieſcere eius conſilijs, gratias ei immortales de tot tantiſque à Deo acceptis beneficijs agere, illum venerari & colere, vt dictum eſt; & inſuper cauendum à conſilijs Dæmonum. Si modò aliquis Chriſtianus & Catholicus Rex, ſuos Regni Conſiliarios à ſuis conſilijs deturbaret, & Turcas aduocatos vel alios Chriſtianæ Religionis inimicos ad conſilium adſciſceret, & cuncta eorum conſilio ageret, quem finem & euentum expectares? An non Regni interitum? Quia Roboam ſenum conſilio relicto, iuuenum conſilium ſequutus eſt, amiſit decem Tribus; quid non amittet qui relicto Angelorum conſilio, qui ſunt veri, ſapientes, ac fideles amici, Dæmonum conſilio cuncta gubernat ſua? Dic miſer peccator, quæ ſequeris conſilia dum te meretrici tradis, & ſequeris eam velut bos ductus ad victimam? cùm ludo ſubſtantiam perdis? &c. niſi Dæmonum, qui tibi infenſiſſimi ſunt inimici? num vides illos te quò volunt ducentes? quò tandem eorum ductu peruenies, niſi quò ipſi peruenerunt? Cures ergo Angelos reuereri, & omnem eis debitum honorem præſtare, eorum acquieſcas conſilijs, & eorum ſequaris ductum, & bene tibi erit. Iacob illuſtrem Patriarcham & virum verè religioſum tibi ob oculos conſtitue, & illum imitari coneris qui cuſtodem, opitulatorem, & optimum conſiliarium, agnouit atque ſuſpexit Angelum ſuum; & quod multò eſt ampliùs, coram eo fleuit & rogauit, ſicut Ozeas Propheta luculenter expreſſit. Iacob (vt ſcripſit Moyſes) illa vox eſt, *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Ita hanc eximiam fidem & pietatem huius Patriarchæ tibi æmulandam putes, tuumque cuſtodem & tutelarem Angelum in magno habeas pretio, eiuſque benedictionem in nomine Domini factam ſubinde petas religioſè, tanquam à maiori & meliori tuo amico conſiliario, tutore, ac protectore; verè eſt amicus ille fidelis, qui medicamentum eſt vitæ & immortalitatis, de quo habet Eccleſiaſticus: Ille eſt qui ſingulari ſuâ prouidentiâ tibi conti-

Cap. 12. Gen. 32.

Cap. 6.

nuò adeſt, luce conſilioque ſuo te inſtruit, tutelâ protegit, infeſtum hoſtem noſtrum vincit, nos gratiâ & cœleſtibus donis cohoneſtat. Sanè ingrati, improuidi, & ſupplicio digni ſumus, niſi omnem illis cultum & reuerentiam tribuamus, atque intimo animi ſenſu illos amemus: ſic tamen vt fateamur omnes, & præ nobis feramus, nullis officijs & religione conſequi poſſe, vt eorum erga nos ſtudium & præſtantem voluntatem æquaſſe videamur.

CAPVT XVII.

De forma & habitu in quibus apparuerunt Angeli.

SECTIO I.

Qua in forma apparuerunt.

PRÆSVPPONENDVM primò nos ſentire & intelligere Angelos nobis adeſſe illuminationibus, boniſque cogitationibus, proüt ex ſuperioribus liquet; & ſic inuiſibiliter Angelus apparuit Balaamo [a] pergenti ad maledicendum populo Dei, & Abrahamo [b] filium immolanti, & anteà in graui ſopore vel in ſomnis [c]. Apparuit & in ſomnis Sancto Ioſepho Sponſo Virginis Matris Dei, dicens [d] *Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi*, &c. Sic & inuiſibiliter Angelus deſcendebat in probaticam piſcinam, quæ erat Hieroſolymis, & mouebat aquam, in quam poſt motum eius qui prior deſcendebat ſanus fiebat à quacumque detineretur infirmitate. Plures & magis frequentes ſunt inuiſibiles Angelorum his ſimiles acceſſiones vel apparitiones.

De inuiſibili Angelorum apparitione.

a *Num.* 22.
b *Gen.* 22.
c *Gen.* 15.
d *Matth.* 2.

Ioan. 5.

Legimus quoque illos multoties apparuiſſe viſibili aliquâ formâ & in corpore aſſumpto, non quòd quantum ad illas pertinet corpore indigeant ad munera ſua exequenda, ſed propter nos, vt faciliùs ſe ſenſibus noſtris ad bonum & vtilitatem noſtram accommodent; & quandoque cum gloria ſe manifeſtant, vt viſibiliter inter homines conuerſando, demonſtrent ſocietatem futuram cum eis in futura vita, vt ſtatim dicemus.

De viſibili Angelorum apparitione.

De modo autem quo apparuerunt aliquando, loquens Cæſarius

Angeli quandoque in pue-

corum forma apparuerunt, ad Christi imitationem. *Lib. 8. c. 7.*

refert Sanctæ Richmundis vitam deſcribens, quomodo ipſa ſemel Chriſtum quaſi de nouo natum viderit in præſepio à Virgine reclinatum, vt in ipſamet eius Natiuitatis nocte, quem comitabantur & venerabantur Angeli; requiſita autem cùm poſteà fuerit, quales eſſent Angelorum effigies, reſpondit ſtaturas habere humanas, facies Virginibus ſimillimas, genas ad inſtar roſarum rubentes, & reliquis membris intectis niue candidiores. Aduerte autem formam illam humanam quam aſſumpſerunt dum apparuerunt, ſæpè non fuiſſe formam alicuius hominis prouectæ ætatis, ſed pueri; & in hac forma ſemel Abbati Zenoni in Scythia, apparuit Angelus qui cuſtos eius erat, illumque pane refecit, poſtquàm caſu è cella ſua egreſſus per noctem errauit, tres noctes dieſque ambulans, & poſteà in ſuam reduxit cellam, & diſparuit.

Ita in forma pueri quoque apparuit Sanctæ Franciſcæ Romanæ Angelus eius cuſtos, vt refert Andræas Valladerius in eius vita.

Aliud exemplum Angeli in forma pueri, eſt illud quod Beato Auguſtino contigit ſcribenti librum de Trinitate, cùm enim ſemel poſt diuinum ſtudium, veſpere ſuper littus maris propè ciuitatem Hipponenſem, cuius erat Epiſcopus, deambularet, puerum miræ pulchritudinis ſuper littus maris ſedentem inuenit, qui factâ in terra patuulâ foueâ, aquam è mari hauſtam cochleari argenteo in illam effundebat, & cùm inquiſiuiſſet Sanctus Auguſtinus quid ageret, ſeriò reſpondit: Volo totum iſtud exhaurire mare, & iſti foſſæ (ſi poſſim) infundere, & cùm illi diceret iſtud eſſe impoſſibile, mox puer, poſſibiliùs (inquit) mihi eſt hoc præſtare quod intendo, quàm te implere quod cogitas; voluis enim cogitatu, & æſtimas volumine breui concludere quid ſit illud indiuiduæ Trinitatis inexplicabile Sacramentum, & hoc quidem antequàm poſſis, iſti paruulæ foſſæ, maris vndas infundam, hæc dicens diſparuit.

Alia quamplura afferri poſſunt exempla de apparitione bonorum Angelorum in puerili forma, vt de illo qui Beatæ Dorotheæ cùm duceretur ad martyrium apparuit, vt referunt Anthoninus [a], & Petrus de Natalibus, &c. Nunc videndum illos id ad imitationem Chriſti præſtitiſſe, ipſe enim non ſolùm dum natus eſt, & vſque dum adoleuit in noſtra natura puer in mundo fuit, ſed etiam poſtquàm cœlum conſcendit, pluries in forma etiam pueri apparuit, cur non illum imitarentur Angeli? Quædam ergo exempla accipe.

[a] 1 p. tit. 8. cap. 2. Pet. de Natal.

Lib. 1. de apibus c. 1. Chriſtus in

Cantipratenſis refert Chriſtum cuidam Monacho Ciſtercienſi, viro pietate pleno, in terra Brabantiæ in forma pueri elegantiſſi-

ma apparuiſſe, de frigore conquerentis & flentis quòd nullus eum colligeret, & hoſpitium præſtaret, quod audiens Monachus, & eum in brachijs eleuans & oſculatus, volens cum puero equum conſcendere, & illum in hoſpitium portare, de eius brachio exiliens diſparuit, ſed non abſque magna probi illius viri triſtitia, nam tunc nouit illum eſſe ſanctiſſimæ Virginis Filium.

Forma puerili quandoque apparuit.

Idem Cantipratenſis narrat Chriſtum in forma etiam pueri apparuiſſe in Sacramento Duaci in Eccleſia Canonicorum Sancti Amati Epiſcopi.

Lib. 2. c. 40. num. 2.

Refert quoque Surius S. Liduuynam eundem Chriſtum in forma ſpecioſiſſimi puerulí, illam blandiſſimè aſpicientis vidiſſe, eique gratias egiſſe, quòd ſe indignam ancillam ſic viſitare dignatus eſſet.

Rem etiam narrat mirabilem ex Ioanne Taulero, Ludouicus Bloſius de Virgine Monacha quæ diuino amore flagrans, optauit videre Chriſtum, cui ſtatim adſtitit petenti, in forma puerulí pulcherrimi.

Ferunt etiam Seraphicum Patrem noſtrum S. Franciſcum aliquoties puerum Ieſum inter ſanctiſſimæ ſuæ Matris vlnas conſpexiſſe, & potiſſimùm in monte Aluernæ, vt mihi etiam ibidem exiſtenti anno Iubilęi 1625. ad Capitulum Generale Romæ celebrandum properanti, narratum fuit: etenim illius Conuentus Patres ex traditione habent, ſuper vna arbore ipſam Beatam Virginem dilectiſſimum Filium ſuum in forma puerulí inter vlnas geſtantem apparuiſſe, & Fratribus ibidem pręſentibus & conſpicientibus benedixiſſe, de cuius arboris ligno & ramis ibidem aſſeruatis, vidi cum Patribus qui ſimul mecum dictum Capitulum Generale adibant. Multas porrò hiſtorias legi, quas nimis longum eſſet recenſere, quibus conſtat Angelos ſæpè in puerili forma ad imitationem Chriſti apparuiſſe.

Apparuerunt quoque pluries Angeli in forma hominum, ſiue iuuenum ſiue ſenum venerandorum, vt anteà notauimus, dum de Angelis qui pręcipuè religioſos cuſtodiunt diximus; Nunc tamen alia ſubijcienda ſunt exempla, & potiſſimùm ex Scripturis petita. In forma viri apparuerunt ipſi Angeli Abrahæ, ad quercum Mambre; Quod & explicat S. Auguſtinus. Ita in eadem forma Loth apparuerunt, eumque promptè à Sodomis egredi compulerunt.

Angeli quandoque in hominum ſiue iuuenum ſiue ſenum apparuerunt.

Gen. 18. & ad Heb. 13. S. Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 19. & alibi. Gen. 19.

Alius etiam Angelus in forma viri apparuit Ezechiëli, indutus lineis, & atramentarium ſcriptoris habens in lumbis: *Qui ſignabat ſigno tau, frontes virorum lugentium & dolentium, ſuper cunctis abomi-*

Ezech. 9.

nationibus quæ ſiebant, vt ab exterminio liberarentur. In ſpecie quoque viri apparuit quidam Angelus Gedeoni [a], & Manue [b] vxorique eius parentibus Samſonis. In forma verò iuuenis adoleſcentis expediti apparuit Tobiæ [c] vt iam aliàs diximus. Et ſic apud S. Marcum [d] apparuit ſanctis mulieribus in ſepulchro Domini iuuenis ſedens coopertus ſtolâ candidâ; & rursùm apud S. Ioannem [e] apparuerunt duo Angeli tanquam iuuenes in albis ſedentes, & item duo, [f] in Chriſti Aſcenſione in cælum. Hermas [g] S. Pauli diſcipulus Angelum ſibi in Paſtoris ſæpè apparuiſſe recenſet, & plura ſibi reuelaſſe. Meminit quoque Theodorus Lector [h] lib. 2. collectaneorum Hiſtoriæ Sacræ, Angelos in forma militum apparuiſſe, cùm enim, inquit, Neocæſariæ aliquando terræ motus futurus eſſet, miles quidam ciuitatem ingrediens, duos milites illâ abeuntes & alium quendam poſt tergum ipſorum clamantem vidit, ac dicentem, ſeruate domum in qua eſt theca Gregorij; ſicque terræ motum factum & maximam partem ciuitatis collapſam, domum verò Gregorij Thaumaturgi, id eſt mirabilium patratoris ſeruatam.

a Iud. 6. b Iud. 13. c Tob. 5. d Mar. cap. 16. e Ioan. c. 20. f Act. 1. g Lib. 2. reuelat. h. Theodorus lib. 2.

SECTIO II.

Angeli in forma glorioſa virorum, & alijs formis non humanis apparuerunt.

Angeli quandoque in forma glorioſa virorum apparuerunt. Dan. 10.

DVo ſunt hæc in ſectione, & quoad primum, legimus apud Danielem, Angelum Gabrielem qui ei apparuit illique ſacroſancta myſteria ventura detexit, illi in forma glorioſa apparuiſſe, vt ſatis ex ipſomet contextu patet. Deſcribitur enim vir veſtitus lineis, cuius renes erant accincti auro obryſo, & corpus eius quaſi chryſolitus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, brachia eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius vt vox multitudinis.

Dan. 3.

Et anteà apud eundem Danielem, cùm miſſi fuiſſent in fornacem ignis ardentis Sidrach, Miſach, & Abdenago, eò quòd noluiſſent adorare ſtatuam Nabuchodonoſor: Angelus Domini deſcendit cum illis & ſoluit illos, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtauit, neque quicquam moleſtiæ intulit: veriſimile eſt autem illum in forma glorioſa apparuiſſe, cùm dicat Sacer Textus, ſpeciem eius ſimilem fuiſſe Filio Dei; quid enim

Filio Dei glorioſius à quo omnis Angelorum & Beatorum gloria pendet? Ille pariter Angelus qui in Reſurrectione Chriſti apparuit, ſe ſe in forma glorioſa repræſentauit, & tanto reliquis creaturis pulchriorem, quantò ſol ſuo ſplendore ſtellas ſuperat, erat enim eius aſpectus quaſi fulgur, & veſtimenta eius ſicut nix; vnde ſepulchri cuſtodes exterriti fuêre, cùm aſpectum illum glorioſum ferre non poſſent. Sic etiam Angelus deſcribitur cum gloria, poteſtate, & lumine, in Apocalypſi, *nam amictus erat nube, in capite eius Iris, facies vt Sol, pedes eius tanquam columna ignis*; Quæ omnia eius gloriam in qua apparebat, clarè oſtendunt. Ita in eadem gloria, poteſtate, & lumine, apparuit in eadem Apocalypſi quod certè lumen quia diuinum & ſuprà lucem humanam eſt, dum apparet hominibus timorem primo congreſſu incutit, & deijcit admirantes, donec diuina voluntas mentem dederit, quæ poſſit illud pati, non enim Angeli lucis & gloriæ tàntùm ſplendore ornantur, ſed & quia Dei legati, eius quoque repræſentant in mandatis, ſignum maieſtatis atque auctoritatem. Iam anteà in fœliciſſima Chriſti Domini Natiuitate vnus Angelus nuntius ad Paſtores Miſſus, dum iuxta eos ſtetit claritate Dei circumfulſit illos, & ita illi timuerunt timore magno, donec Angelus monuit ne timerent, indicium enim boni Angeli eſt ſi primò terreat, deinde exhilaret, mali verò ſi initio exhilaret, deinde mœrorem incutiat; vnde S. Athanaſius in vita Sancti Anthonij refert illum dixiſſe, *Si poſt timorem ſuccedit gaudium, à Domino eſt viſio, ſecuritas enim animæ præſentis maieſtatis indicium eſt; ſi verò incuſſa formido permanſit, hoſtis eſt qui videtur.* Et tandem in Actis liquidò patet Angelum qui S. Petrum ab Herodis carcere liberauit, in forma glorioſa appar uiſſe, & cum maximo lumine ingentique gloria, nam habetur in ſacro textu, *Ecce Angelus Domini adſtitit, & lumen refulſit in habitaculo*; lumen illud quod ita ab eo refulgebat, & per totum habitaculum dilatabatur, erat ipſius Angeli gloriæ lumen.

Matth. 28.

Apoc. 10.

Luc. 2.

Angelus bonus primo terret, deinde exhilarat, malus è contra.

Act. 12.

Quod ad ſecundum ſpectat, quòd videlicet nonnunquam Angeli in alijs formis quàm humanis apparuerint, conſtat quoque ex ſcriptura, nam ſemel Angelus Deum repræſentans, apparuit in forma ignis non vrentis Moyſi. Et iterùm Angelus qui conducebat populum Iſraël, ipſum in columna ignis præcedebat noctu, & diu in nube; & huc pertinere poteſt illud Pſalmiſtæ, *qui facit miniſtros ſuos flammam ignis.* Præclarè Angelus dicitur *ignis*, ſicut enim ignis inter omnia elementa ſummæ eſt efficacitatis, nec duntaxat continua corpora allambit, & ſe ſe illis medullitùs inſinuat, ſed etiam ad ca ſe conuertit; ita tutelaris Angelus cognatâ ignis efficacitate, hu-

Angeli quandoque in alijs formis quàm humanis apparuerunt.

Exod. 3.

Exod. 40.

Pſalm. 103.

manam ſcoriam purificans ex hominibus Angelos facere contendit, moribus, munditie, ſanctimoniâ, & innocentiâ.

4. Reg. 2. 4. Reg. 8. Pręterea Angeli in forma ignei currus, & equorum igneorum Heliæ apparuerunt, & illum rapuerunt per turbinem in cælum. Et rursùm demonſtrati ſunt Angeli cuſtodes Iſraëlis & Elizæi, puero eius in forma quoque equorum, & curruum igneorũ. Et in Ezechiele: Ezech. 1. *Similitudo eorum erat aſpectus quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum; & erat viſio diſcurrens in medio animalium, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens, & animalia ibant & reuertebantur in ſimilitudinem ignis coruſcantis, cum rota in medio rotæ*, &c. De Cæl. Hier. cap. 15. quæ de Angelis explicat S. Dionyſius Areopagita.

Dan. 5. Vnus quoque Angelus apud Danielem apparuit, tantummodo in digitis tanquam manus hominis ſcribentis in pariete; *mane thecel phares*, quo, Regi Baltazaro mors annuntiata fuit.

Inſuper, apparuit Angelus in forma ſtellæ Regibus, Magis Chriſtum quærentibus, vt multi Doctores docent, illoſque ad locum vbi Chriſtus natus erat vt eum adorarent, conduxit.

Lib. 2 cap. 25. num. 8. Et denique Cantipratenſis narrat Angelum cuidam venerabili fœminæ, aliquando in forma pulcherrimæ auis apparuiſſe, vt iam aliàs diximus.

Lib. 3. de ſummo bono cap. 8. Iſaia ca. 33. His ſuperaddere poſſumus quod ait Leſſius, veriſimile eſſe ipſos Angelos in aërea ſpecie comparituros in iudicio, ad maiorem iudicis majeſtatem, quæ etiam eſt ab impijs conſpicienda. Ita Cornelius in Iſaiam ait, probabile eſt Angelos in cælo aſſumpturos corpora glorioſa ex æthere, quibus paſcant oculos Beatorum, vt ab eis videri & ore ad os loqui poſſint, hoc enim videtur poſcere amicitia, & arctiſſima vnio & communicatio, quæ erit inter Angelos & homines beatos quaſi ciues cæli.

Cornelius in cap 12 act. Angeli induunt quandoque formã ſuorum clientum. Tob. 5. Dan 3. Aduerte porrò eundem Cornelium in Acta Apoſtolorum, docere ipſos Angelos ſiue in Veteri, ſiue in Nouo Teſtamento conſiderentur, quandoque induere ſpeciem & perſonam ſuorum clientum, ſimiliumue hominum, vt res eorum curent & negotia peragant. Sic Raphaël comes, immò dux Tobiæ induit ſpeciem Azariæ: *Ego ſum* (inquit) *Azarias Anania Magni filius.* Sic cum tribus Pueris in fornacem Babylonicam deſcendit Angelus ſimilis filio Dei putà Chriſto, qui eos ab igne illæſos ſeruauit, vt ſuprà dictum eſt. Celebre eſt in Annalibus Hiſpanorum miraculum Paſqualæ Viuas qui Mauros in prelio viſus eſt profligare, cùm tamen ipſe prælio non intereſſet, ſed ſacrificio Miſſæ, nimirum Angelus eius perſonam ſuſcepit, & eius vice pugnauit ac vicit; ita audiente te ſacrum, Angelus negotia tua ſæpè ſæpiùs geris, & meliùs quàm tu ipſe, ſi te hoc beneficio dignum prębeas.

Iam alibi diximus ſimile reperiri in Chronicis Ordinis noſtri Minorum, de Reu. Patre Ioanne Parmenſi, iampridem totius Ordinis Generali miniſtro, quòd videlicet Angelus eius cuſtos vt veriſimile eſt, ſpecie & habitu illius fratris, qui ei ſacro miniſtrare ſolebat, eidem cùm ipſe miniſter abeſſet & obdormiſceret, miniſtrauerit. Sic quando defuncti viuis apparent, crebrò id fit per Angelos qui defunctorum formam aſſumunt, vti docet S. Auguſt. Nonnulla adducit exempla idem Cornelius, & inter alia vnum quod refert Ioannes Moſcus in prato ſpirituali, de puella Alexandrina, quæ cùm ſua in pauperes erogaſſet, indeque depauperata, ex fornicatione victum quærere cogeretur, tandem facti pœnitens baptiſmumque poſcens, cùm nemo vellet eſſe eius Patrinus & ſponſor, Angeli aulicorum quorundam formam aſſumentes, ſponſores ſe pro ea præbuerunt. Simile eſt in vita S. Stephani primi Regis Hungarorum, cùm enim Conradus Imperator ei bellum moueret, iamque exercitus procederet, Angeli nuntiorum ſpecie literas detulerunt quaſi à Conrado ſcriptas, quibus iubebat ſuos pedem retrò referre, domumque redire. Similia ſunt in vita S. Venceſlai Principis Bohemiæ apud Dubrauium in ſua hiſtoria Bohemica. Mira itaque ſunt officia & beneficia Angelorum erga ſanctos & fideles, quibus maximè ſunt eis deuincti.

Chron. min. lib. 1. cap. 57.

S. Auguſt lib. de cura pro mortuis agenda.

Cap. 107.

Lib. 4. & 5.

SECTIO III.

In corporibus aſſumptis apparent Angeli, & quandoque Dei perſonam referunt.

EX ſupradictis iiſque diuerſis Angelorum apparitionibus, ſatis manifeſtè conſtat eos, vt ſic appareant, aſſumere ſibi corpora, propter nos & in noſtram vtilitatem, illaque eis vniri, non quidem vt formis aut vt ſolùm motoribus, (inquit S. Thomas) alioqui quęcumque mouerent eſſent eorum corpora, ſed ſicut liberis motoribus repręſentatis per corpora illa mobilia aſſumpta. Et hinc docent Theologi, ipſos Angelos talia corpora non poſſe ſibi per informationem & ſubſtantialiter vnire, nec etiam hypoſtaticè, ſicut perſona verbi diuini ſibi humanam naturam vniuit; id enim ad Deum ſolùm ſpectat. Dum ergo talia aſſumpſerunt corpora, illa ſolùm accidentaliter ſibi vnierunt, ea mouendo, ac ſi per informationem ab anima viuerent, & illis tanquam inſtrumentis vtendo ad ſe mani-

1. p. qu. 51. art. 2.

Angeli aſſumunt quandoque corpora, quomodo & quid in eis præſtare poſſunt.

Kk

feſtandos. Ipſa autem corpora ſic ab Angelis aſſumpta, aliquando ſunt vera corpora hominum recens defunctorum (quæ etiam aſſumere poſſunt Dæmones) quandoque ſunt tantùm apparentia, & ex circunſtante aëre condenſato efformata, admixtis quibuſdam exhalationibus & vaporibus, ſimilibuſque mixtis imperfectis, quandoque craſſioribus & proinde obſcurioribus, quandoque ſubtilioribus & propterea lucidioribus, ſic vt vtraque inter ſe commiſceant & condenſent, vt ſolida corpora, colores & figuras membrorum humanorum referant; vt enim aqua cogitur in glaciem, & interdùm dureſcit in cryſtallum; ita aër quo ſe ſe veſtiunt, denſatur in aliquid aſpectabile, & quod tangi poteſt, vt conſtat de Angelis quos Abraham vidit, lauit enim eorum pedes, & illis appoſuit cibos, denique etiam comederunt: falluntur ergo qui putant ea non eſſe corpora, ſed quaſdam in animis hominum imaginationes. Talia autem corpora diſparentibus Angelis, mox in aërem & vaporem reſoluuntur, vt ait Vaſques, ſicque ſubitò ſe ſe ex oculis auferunt. Hinc elice, in huiuſmodi corporibus non eſſe veros colores, ſed apparentes, quales in nubibus & iride cernuntur, & ſi propiùs viderentur, non ita apparerent.

1. part. diſp. 184. cap. 4.

Quomodo addenſari poſſunt corpora aërea ab Angelis aſſumpta.

Quæritur autem quomodo corpora tam tenui ſubtilique materiâ fabricata, poſſint ita addenſari, vt ſolida ſint, & non ſemper cedant tangenti, vt conſtat de illis corporibus aſſumptis ab Angelis, qui olim Abrahamo & Loth apparuerunt, & quorum pedes lauerunt, nec proinde ipſos eſſe Angelos agnouerunt. Reſpondent peritiſſimi Theologi, non poſſe quidem corpora illa, tantam in ſe recipere ſoliditatem quantam habent humana caro & oſſa, ac proinde ſemper habere ex ſe quod facilè cedant tangenti, Angelos tamen in illis intimè præſentes per virtutis ſuæ applicationem, efficere poſſe ne tangentibus cedant, imò vt carnis atque oſſis duritiem habere videantur. Si quis autem percunctetur quomodo Angeli ſibi ipſa efforment corpora; dicemus illos hoc naturaliter aut naturali ſuâ virtute præſtare poſſe, quia in eo genere operis, quod ſolo locali motu, vel dilatationis, vel compreſſionis, & ſimili perficitur, nihil eſt quod naturalem vim ipſorum excedat, qui tam potentes ſunt ad mouendum, & alia peragenda quæ apud nos difficultate non carent, aut quæ ſatis comprehendere non valemus. Quod autem de Angelis dicitur, idem de animabus ſeparatis dicendum, poſſunt ſiquidem in aliquo corpore vel aëreo, vel igneo, vel ſimili apparere, vt conſtat de anima Samuëlis in corpore aſſumpto, (non verò Dæmon, vt aliqui volunt) Saüli Regi apparentis, & de Moſis anima, quæ in Chriſti transfiguratione apparuit. Docent autem Sancti Patres, & Eccle-

1. Reg. 28. & Eccleſ. 46
a Matth 17.

ſiaſtici atque hiſtorici ſcriptores fide digniſſimi, dictas apparitiones fuiſſe animarum, tum Samuëlis tum Moiſis, nihil enim eſt in hoc opere quod ſolo locali motu perficitur, quod facultatis motricis quam habet Angelus, vim illius ſuperet naturalem. Vide tract. de Anima, Cap. 15, Sect. 2.

Verùm quamuis ipſi Angeli in aſſumptis illis corporibus, poſſint ambulare, comedere, loqui, vt Angelus Raphaël, verbi gratiâ, loquutus eſt cum Tobia, ambulauit, & comedit; tres tamen illæ actiones ab Angelis exercitæ, non ſunt eiuſdem rationis cum noſtra ambulatione, comeſtione, & loquutione, nos enim vitaliter hæc facimus, hoc eſt per inſtrumenta vitalia & per organa corporea diſpoſita & viuentia, non item Angeli; qui corpora informare & animare nequeunt; poſſunt tamen huiuſmodi operationes ita imitari, vt non poſſint à nobis deprehendi eſſe falſæ, fictæ, vel adumbratæ.

Fauet ratio; cuius enim eſt potentia, eius quoque eſt actio; vnde nihil poteſt habere opus vitæ, quod non habeat vitam ſeu animam, quæ eſt potentiale principium talis actionis; atqui aſſumpta illa corpora carent animâ, nec viuunt; quare, in illis non poteſt opus vitæ ab Angelis exerceri, ipſi ergo propriè non loquuntur, ſed aliquid præſtant loquutioni perſimile, inquantùm ſonos in aëre efformant humanis vocibus ſimiles; neque etiam verè comedunt, quia corpora ab illis aſſumpta, non ſunt talis naturæ vt in ipſa poſſit alimentum conuerti, cùm illa corpora calore natiuo, cæteriſque partibus ad peragendã nutritionem requiſitis, careant; ex quo etiam ſequitur eadem corpora non poſſe vitaliter augeri, cùm vitalis accretio ſemper cum nutritione coniuncta ſit. Alia quædam de huiuſmodi corporum aſſumptione, dicemus in tractatu de Angelis malis, vbi oſtendemus Dæmones quoque corpora aſſumere poſſe.

Sed quærunt nonnulli, an quandoque Angeli loco Dei, vel eius perſonam referentes apparuerint, & tanquam Deus ipſe loquuti fuerint, atque aliquid hominibus mandauerint: & affirmatiuè reſpondent, probantque multis ſcripturæ locis, juxta Sanctorum Patrum expoſitionem, & præſertim Sancti Dionyſij [a] de Cœleſti Hierarchia Sancti Auguſtini [b] 3. de Trinitate Sancti Hieronymi [c] ad Galat. & aliorum, vt in Geneſi, quando Angelus apparuit Agar, & tanquam Deus loquutus eſt dicens: *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum*: Ita quando Deus pepigit fœdus Circumciſionis cum Abrahamo, & ipſe promiſſionem accepit benedictionis plurimarum gentium in ſeipſum, id præſtitit vnius Angeli miniſterio, vt notat Sanctus Auguſtinus: vnde Dominum apparuiſſe teſtatur Sanctus Stephanus in Actis, quia Angelus ille veluti Deus lo-

a De Cal. Hierar. c. 4. b 3. de Trin. cap 11. c Ad Gal. 3. Geneſ. 16. Geneſ 17. Act. 7.

Angeli quandoque loco Dei apparuerunt. & loquuti ſunt. *Gen. 18.* *Gen. 19.*

quebatur, & eius perſonam referebat: ita adhuc in eodem Gen. libro, dicitur Deus apparuiſſe Abrahæ ad ilicem Mambre, *Et cùm eleuaſſet oculos vidit tres viros*, quos Angelos fuiſſe conſtat ex cap. ſequenti, vbi dicitur: *Relicto Abraham, Angelos intraſſe Sodomam.* Reſponderi tamen poſſet probabiliter, non tres loquutos fuiſſe in nomine & perſona Dei, ſed vnum tantùm ex illis, qui fortè fuit ipſe Deus, quem Abraham appellauit Dominum: vnde non dicitur tres Angelos veniſſe Sodomam, ſed duos tantùm. Item in Exodo, dicitur Dominus apparuiſſe Moyſi in rubo & igne, & loquutum fuiſſe Dominum cum Moyſe in monte Syna: Sanctus autem Stephanus, hanc narrans hiſtoriam in Actis, ait: *Expletis annis quadraginta apparuit illi in deſerto montis Syna in igne flammæ rubi; & facta eſt ad eum vox Domini, dicens: Ego ſum Deus Patrum tuorum, &c.* Quæ verba dixit idem qui apparuit in rubo: & infrà idem S. Stephanus ait loquutum fuiſſe Moyſem cum Angelo in monte Syna; cùm tamen Scriptura, nunquam loquutionem Moſis cum Angelo, ſed cum Domino referat: apparuit ergo Angelus in perſona Dei, & in eadem vel eandem repræſentans loquutus eſt.

Exod. 3. *Exod. 19.* *Loco citato.*

SECTIO IV.

Quo habitu apparuerint Angeli.

In diuerſo habitu & figura apparuerunt Angeli *Matth. 28.*

QVOD ad Angelorum habitum ſpectat, ex Scriptura habemus, illos veſtibus albis fulgentibus ac formoſis indutos apparuiſſe. Ita refert Sanctus Matthæus de illo Angelo qui reuoluit lapidem monumenti, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu, ad hoc vt ſanctæ mulieres introſpicere poſſent, & illo non inuento crederent reſurrexiſſe, atque Euangeliſta, vt iam ſectione ſecundâ præcedente dictum eſt: *Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimenta eius ſicut nix.* Et apud Sanctum Lucam: *Duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti:* & tum jam diximus ſectione primâ præcedente ex SS. Marco & Ioanne Angelos ipſos poſt Chriſti Reſurrectionem in ſtolis ſeu veſtibus candidis apparuiſſe: & in eius Aſcenſione in cœlum, cùm eius Apoſtoli illum euntem intuerentur: *Ecce duo viri aſtiterunt juxtà illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? &c.* Vnde Sanctus Leo ſermone de Aſcenſione Domini, ait: *Aſtiterunt ipſis Angeli duo, mirabili veſtium candore fulgentes.* Albati autem apparere viſi ſunt,

Luc. 24. *Act. 1.* *Serm. 2. de Aſcenſ. Domini.*

non quòd alterius coloris veſte, vt purpurei, cęrulei,&c. vti eis non liceat, vt Seuerus Antiochenus ſomniauit, ſed quia candor placet Angelis, & in veſte, & in mente. Et profectò illos eſſe candidatos conuenit, apud quos perpetui feſti ac nuptiales dies, continua gaudia, & æterna ſunt conuiuia: Vnde magna illa turba, quam vidit Sanctus Ioannes in Apocalypſi, *quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus*, &c. *ſtantes ante thronum Dei*, eius deſideratiſſimum & pulcherrimum vultum in beatis illis nuptijs & conuiuijs intuentes, *Amicti erant ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum*. Cùm igitur ſimilibus gaudijs continuò fruantur Angeli, non mirum ſi in veſtibus candidis apparere viſi ſint. Id etiam ad Chriſti imitationem præſtiterunt, & maximè poſt eius Aduentum in mundum, in illo enim multa eſt mentio de veſte alba, & in capillis adhuc vt in Apocal. *Caput autem eius & capilli erant candidi velut lana alba, & tanquam nix.* Quò fit etiam vt in eadem Apocalypſi, Laodicenſi Eccleſiæ Deus ſuadeat, vt veſtimentis albis ſe ſe induat, vt non appareat dedecus nuditatis eius; Id autem voluit fieri ad Chriſti & Angelorum imitationem: Hinc Eccleſiaſtes aiebat, *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*; quod maximè ad conſcientiæ candorem & puritatem referri debet. Quidam ex recentioribus in feſto Sancti Michaelis, dum Angelos dicit quandoque in veſte alba apparuiſſe, his vtitur verbis: Candido veſtitu eoque Sacerdotali pingimus Angelos, in ſignum innocentiæ, gloriæ, & gaudij, & quia Sacerdotum quaſi munus ſubeunt, quando & pro nobis preces fundunt, & noſtram ſalutem promouent. Adpinguntur eis etiam varia inſtrumenta, quibus eorum officia explicantur: Thuribulum, quia preces noſtras Deo offerunt: Statera, quia facta hominum trutinant & examinant: Tuba, quia electos conuocabunt in die Iudicij: in columnis Altarium eriguntur, vt tremendo Miſſæ Sacrificio intereſſe dignoſcantur. Hęc ille.

Apoc. 7.

Apoc. 1.

Apoc. 3.

Eccl. 9.

Ex eo autem quòd ipſi Angeli in forma humana, & ſic vt ſuprà induti, ſæpè apparuerunt, atque ex praxi & conſuetudine Eccleſiæ ſoliti ſunt ſic depingi ac formari; eorum imagines continuo in honore habitæ ſunt, & à ſanctis viris approbatæ. Deinde id etiam ex Scriptura habemus; in veteri ſiquidem Teſtamento conſtat Cherubinorum ſtatuas in Templo fuiſſe erectas; Oraculis quoque diuinis admonemur cum gemmis ſolitos depingi; Ezechiel enim de omnium pulcherrimo dixit: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum*, vt aliàs diximus. Conſtantinus Magnus teſte Damaſo in Baſilica olim dicta Conſtantiniana, nunc verò Lateranenſi Eccleſia præter innumeras ex auro & argento icones quatuor per-

Angeli variè depinguntur, & cur.

grandes ex argento Angelos varijs gemmarum ignibus collucentes ſtatuit, quin etiam in fronte perferunt Angeli crucem loco labari & trophæi, quia illorum Rex Chriſtus Cruce Dæmonem vicit. Item alati pinguntur, vt eorum celeris obedientia & in nobis diligentiſſimè inſeruiendis affectus oſtendatur, ſicut aliàs diximus, illorum etiam alarum leuitas (inquit Sanctus Dionyſius) indicat quòd terreni corporis ſarcinâ liberi, toti abſque vlla admixtione vel pondere ad celſa ferantur. Quòd autem nudi & diſcalceati deſcribuntur, hoc ſignificat quòd liberi, abſoluti, & expediti, abſque exterioris omnis adiectionis labe ſint puri, & ad diuinæ ſimplicitatis ſimilitudinem tendant. Etiam ſæpè nubibus inambulantes pinguntur, quò docent nos modum, vt aduerſa tranquillè vincamus, nubes quippè nihil aliud eſt, niſi quidam vapor denſatus. Zonâ denique cingi viſi ſunt ad eorum deſignandam caſtimoniam, non enim caſtitas ſolùm eſt corporis, verùm etiam cordis & mentis, vide B. Dionyſium vbi ſuprà.

Ca. 15. cæl. hier.

SECTIO V.

Adſunt Angeli pijs Religioſis, alijſque probis fidelibus, in mortis articulo, & in animarum egreſſu à corporibus.

Angeli adſunt piis fidelibus in mortis articulo, & in egreſſu animarum à corporibus.

POST tot tantaque ab Angelis exhibita hominibus beneficia in præſenti vita, non eſt eorum prætermittenda erga ſuos clientes beneuolentia & ſingularis amor, vbi enim ipſi in mortis articulo ſunt conſtituti, non eis abeſſe ſolent, vt eos conſolentur & ab infeſtatione Dæmonum protegant & liberent; ipſi quippè tunc acerbiſſimè ſæuiunt, ſcientes quia modicum tempus habent: & notant aliqui eſſe valdè veriſimile, nòn vnum nequam ſpiritum tunc adeſſe ad hominem ſupplantandum, ſed plures, ita vt poſſint animæ dicere: *Circundederunt nos ſicut apes.* Circundant enim animas vt peccati aculeum infigant, vel per infidelitatem, vel per deſperationem, vel per præſumptionem de Dei miſericordiâ. O quantâ ſunt tunc homines circundati anxietate, neſciunt quam inituræ ſint viam eorum animæ, omni hominum auxilio deſtitutæ, deſerentes omnia ſibi chara, opes, honores, amicos, &c. ſed & eas tunc remordet conſcientia peccatorum præteritorum, præſens mortis memoria, angit

Pſal. 117. Plures Dæmones inſidiantur in morte hominum.

eas ſubſequens ęternitas nunquam finienda,& in qua adhuc ignorant an eis futura ſit proſpera an non: igitur inter has mortis tenebras, trementes & ſcientes ſe breui ſummo Iudici rationem reddituras, neceſſarium eſt illis in tot anguſtijs auxilium Angelorum, qui pro eis pugnent, eaſque conſolentur. Sine dubio adſunt in hac via periculoſa, tunc inuigilant, tunc lucem præbent contra vmbras mortis Angeli lucis, & vires Sathanæ reprimunt: & dum ipſas animas hominum ad portum fœliciſſimum appuliſſe, & à carnis ergaſtulo in gratia deceſſiſſe contingit, tunc illi Sancti Angeli maximâ lętitiâ perfuſi, & tanquam partâ victoriâ triumphantes, ſuperno Iudici repręſentant, & tandem in Cœlum ad Deum euehunt, & inter Angelorum Choros dignis ſedibus collocant in ęternum manſuras, niſi priùs aliquid expiandum habeant, tunc enim illas in ipſum expiationis & purgatorij locum deducunt; neque enim credendum videtur id fieri à Dęmonibus, quicquid aliqui dicant; quod confirmatur ex eo quod habetur apud Sanctum Lucam; ibi enim conſtat animam pauperis & mendici Lazari à corpore ſeiunctam, ab Angelis in ſinum Abrahæ fuiſſe deductam, vt etiam cantat Eccleſia in Officio Defunctorum. *Sinus autem Abrahæ*, ait Sanctus Auguſtinus, *eſt locus quietis in quo poſt mortem recipiebantur, & etiamnum recipiuntur omnes imitatores fidei & pietatis Abrahæ, qui ante Chriſtum Limbus Patrum, poſt Chriſtum eſt Cælum, quod eſt Paradiſus Beatorum.* Sicut igitur ante mortem Chriſti, iuſti ab Angelis ducebantur in Limbum Patrum, tunc dictum Abrahæ ſinum, quouſque pretium noſtræ redemptionis ſolueretur, panderenturque portæ Cœli; ſic quando poſt mortem ipſius Chriſti, in purgatorium ignem ducuntur, àb Angelis Sanctis non à Dęmonibus portantur. Quod pręclarè docet Serarius: *Poſtquam*, inquit, *anima è corpore exceſſit, idem Angelus eam comitatur, ſolatur, animat, vt confidenter ſe Tribunali diuino ſiſtat, obijciens eius oculis merita Ieſu Chriſti pretioſiſſima, in quibus tempore illius Iudicij fidere debeat: ſi autem ad expiandas peccatorum reliquias adiudicata fuerit Purgatorio, ibi eam ſæpè inuiſit, ſolatur, certiorem reddit de precibus piorum pro ea in mundo fuſis, & deniqne de futura liberatione ſecuram eſſe iubet.* Hæc ille. Poſteà verò illas animas expiatorio igne purgatas, ſicut eas quæ à corporibus egreſſæ nihil expiandum habent, in ſinum Abrahæ qui nunc cœlum eſt empyreum deducunt, comitantibus alijs Angelis, vt credibile eſt, pro cuiuſque meritis & dignitate: Quod patet non ſolùm ex citato loco Sancti Lucę, ſed etiam ex eo quod notat Sanctus Athanaſius in vita Sancti Antonij, qui quidem vidit animam Ammonis Monachi ab Angelis in Cœlum deferri, & pro-

Angeli ducunt animas ad Cœlum, vel Purgatorium.

Luc. 16.

Lib. 4. de an ima, & eius origine, cap. 16.

In cap. 12. Tobiæ, q. 21.

In vita Sancti Antonij, cap. 32.

pterea audiuit eos lætantes & comitantes illam vſque ad thronum Dei: ita de anima S. Onuphrij in eius vita legimus, nec-non de S. Pauli Eremitæ anima, atque S. Antonij, & multorum aliorum, quæ ab Angelis poſt mortem in cælum empyreum delatæ, maieſtatis diuinæ oculis repræſentatæ fuerunt. Ipſorum verò Angelorum animas deducentium, Princeps eſt S. Michaël, vt ſancta canit Eccleſia, *Archangele Michaël conſtitui te Principem ſuper animas ſuſcipiendas*: & alibi: *Venit Michaël Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas ſanctorum, vt perducat eas in Paradiſum exultationis*; ſed ille vt dignior, habet generalē huius negotij curam, Angelus autem cuſtos proximam & ſingularem, & hic eſt fructus cuſtodiæ Angelorū, de quo non obſcurè meminit Deus ipſe in Exodi lib. *Mittam Angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via, introducat te in locum quem praparaui.* Et quis eſt iſte locus omnibus prædeſtinatis à Deo ab æterno præparatus, niſi cælum empyreum? id habemus ex verbis ipſius Chriſti, quæ in futuro iudicio in ſuorū electorū fauorē eſt prolaturus, vt eſt apud Matth. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum, à conſtitutione mundi*, id eſt ex quo ab æterno eſſe conſtituendum mundum decretum eſt: is ergo locus eſt in quem Angeli animas in perpetuum beandas deducunt & deferunt, vt ait S. Anſelmus in elucidario: *Cùm iuſtus* (inquit) *in extremis agit: Angelus ſui cuſtos, cum multitudine Angelorum venit, & animam ſponſam Chriſti de carcere corporis tollit, & cum maximo dulciſſima melodia cantu, & immenſo lumine ac ſuauiſſimo odore, ad cæleſte perducit palatium, in ſpiritualem Paradiſum.* Ita docet Iulianus Archiepiſcopus Toletanus, de origine humanæ mortis: *Cùm* (inquit) *imminente morte animæ à corpore ſeparantur, Angelos ibi adeſſe fatendum eſt qui exeuntes à corporibus animas iuſtorum accipiant, & piorum receptaculis introducant.* Et probat de Lazaro, de quo ſuprà. Præ alijs autem ſedulò eſt aduertendum id quod pro eodem argumento habet S. Chryſoſtomus: *Qui purè* (inquit) *communicant corpori dominico, in extrema hora Angelis ſtipati, rectà in cælum adducentur*: vnde Iſaïas manus Angelorum quibus portantur fideles, & adducuntur in ciuitatem ſanctam Hieruſalem cæleſtē, comparat equis, & quadrigis, & lecticis, & carrucis, ait enim: *Et adducent fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino, in equis & in quadrigis & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem ſanctum meum Hieruſalem, dicit Dominus*: vbi S. Hieronymus ſuper eundem locum per equos, quadrigas, lecticas, & diuerſi generis vehicula, Angelica intelligit miniſteria, de quibus in Prophetia Habacuc legitur: *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. His equis*, inquit Hieron. *curribus, & quadrigis, Helias raptus*

S. Michaël eſt à Deo conſtitutus ad animas ſuſcipiendas, &c.

Exod. 23.

Matth. 25.

Anſelm.

Cap. 10.

Lib 6 de Sacerd. ſoliloq. cap. 27.

Iſay. 66.

Tom. 4.

Habac. 3.

raptus in cælum eſt, *& Eliſæus circundari ſe atque ſeruari, neſcienti puero demonſtrauit*; ita ergo accidit animæ ſanctæ in ſuo egreſſu à corpore: vnde cantat tunc Eccleſia: *Subuenite Sancti Dei: occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam eius, offerentes eam in conſpectu altiſſimi.*

CAPVT XVIII.

De imitatione Angelorum.

SECTIO I.

Quomodo aliqualiter ſint imitandi in ſuis perfectionibus Angeli.

SI Angelorum beneuolentiam ac gratiam nobis conciliare voluimus, glorioſa contentione, ea quæ eis grata & chara eſſe ſolent & tanquam perfectiones poſſident, magni pendere & æmulari debemus, quantò enim ad eorum imitationem propiùs acceſſerimus, maiori nos amore proſequentur, quandoquidem amoris cauſa eſt morum ac vitæ ſimilitudo; & vt ait Ariſt. in Eth. *eſt amoris mater effectrixque beneuolentiæ.* Angeli in ſuis perfectionibus ſũt imitandi. Ariſt.

Primò, Angeli ſunt valdè humiles; quemadmodum enim ſuperbia reprobos Angelos in præceps egit & perdidit, ita & humilitas bonos Angelos beauit; ideo ſi quandoque ad eorum beatitudinem peruenire intendamus, operæ-pretium eſt eos in hac virtute humilitatis imitari, & nihil magis eorum cordi eſt, quàm vt ipſorum ſequamur humilitatem, quam etiam ita modo ſingulari amplexatus eſt Chriſtus eorum Dux & Caput. Hinc S. Auguſt. nos ita omnes monet: *Serpens*, inquit, *ſcit nos non poſſe redire niſi per humilitatem qui per ſuperbiam lapſi ſumus: dux nobis ipſe fuit ad ſuperbiam, modò ad humilitatem ducem Chriſtum ſequamur.* Et idem S. Auguſtinus: *Si ergo Dominus Altiſſimus*, inquit, *cuius excellentia non eſt finis, in omni creatura ſua, & ea quæ in ſupernis, & ea quæ in infimis eſt conſtituta; in Angelis videlicet, & in hominibus humilitatem conſiderat & probat, quantum neceſſe eſt nobis humilitati ſemper ſtudere, ipſamque in omnibus conſeruare, vt ſic placeamus Conditori noſtro?* Et poſt pauca addit: *Diſcamus humilitatem per quam Deo propinquare poterimus, ſicut ipſe in Euangelio ait: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde,*

Angeli ſunt in ſua humilitate a nobis imitandi. *Lib. 50. homil. hom. 12.* *Serm. 233. de tempore.*

& inuenietis requiem animabus veſtris. Per ſuperbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cælo, per humilitatem Dei fragilitas humana naturæ aſcendit in cælum. Si itaque Angelorum Choros ad quorum ruinam reparandam ſumus conditi, repetere velimus; nullum eſt ad id medium aptius, quàm nos humilibus ad eorum imitationem mancipare obſequijs.

Angeli ſunt in ſua puritate à nobis imitandi.

Secundò, Angeli ſunt puriſſimi, omniſque integritatis & caſtitatis obſeruantiſſimi; quid enim quæſo illis purius, caſtius, & ab omni amore impuro alienius? placent illis igitur pura atque pudica corda & corpora fidelium; cognata eſt enim Angelis virginitas, & cœlibum conſuetudine mirificè delectantur: ſicut Daniel Propheta, Maria Deipara, Cæcilia, Agnes, Catharina, Barbara, Clara, aliæque Virgines multæ vtriuſque ſexus, nobis teſtimonio eſſe poſſunt: Nam legimus Virgines in Angelica fuiſſe tutela, vt præ alijs liquidò conſtat de Sancta Cęcilia, quæ Sponſum ſuum Valerianum monuit ne eam attingere auderet, quia in Angeli tutela erat, qui nimio zelo corpus eius cuſtodiebat; & hinc S. Cyrillus dicit caſtitatis gloriam eſſe Angelicam coronam, & Sanctus Athanaſius libro primo de Virginitate, eam vocat Angelorum vitam, & Sanctorum coronam. Huc refert Sanctus Ambroſius illa Chriſti verba: *In Reſurrectione neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cælo:* Quæ verba ſatis nobis indicant, quanto in pretio virginitatem & puritatem habent Angeli: hinc idem Ambroſius poſteà hęc habet: *Neque mirum ſi pro vobis Angeli militant, qui Angelorum moribus militatis, meretur eorum præſidium caſtitas virginalis, caſtitas etiam Angelos facit, qui eam ſeruauit Angelus eſt, qui perdidit Diabolus eſt.* Suffragatur Sanctus Bonauentura, qui poſtquam luculentis verbis oſtendit Deo gratiſſimam eſſe caſtitatem, docet etiam illam multùm Angelis placere, cuius rationem reddit, *Quia*, inquit, *cùm naturaliter omne animal diligat ſimile ſibi, etiam Angeli caſti, homines caſtos familiariùs diligunt:* & vt alius inſignis Doctor addit, plurimos vacillantes ad ſtatum caſtitatis eligendum inducunt, tum per ſeipſos, tum per aliorum conſilia: vnde illi ſemper Virginibus communicationem, familiaritatem, directionem & protectionem exhibuerunt, vt potiſſimùm conſtat de Beata Lucia, Agnete, Theophila, & alijs.

Catacheſi 10.

Lib. 1. de Virg. p. 4.

Matthæ 22.

Lib. 2. de profeſſ. Relig.

Vnicornis (vt multi ferunt) ſe ſe familiarem ac tractabilem virginibus exhibet; Ita Angeli ijs qui puritatem ac caſtitatem conſeruant ſe ſe familiares reddunt: & ſicut aues quæ Paradiſi nuncupantur, non niſi de rore Cœli nutriuntur & viuunt; ita ros puritatis & caſtimoniæ aliarumque virtutum, æternitatis auium, hoc

eſt Angelorum cibus ſunt atque nutrimentum, nihil magis eos delectare videtur; & forſitan, vt aliqui docent, ad illam deſignandam puritatem, in veſtibus albis apparuerunt in Chriſti Reſurrectione, Aſcenſione, & alibi pluriès, vt ſuprà diximus.

Tertiò, Angeli ſunt innocentes & ſimplices, necleuiſſimâ peccati labe vnquam inquinantur, mente & cogitatione ſemper integri, affectu benigni, religione pij, vnanimiter indiuiſi, & pace ſecuri: Placent etiam illis innocentes & ſimplices, pueris ſimiles, omnis fraudis, doli, impoſturæ, mendacij, & ſimulationis expertes. Vnde etiam Chriſtus illud dixiſſe videtur apud Sanctum Marcum his verbis: *Amen dico vobis, quiſquis non receperit Regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud.* Ita quoque eis maximè placent quotquot reperiuntur alijs ſuprà nominatis perfectionibus donati.

Angelorum innocentia & ſimplicitas eſt à nobis imitanda.

Marc. 10.

Quartò, Angeli ſunt valdè obedientes, nam nequidem minima & abiectiſſima miniſteria ſubire detrectant, quin ea cupidiſſimè diligentiſſimèque ſuſcipiunt & obeunt, vt Dei inprimis omni imperio obſequantur; Deinde etiam vt homini ſalutem conſulant, ita illis maximè placent qui in omnibus Deo & ſanctæ ſuæ Eccleſiæ obtemperant, eorumque mandata ſedulò obſeruare curant: & in hoc maximè eorum opem, auxilium, & amorem ſibi maximè conciliant.

Angelorum obedientia eſt à nobis imitanda.

Quintò, Angeli maximâ ſcientiâ & ſapientiâ ſunt prediti, vt ferè ab initio huius Tractatus probauimus, ab exordio enim ſuæ creationis habuerunt ſpecies infuſas, quibus omnia naturalia & ſupernaturalia abſque vllo diſcurſu aut ratiocinatione, cognoſcere poſſent: Ita illis placent hi qui Dei cognitionem adipiſci curant, atque rerum omnium quæ ad ſuam conferunt ſalutem, ſicque non ſolùm ſcientiam habent ſpeculatiuam, verùm & practicam, quæ vera eſt Sanctorum ſcientia, & ſapientia meritò nuncupari debet.

Angelorum ſapientiam quomodo imitari debemus.

Sextò, Sunt fortes & potentes virtute, vt ex Dauide aliàs oſtendimus, & conſtat de illo Angelo (quem anteà diximus eſſe Michaëlem, quamuis nonnulli alij Gabriëlem) qui centum octoginta quinque millia exercitus Sennacherib vnâ nocte interemit: Ita placent illis qui forti, valido ac conſtanti animo, dimicant aduersùs Dęmones, carnem, & mundum, eiſque reſiſtunt fortes in fide, illi enim coronam merentur in Cœlis; vnde Sanctus Paulus: a *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit.* Hinc idem Sanctus Paulus b, *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Et ad Romanos c, *Si Deus pro nobis, quis contrà nos?*

Angeli ſunt à nobis in ſuâ fortitudine imitandi. & quomodo

a 2. ad Tim. 2.
b Ad Philip. 4.
c Rom. 8.

Septimo, Incredibili ergà Deum & nos omnes charitate flagrant; vnde inſtar igneorum curruum ad Elizęi orationem ali-

Angelorum charitas eſt à nobis imitanda.

& inuenietis requiem animabus veſtris. Per ſuperbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cœlo, per humilitatem Dei fragilitas humanæ naturæ aſcendit in cœlum. Si itaque Angelorum Choros ad quorum ruinam reparandam ſumus conditi, repetere velimus; nullum eſt ad id medium aptius, quàm nos humilibus ad eorum imitationem mancipare obſequijs.

Angeli ſunt in ſua puritate à nobis imitandi.

Secundò, Angeli ſunt puriſſimi, omniſque integritatis & caſtitatis obſeruantiſſimi; quid enim quæſo illis purius, caſtius, & ab omni amore impuro alienius? placent illis igitur pura atque pudica corda & corpora fidelium; cognata eſt enim Angelis virginitas, & cœlibum conſuetudine mirificè delectantur: ſicut Daniel Propheta, Maria Deipara, Cæcilia, Agnes, Catharina, Barbara, Clara, aliæque Virgines multæ vtriuſque ſexus, nobis teſtimonio eſſe poſſunt: Nam legimus Virgines in Angelica fuiſſe tutela, vt præ alijs liquidò conſtat de Sancta Cęcilia, quæ Sponſum ſuum Valerianum monuit ne eam attingere auderet, quia in Angeli tutela erat, qui nimio zelo corpus eius cuſtodiebat; & hinc S. Cyrillus dicit caſtitatis gloriam eſſe Angelicam coronam, & Sanctus Athanaſius libro primo de Virginitate, eam vocat Angelorum vitam, & Sanctorum coronam. Huc refert Sanctus Ambroſius illa Chriſti verba: *In Reſurrectione neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo:* Quæ verba ſatis nobis indicant, quanto in pretio virginitatem & puritatem habent Angeli: hinc idem Ambroſius poſteà hęc habet: *Neque mirum ſi pro vobis Angeli militant, qui Angelorum moribus militatis, meretur eorum præſidium caſtitas virginalis, caſtitas etiam Angelos facit, qui eam ſeruauit Angelus eſt, qui perdidit Diabolus eſt.* Suffragatur Sanctus Bonauentura, qui poſtquam luculentis verbis oſtendit Deo gratiſſimam eſſe caſtitatem, docet etiam illam multùm Angelis placere, cuius rationem reddit, *Quia*, inquit, *cùm naturaliter omne animal diligat ſimile ſibi, etiam Angeli caſti, homines caſtos familiariùs diligunt:* & vt alius inſignis Doctor addit, plurimos vacillantes ad ſtatum caſtitatis eligendum inducunt, tum per ſeipſos, tum per aliorum conſilia: vnde illi ſemper Virginibus communicationem, familiaritatem, directionem & protectionem exhibuerunt, vt potiſſimùm conſtat de Beata Lucia, Agnete, Theophila, & alijs.

Catecheſi 10.

Lib. 1. de Virg. p. 4.

Matthæi 22.

Lib. 2. de profeſſ. Relig.

Vnicornis (vt multi ferunt) ſe ſe familiarem ac tractabilem virginibus exhibet; Ita Angeli ijs qui puritatem ac caſtitatem conſeruant ſe ſe familiares reddunt: & ſicut aues quæ Paradiſi nuncupantur, non niſi de rore Cœli nutriuntur & viuunt; ita nos puritatis & caſtimoniæ aliarumque virtutum, æternitatis auium, hoc

eſt Angelorum cibus ſunt atque nutrimentum, nihil magis eos delectare videtur; & forſitan, vt aliqui docent, ad illam deſignandam puritatem, in veſtibus albis apparuerunt in Chriſti Reſurrectione, Aſcenſione, & alibi pluriès, vt ſuprà diximus.

Tertiò, Angeli ſunt innocentes & ſimplices, nec leuiſſimâ peccati labe vnquam inquinantur, mente & cogitatione ſemper integri, affectu benigni, religione pij, vnanimiter indiuiſi, & pace ſecuri: Placent etiam illis innocentes & ſimplices, pueris ſimiles, omnis fraudis, doli, impoſturæ, mendacij, & ſimulationis expertes. Vnde etiam Chriſtus illud dixiſſe videtur apud Sanctum Marcum his verbis: ***Amen dico vobis, quiſquis non receperit Regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud.*** Ita quoque eis maximè placent quotquot reperiuntur alijs ſuprà nominatis perfectionibus donati. Angelorum innocentia & ſimplicitas eſt à nobis imitanda. Marc. 10.

Quartò, Angeli ſunt valdè obedientes, nam nequidem minima & abiectiſſima miniſteria ſubire detrectant, quin ea cupidiſſimè diligentiſſimèque ſuſcipiunt & obeunt, vt Dei inprimis omni imperio obſequantur; Deinde etiam vt homini ſalutem conſulant, ita illis maximè placent qui in omnibus Deo & ſanctæ ſuæ Eccleſiæ obtemperant, eorumque mandata ſedulò obſeruare curant: & in hoc maximè eorum opem, auxilium, & amorem ſibi maximè conciliant. Angelorum obedientia eſt à nobis imitanda.

Quintò, Angeli maximâ ſcientiâ & ſapientiâ ſunt prediti, vt ferè ab initio huius Tractatus probauimus, ab exordio enim ſuæ creationis habuerunt ſpecies infuſas, quibus omnia naturalia & ſupernaturalia abſque vllo diſcurſu aut ratiocinatione, cognoſcere poſſent: Ita illis placent hi qui Dei cognitionem adipiſci curant, atque rerum omnium quæ ad ſuam conferunt ſalutem, ſicque non ſolùm ſcientiam habent ſpeculatiuam, verùm & practicam, quæ vera eſt Sanctorum ſcientia, & ſapientia meritò nuncupari debet. Angelorum ſapientiam quomodo imitari debemus.

Sextò, Sunt fortes & potentes virtute, vt ex Dauide aliàs oſtendimus, & conſtat de illo Angelo (quem anteà diximus eſſe Michaëlem, quamuis nonnulli alij Gabriëlem) qui centum octoginta quinque millia exercitus Sennacherib vnâ nocte interemit: Ita placent illis qui forti, valido ac conſtanti animo, dimicant aduersùs Dęmones, carnem, & mundum, eiſque reſiſtunt fortes in fide, illi enim coronam merentur in Cœlis; vnde Sanctus Paulus: a *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit.* Hinc idem Sanctus Paulus b, *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Et ad Romanos c, *Si Deus pro nobis, quis contrà nos?* Angeli ſunt à nobis in ſuà fortitudine imitandi. & quomodo

a 2. ad Tim. 2.
b Ad Philip. 4.
c Rom. 8.

Septimo, Incredibili ergà Deum & nos omnes charitate flagrant; vnde inſtar igneorum curruum ad Elizęi orationem ali- Angelorum charitas eſt à nobis imitanda.

quando apparuerunt; & prætereà noſtræ ſalutis cupidi ſunt & amantes, & ad implenda Dei mandata, & maximè vt de nobis curam gerant, & benefaciant velociſſimi ſunt ac feruentiſſimi, perlibenter mentes conſolantur afflictas, ſicut Agar profugæ, Sanctæ
Gen. 16. Magdalenæ, & aliarum mulierum ob Christi mortem lugentium, &c. Ita non modico afficiuntur gaudio, dum nos ergà Deum amore & timore ferri vident, eius obſeruantes præcepta, eumque toto corde diligentes, dum etiam ipſi Angeli charitate ergà proximos flagrantes nos conſpiciunt, atque celeriter & maximo feruore ac zelo animarum ſalutem, totis niſibus quærere & procurare, afflictos aut aduersâ valetudine laborantes pro viribus conſolari, à malis eripere, & in omnibus benefacere; & hinc S. Maximus:
Cent. 1. ſent. 41. *Qui Deum* (inquit) *caſto amore proſequitur, Angelicam inter homines vitam agit*: nemo autem vero & caſto illo amore ad Angelorum imitationem, Deum proſequi poteſt, niſi etiam erga proximos charitare flagret.

Angeli de noſtra pœnitentia lætantur. Luc. 15. Octauò, gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, vt aiebat Chriſtus apud Sanctum Lucam; ita ſi de ſimili pœnitentia lætemur, illis videmur gaudium accreſcere, & talis noſtra lætitia illis multùm placet.

Angelorum inſtar debemus eſſe pacifici. Nonò, Nulli dubium eſt quin ſint inter ſe multùm pacifici, abſque vlla diſcordia, vt iam oſtendimus cap. 11. ſect. 4. vnde vocantur Angeli pacis: ita illis multùm placent ij qui inter ſe pacifici ſunt, & vnitatem, concordiam ac pacem conſeruare ſtudent; & è contrà nihil magis eos offendit atque à nobis æquè diſiungit quàm diſcordia, & vita ſcandalis inquinata: hinc non modico afficiebantur gaudio, pacem in Chriſti Natiuitate annuntiantes, ſed
Luc. 2. hominibus bonæ voluntatis. Id Sanctus Bernardus ponderans ſerm.
S. Bern. Serm. 1. S. Michaelis. 1. S. Michaëlis, & ea enumerans quæ ipſis Angelis Sanctis maximè placent, ait inter alia eos vnitatem & pacem à nobis exigere. Ad quod probandum hanc adfert rationem: quia pax inter fratres pacem illam repræſentat in Cœlis, quâ quidem ipſi Angeli fruuntur, mirèque delectantur: hinc propiùs ad illos accedunt, qui conſimili fruuntur pace in terris, quaſi in Cœlis habitantes; vnde &
Idem S. Bern. idem Sanctus ait, ideò ſcilicet ad homines pacificos, & charitatis glutino inter ſe coniunctos faciliùs illos deſcendere ac eos protegere; *Quia maximè delectantur in his quæ formam quandam ciuitatis ſuæ in nobis repræſentant, vt mirentur Hieruſalem nouam in terra.* Poſteà introducit Angelos conquerentes de hominum iurgijs & diſſidijs, & dicentes: *Nunc autem quâ ratione nobis cohærent homines, qui diſſident à ſeipſis?* Quaſi dicerent, continuò ſumus

pacifici & concordes, iurgia & diſſenſiones odio habemus, cœlum vbi pax ſumma eſt & charitas vnita inhabitamus; ſi itaque homines ſint litigioſi, iracundi, & ſibi inuicem diſſentientes, nec vllam fraternam charitatem ſeruantes, quomodo nobiſcum cohęrere poterunt? quidni eos fugiemus, & ab eis elongabimur? Conſilio igitur Sancti Bernardi debemus ad modum Angelorum fraternam ſeruare charitatem.

Decimò, Quid ipſis Angelis abſtinentius atque frugalius? *Ego,* inquit Raphaël, *vtor cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt:* placent quoque illis piè ieiunantes, ſicut in Daniële & ſocijs probatum eſt: & propter talem abſtinentiam laudat Gabriël Angelus Danielem, quoniam is poſuit faciem ſuam ad Dominum rogare & deprecari in ieiunijs, ſacco, & cinere. S. Athanaſius libro de Virginitate ait: *Ieiunium Angelorum cibus eſt, & qui eo vtitur, ordinis Angelici cenſendus eſt.* Contrà verò, vt idem affirmat, Dęmones crapulâ noſtrâ & otio corporis valdè delectantur: quin etiam Angelorum delectamenta, vt Sanctus Bernardus appellat, aut, ſi mauis, ſapida, ſiue edulia quæ in nobis cupiunt reperire, ſunt ſobrietas, caſtitas, paupertas voluntaria, crebri in Cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis compunctione, & ſyncera intentione.

Tob. 12. Angelorum frugalitatem imitari debemus. *Dan. 9.* *Loco citato.*

SECTIO II.

Angelos imitari debemus, in Dei decantandis laudibus.

VNDECIMÒ: Proprium item Angelorum eſt Dei adoratione, celebratione & laude, nunquam ſatiari, cœleſtibuſque hymnis ſumma cum reuerentia & delectatione inſiſtere, vt conſtat ex Apocalypſi, vbi S. Ioannes vidit Angelos cadentes in faciem ſuam adorare Deum; quapropter mox à creatione ſua in eius laudes eruperunt, ſicut teſtatur Dominus, dum loquens ad Iob, dicit: *Vbi eras cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, quando ponebam fundamenta terræ?* Hi nimirùm fuêre primogeniti filij Dei, myſticæ ſtellæ Cœli, & iubilus eorum auditus eſt reſonans laudes Dei mox à condito orbe, quia hoc primum eorum negotium, prima occupatio & actio eorum eſt, adorare & be-

Angelos debemus imitari in diuinis laudibus decantandis. *Apoc. 7.* *Iob. 38.*

nedicere Deum rerum omnium principium & finem; ſic qui inter Angelos firmi ſteterunt cuiuſcunque ordinis ſint, non ceſſant, nec in ſæcula ſęculorum, vel momento ceſſabunt ab illa adoratione, laude, & benedictione Dei. Notant autem nonnulli ex his hanc Angelorum laudationem accipi poſſe, primùm quidem vt dicamus ſuâ ipsâ pulchritudine, & naturæ quâ conditi erant prętantiâ, additis etiam tot ac tantis gratiæ ornamentis, ſtatim commendaſſe Deum tanti operis auctorem creatoremque ſuum; quomodo dicere ſolemus opus artificioſum & affabrè factum, excellentem artificis manum commendare. Et hic primus laudationis Angelorum modus, communis ferè eſt cum reliquis rebus creatis, nam & *Cœli*
Pſal. 18. *enarrant gloriam Dei*, &c. Altero modo Deum laudarunt, quando velut primus lapis, primaque totius mundi fundamenta iacta ſunt, id eſt terra creata; etenim terræ creationem comitata eſt ſtatim lætitia, jubilus, & acclamatio Angelorum diuinam bonitatem laudantium, pro noua naſcentis orbis creatione; deinde etiam aucta eſt magis magiſque eorum hilaritas & gaudium, quando Cœli & ſydera quoque ipſa, tanquam illuſtria quædam lumina Deo creante prodiderunt: hinc ſeptuaginta apud Iob: *Quando facta ſunt ſydera, laudauerunt me:* & Sanctus Chryſoſtomus: *Angeli*, inquit, *ipſo aſpectu obſtupuerunt, cùm multitudinem, pulchritudinem, diſpoſitionem, varietatem, ornatum, ſplendorem, concentum, cæteraque omnia quæ multò clariùs illi quàm nos vident, intuerentur.* Pro tot itaque ac tantis à liberali Dei manu acceptis, & toto orbi conceſſis beneficijs, alternis vocibus ab initio cantarunt, & continuò cantant illud Triſagion de quo Iſaïas: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exer-*
Iſai. 6. *cituum:* vbi dicitur, *& clamabant alter ad alterum*, vt ſignificetur eos continuò per modum chori cantare, vt fit in choro pſallentium;
S. Cyrillus. vnde notat Cyril. Seraphinos alternis vocibus accinïſſe *Sanctus*, non quòd canendo defatigarentur, ſed quia ſibi ipſis mutuum hunc honorem tribuunt, omnia enim cæleſtia ordinata ſunt, & concinnata. De huiuſmodi ſanctiſſimæ Trinitatis laudibus, illuſtre habe-
Lib. 13. cap. 8. mus exemplum à Nicephoro relatum: cùm enim (inquit) Sanctus Ignatius in Eccleſia Antiochena tertius à Sancto Petro Hierarcha, per ecſtaſim animi conſternatus eſſet, viſionem nouam vidiſſe ferunt, ſanctos ſcilicet Angelos ſingulari modeſtia & religione, alternis & ſibi inuicem reſpondentibus carminibus, ſanctam Trinitatem hymnis & laudibus vehentes, & ipſe primus hanc concinendi formam Antiochenorum Eccleſiæ dedit: vnde ipſa Eccleſia Antiochena hunc ritum retinuit, & ab ea quaſi à fonte in alias Eccleſias Dei omnes, eiuſmodi conſuetudo eſt propagata. De his etiam laudibus

Deo decantatis ab Angelis, præclarè loquitur Origenes in ea verba Iob: *Venerunt filij Dei vt ſtarent ante Dominum.* Opus (inquit) & ſtudium ſanctorum Angelorum eſt, vt aſſiduè cœleſtem Dominum laudent, æterno Deo gratias agant, Sancto Deo indeſinenter gloriam pro beneficijs eius deferant, pro gratia eius, pro miſericordia eius, quæ impertit generi humano in omni hora, in omni tempore, plurima, & magna, & diuerſa: hæc ille. Et S. Thomas in Opuſculis de Angelis, docet omnes Sanctos & Angelos concorditer Deum laudare, & tamen diſſimiliter; ſicut enim differunt in cognitione & amore, ita etiam in laude: hæc ille. Pſaltes Regius eos omnes ad benedicendum Domino, & eius prædicandas laudes inuitat, ſatis ſuperque ſciens non debiles, fragiles, aut minùs idoneos eſſe, vt ſunt homines ad Deum laudandum, ſed nobiles eſſe creaturas, & proinde ad hunc effectum maximè habiles; *Benedicite Domino* (inquit) *omnes Angeli eius, potentes virtute*, &c. id eſt laudate communem Dominum vos Angeli, qui propiùs illi aſſiſtitis, & magnitudinem eius perfectiùs noſtis; & non vnus tantùm, ſed omnes omninò quotquot eſtis, qui propè innumerabiles eſtis conuenite ad laudandum, omnes, inquam, qui Angeli eius eſtis, qui ab illo non ſolùm conditi fuiſtis, ſed etiam cum illo cæteris cadentibus permanſiſtis, illique in æternum fœliciſſimi inhæretis. Et profectò ſi libro de vitis Patrum fidem adhibeamus, nobis clarè innoteſcet, ipſos Angelos id quod habet Regius Pſaltes executioni demandaſſe, cùm enim in primordijs fidei, nonnulli probatiſſimi viri in vnum locum ad Pſalmos Dauidis decantandos conueniſſent, & eorum vnuſquiſque pro ſuo feruore, diuerſo modo Pſalmorum numerum inſtitueret, & alij quinquagenos, alij ſexagenos Pſalmos, ac denique alij hoc numero non contenti, eum tranſcendere cenſerent, eſſetque inter eos pro religionis regula pia contentio, repentè vnus in medio eorum Pſalmos Domino cantaturus exurgit, cùmque admirantibus cunctis, vndecim Pſalmos orationum interiectione diſtinctos, contiguis verſibus parili pronuntiatione cantaſſet, duodecim ſub *Alleluia* reſponſione conſummans, ab vniuerſorum oculis repentè ſubtractus, pſalmodiæ, & ceremonijs finem impoſuit: & hinc ſancti illi ſeniores qui aderant ſatis intelligentes ipſum eſſe Angelum à Deo miſſum, vt eos doceret quomodo in ſuis orationibus & laudibus Deo decantandis, ſe deinceps gerere deberent, decreuerunt hunc numerum tam in veſpertinis quàm in nocturnis vigilijs cuſtodire; & proinde liquidò conſtat Pſalmodiam eſſe opus cœleſte & Angelicum: hos itaque Angelos pro viribus imitari hac in re debemus, & ſedulò diuinis laudibus ac orationibus vacare, ſi rem illis gratam facere volumus; &

Opuſc. 6
Pſal. 102.
Cap. 17.

vnuſquiſque noſtrûm quaſi tuba quædam iubilans dicat Pſalmum hunc *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Illi ſiquidem ad talem pſalmodiam, & diuinas laudes decantandas nos excitant, immò dignantur nobis pſallentibus ſeſe admiſcere, & vnà nobiſcum pſallere, ſicut Pſalmiſta ait: *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus*, &c. S. Bern. per Principes, illos intelligit Angelos qui veri ſunt Principes cœleſtis Monarchiæ, ſicut per iuuenculas tympaniſtrias animas Deo & ſeruitio eius dicatas, quæ cum ipſis Angelis Deum alternatim laudant. B. item Bernardus expendit illam dictionem, *coniuncti*, quæ vnionem importat, quòd Angeli, vt dictum eſt, vnà cum pſallentibus vniantur hominibus; deindè aliud verbum, *Præuenerunt*, quo ſignificantur Angeli quandoque ductores eſſe Pſalmodiæ & Hymnodiæ, prouocantes ad pſallendum. Concinit viſio illa de qua ſcribit Caſſianus de Angelo qui inter Monachos conſpiciebatur vt eos pſallere doceret, à quo Pſalmi duodecim per totam Ægyptum in horis nocturnis & diurnis vſurpati, fuerunt tunc traditi. Vt itaque Religioſi & Moniales alacriùs accurrant ad chorum, & mediâ nocte ſurgant ad laudandum Deum, ſintque diligentes & attenti in Pſalmodia, meritò eos monet non ſolùm officij illius dignitas; ſed & Angelica ſocietas per Vatem Regium declamata, qui in ſuprà allegata ſententia, oſtendit illos Principes, hoc eſt Angelos ad chorum eos expectare & pręuenire, vt cum illis pſallant, & portent deuotorum orationes repręſentandas coram Deo; hinc aptè ſequitur poſt hunc verſum: *In Eccleſijs benedicite Domino de fontibus Iſraël*: id eſt vos qui eſtis de fontibus Iſraël geniti per Apoſtolos, vel, vt alij vertunt, *De vena Iſraël*: quod Hebręi quidam exponunt: *Quicumque eſtis de ſemine quaſi de vena & ſcaturigine Iſraël, in Eccleſiis benedicite Domino*: quo quidem loquendi modo omnes pij Chriſtiani, maximè autem Religioſi ſignificantur; quilibet enim approbatus Ordo, verbi gratiâ, Sancti Benedicti, Sancti Dominici, Sancti Franciſci, Sanctæ Claræ, &c. fons quidam & ſcaturigo Iſraël, quæ fluxit in mundum vocari poteſt; & proinde omnes illorum Ordinum, hilariter accurrere debent, vt penſum diuini officij Deo perſoluant, à tam illuſtribus Cœli Principibus pręuenti, & in ſocietatem aſſumpti; vt perbellè confirmat S. Bernardus, beatos Spiritus vocãs Cęli Cantores, ſermon. in Cant. atque illos ſolitos dignanter admiſceri pſallentibus. Eidem veritati prębet teſtimonium S. Chryſoſtomus, *Neſcis*, inquit, *quòd cum Angelis ſtas; cum illis cantas, cum illis hymnos dicis?* Sed ante omnes noſtræ Eccleſiæ Doctores pronuntiauerat Pſaltes ipſe, quòd quando ad pſallendum accedebat, tunc ſibi certiſſimè.

Pſal. 33.

Pſal. 67
a Serm 7. in Cant. & epiſtola 78.

Lib. 2. Inſtit. cap. 5.

S. Bern. Serm. 7. in Cant.

Hom. 15. in epiſt. ad Hebr.

certiſſimè perſuadebat ad Angelorum conſpectum & conſortium tranſire, *In conſpectu Angelorum* (inquit) *pſallam tibi, adorabo ad templum*. &c. Vtitur vocabulis *In conſpectu*, vt ſignificet realem & actualem Angelorum præſentiam dum pſallebat, quaſi eos proprijs oculis cerneret, atque diceret, ſumam officium Angelorum, coram Angelis & cum Angelis *pſallam tibi*. Idem B. Chryſoſt. adhuc conſiderat eadem vocabula *In conſpectu*. & Textui Hebræo inſiſtens, interpretatur è *regione*, vt ſenſus ſit, *tibi pſallam è regione Angelorum*, quaſi vnum faciant chorum ex altera parte canentes, dum homines alterum chorum ex altera parte canentes & reſpondentes efficiunt: quod agnoſcens Eccleſia, vt Pſalmos & Hymnos ſuos gratiores Deo queat offerre, ſicut optat hanc Sanctorum Angelorum dignationem & vnionem; ita ſupplex quotidie exorat Deum, vt digna reddatur vnà cum hiſce ſocijs decantare, & prædicare hymnum diuinæ gloriæ, dicens: *Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur.* Aliàs autem tanquam admiſſa ad hanc ſocietatem dicit: *Ideò cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœleſtis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, ſine fine dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c.

Pſal. 137.

In Pſal. 4. & 137.

Porrò ſicut Angelos imitamur in forma cantus, illiſque in pſalmodia ac hymnodia aſſociamur, ita oporteret nos eſſe Angelos, non naturâ cùm id fieri nequeat, ſed imitatione vitæque puritate, vti egregiè docet S. Chryſoſtomus, *Oportet*, inquit, *Angelum fieri & ita laudare, ante os noſtrum vita noſtra Deum laudet.* Expendebat aliquando idem Chryſoſtomus, cauſam cur Pſaltes Regius Angelos omnium primos ad diuinarum laudum cantum inuitabat: deinde creaturas alias cœleſtes materiales; tandem creaturas quaſcunque ſub cælo degentes, dicens: *Laudate Dominum de cælis*, &c. *Laudate eum omnes Angeli eius*, &c. *Laudate eum Sol & Luna.* &c. Demum, deſcendit ad terræ dracones, abyſſos, populos, Reges, &c. cùm potiùs debuiſſet initium ſumere ab inferioribus, & paulatim procedere ad ſuperiora, iuxta naturæ ordinem. Reſpondet ergo S. Chryſoſt. Dauidem voluiſſe ab Angelis ducere initium, vt inde intelligerent homines ſe non poſſe dignè diuinos Hymnos & Pſalmos vſurpare, niſi priùs habeant Angelos ſibi ad imitationem propoſitos; & id confirmat dum in admirationem defixus ita exclamat: *O mira Chriſti dona! In ſupernis exercitus Angelorum canunt gloriam, in terris homines in Eccleſiis choros agentes, ad illorum exemplum eandem canunt gloriam: ita communis cœleſtium & terreſtriũ feſtiuus Cõuentus & Panegyris coaleſcit.* Hinc Clemens Alexandrinus ait Sacros homines per Pſalmos atque preces, ſe diuino choro ad-

Angeli ſimus ſaltem imitatione ſi non naturâ, cùm in diuinis laudibus decantandis, illis aſſociemur.

S. Chryſ. in Pſal. 112.

Pſal 148.

S. Chryſ. hom. 1. de verb. Iſa.

Lib. 7 Strom.

Dæmonum odium & inuidia, quòd homines in decantandis Dei laudibus, Angelis aſſocientur.

iungere: quòd, vt ait celeberrimus quidam Auctor modernus, in generis humani hoſte, non modicum excitat & parit odium atque inuidiam, dum ipſe videt homines gradu & naturâ inferiores ſe, ad illud munus decantandarum Dei laudum, eſſe cum Angelis euectos, & ſe eſſe à tanto illo tamque fœlici munere ob ſuperbiam eiectum, quod ipſe tamen in Cœlis, maximâ ſuâ fœlicitate atque gaudio ineffabili, cum alijs Angelis in æternum explere potuiſſet; & hine fit, vt varijs artibus ſtudeat à pſalmodia & ipſis decantandis laudibus diuinis homines retrahere; alios nititur impedire, ne chorum adeant ſub prætextu occupationum aut ſtudiorum, quæ ad proximi maius beneficium diriguntur, aut aduerſæ valetudinis quâ premuntur ſiue capitis, ſiue ſtomachi: alios ſub ſpecie dignitatis quam obtinent, quaſi non deceat conſtitutos in dignitate frequentia chori: ſi autem hâc arte & aſtutiâ, non obtinet erga aliquos ſuum intentum, chorum ingredi non veretur, ſuggerens cauſas exeundi opportunas ſiue neceſſitatis, ſiue commoditatis, aut alterius apparentis vtilitatis, ita vt ſicut ſtudet chori ingreſſum retardare, ita & egreſſum ſollicitare, vt aliqui aduertunt ipſum quandoq; id S. Dominico Ordinis Prædicatorum Patriarchæ eximio, indicaſſe: his ergo modis non paucos decipere ſolet.

Dæmon nititur homines à diuinis laudibus retrahere.

Multis ergo nominibus laudandi ſunt omnes tum Eccleſiaſtici & Religioſi, tum alij omnes cuiuſcumque in Eccleſia conditionis, imò fœlices prædicandi, ſi à Dæmonum aſtutijs cauentes, dignos cœleſtium ſpirituum ſocios in decantandis diuinis laudibus, eodem animi ardore ſe exhibeant; munus ſiquidem laudandi Deum omnium Dominum Hymnis & Canticis, inter alia opera valdè ſublime eſt, & homines quaſi Angeli mortales carne circundati, ex illa cum Angelis immortalibus & immaterialibus aſſociatione, vocari poſsūt, ſanctâ æmulatione contendentes, in hymnis & confeſſionibus Deo Deorum concinendis. Quocircà valdè pudendum & reprehenſione dignum exiſtimo, ſi nonnulli Eccleſiaſticorum & Religioſorum reperiantur, qui tantæ dignitatis quòd Angelis aſſocientur, in Hymnis & Pſalmis decantandis obliti, nunquam vel rarò de ſanctis illis Angelis ſibi præſentibus cogitent, vel certè iucundiſſimâ illorum memoriâ, non magis quàm ſtipites & ſaxa commoueantur, ſeque illorum tutelæ ac patrocinio commendare non dignentur; quos etiam Ethnici in pretio habuerunt. Et certè ſi ſapimus, hos beatos, & nunquam ſatis laudatos Angelos, nobis ſæpè ob oculos ponemus, ſed & vbique ſuſpiciemus, redamabimus ac venerabimur, & ab illis ex animo petemus, vt pro ſua præſtanti charitate, nobis quamuis indignis, & magnitudinis eorum reſpectu veluti pygmæis, in vita &

Cogitandum ſemper de Angelis, vt præſentibus nobis.

morte, atqueadeò poſt mortem, opitulari & patrocinari dignentur; & profectò cùm tot gratias, auxilia, fauores & patrocinia, nos ab ipſis recepiſſe, & in dies recipere experiamur; rationi conſentaneum eſt, vt erga eos quoque aliquos affectus pro poſſe exhibeamus, & viciſſim redamemus, vt anteà diximus, eximia ſiquidem pietas illis debetur, & maximè illi qui noſtræ cuſtodiæ diuinitùs adſcriptus eſt; nam ſi, vt iam ſatis diximus, nos curant, profectò decet nos gratam illorum ſeruare memoriam: ſi illi tantùm honoris habeant nobis, vt viliſſimæ rei (viliſſimos enim ſæpè nos præter naturam etiam peccatum efficit) ſuam operam nauent: quidni viciſſim nos illis ſummam venerationem debeamus? natura certè ipſorum excellentem habet dignitatem, quòd ſint ab omni corporea mole liberi, quòd Deo ſimiles, quòd velut Aulici magni Regis cœlorum, apud eum gratioſiſſimi exiſtant ſine metu offenſionis, quòdque pleni ſint gratiâ ſine metu amiſſionis; beneficia verò quæ nobis conferunt, vel quæ à Deo eorum ope conferuntur, non ſolùm multa ſunt & magna, verùm etiam perpetua, neque minùs varia & magna & præſentia ſunt pericula, quæ ſine illorum ope & erga nos beneuolentia, non euaderemus: neque ſolùm tutos nos, ſed etiam ſecuros prȩſtant, niſi per noſmetipſos impediantur, multa enim noſtrâ causâ volunt, quæ quòd nos repugnemus non poſſunt; quin etiam (quod Elizæo oſtenſum eſſe ſuprà diximus) longè maior eſt eorum numerus qui nobis adſunt, quàm malorum ſpirituum qui nobis infeſti ſunt. Deinde id præclarè oſtendit recens quidam auctor celeberrimus. Vniuſcuiuſque noſtrûm, inquit, Angelus tutelaris & cuſtos, tanquam alter Orpheus, & veriùs quàm ille, ſuæ vocis dulcedine atque ſalutarium conſiliorum, noſtra demulcendo & rapiendo corda, affectus, animas, & corpora, nec-non facultates, intellectum, voluntatem, & ſenſus omnes, & vt vno verbo dicam, omnes tum ſpiritus cùm corporis functiones; conducet nos (ſi ei fidem adhibere velimus) ad nouem muſarum chorum, hoc eſt virtutum, quæ ſunt amor Dei, amor proximi, Fides, Spes, Charitas, & quatuor Virtutes Cardinales, quæ introducent nos in ſemitas quibus ad verum Parnaſſum, & tandem ad verum Apollinem Chriſtum Dominum Iuſtitiæ Solem, perueniamus. Eſt id quod ab his noſtris tutelaribus Angelis ſanctè debemus efflagitare, & illi profectò pro ſua ſingulari erga nos beneuolentia & affectu id prȩſtabunt, ſi eorum Virtutes & perfectiones imitari ſtudeamus, & tandem ſæpè nobis ſuggeramus, quòd ſicut in hymnodiæ & pſalmodiæ vſu, ſumus eis aſſociati eorumque ſubimus officium; ita par eſt ad ipſorum con-

Pro tanto affectu quo nos Angeli proſequuntur, eos viciſſim redamare & venerari tenemus.

Angeli nos ducunt ad nouem muſarum, hoc eſt virtutũ chorum, & tandẽ ad Chriſtum.

tendere perfectiones, certi quòd ipſimet Angeli nos ad omne bonum incitabunt iuuabuntque, vt ab hymnodia & pſalmodia militantis Eccleſiæ, ad hymnodiam & pſalmodiam perpetuò cum ipſis continuandam, fœlices & læti in cœlos, & triumphantem Eccleſiam tranſeamus. Et hæc ſunt quæ in Angelis imitari debemus, quæ paucis complectitur Venerabilis Beda in hæc verba Exodi:

Beda in 15. cap. Exodi.

Facient mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod oſtendam tibi, &c. Animaduerte illud quòd in monte monſtratum fuit tabernaculum, eſſe cœleſtem patriam, quæ illo tempore ſolis Angelis ſanctis conſtabat, & poſteà ſanctarum animarum multitudine; ſi autem (inquit) ad Angelorum in cælis conſortia tendimus, illud Angelorum tabernaculum cæleſte, in terris imitari debemus. Quod ſi fortè requiris, in quo hoc tabernaculum cœleſte imitari valeas? Diligunt Deũ & proximos, hoc imitare; ſubueniunt miſeris, & ſi non Angelis qui omnes beati ſunt, certè hominibus, hoc imitare: humiles ſunt, mites ſunt, inuicem placati ſunt, diuinis parent iuſſis, hoc inquantum vales imitare: nihil mali, nihil otioſi, nihil iniuſti loquuutur, agunt, cogitant, diuinis indefeſſi laudibus, verbo & mente aſſiſtunt, hoc quantum potes imitare, & ſanctuarium Domino iuxta exemplum quod Moyſi in monte monſtratum eſt ædificaſti; veniens que Dominus & Saluator noſter cum Patre, manſionem apud te faciet, quin & poſt hanc vitam in illud tabernaculum quod imitaberis, perpetuò beatum introducet: *Hæc Beda*: His Sancti Bonauenturæ pulcherrima verba addenda veniunt: Vult Dominus (inquit) vt Angelis in operando aſſimilemur, cum ad eorum ſocietatem creati ſimus; vult vt ardeamus amore cum Seraphim; diuinorum ſcientiâ fulgeamus cum Cherubim; ſpirituales facti omnia iudicemus cum Thronis; nobis ipſis dominemur cum Dominationibus; fortiter reſiſtamus inordinatis motibus noſtris, malignorumque ſpirituum ſuggeſtionibus cum Virtutibus; regnum animæ in iuſtitia & pace gubernemus cum Poteſtatibus, ſubditis noſtris debitè prouideamus cum Principatibus; maxima proximis exhibeamus cum Archangelis, minora indigentibus ſubſidia impertiamur cum Angelis: *Hæc Sanctus Bonauentura.* Debemus ergo ex imitatione Angelorum ad vſum noſtræ conuerſationis aliquid trahere, & æmulatione bonis ſtudijs nos inflammare, vt ſimiles ſimus illis ad quos debemus aſcendere: diſtinctæ enim conuerſationes hominum, diſtinctis congruunt Ordinibus Angelorum, & in eorum ſortem per conuerſationis ſimilitudinem aſcendunt.

Hęc ſunt quæ in præſentiarum de Angelis dicenda iudicauimus, quos tamen non vidimus, ſed credimus eſſe; nihil niſi ex Scripturis, Sanctis Patribus, & melioris notæ Theologis, in medium adduximus, & ideò ſi quid diximus aut ſcripſimus, quod veritatem non ſatis declarare videatur, Angelica mens nos illuminare ac edocere dignetur, quò aliàs maiori lumine exornati, quæ de tantis tamque excellentibus creaturis, minùs bene concepta, dicta, ſcriptaque ſunt, iuxta Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ leges, corrigamus & emendemus, cui quidem Sanctæ Eccleſiæ atque Sacræ Facultati Theologicæ Pariſienſi, nos omnimodè ſubmittimus.

Finis I. Tractatus.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN PRIMO TRACTATV QVI EST de Angelis, continentur.

VETERIS TESTAMENTI.

Ex Geneſi.

CAP. I. DIVISIT lucem à tenebris.pag. 72.78.& 158
Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, &c. 225
Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. 76
II. Perfecti ſunt cæli & terra & omnis ornatus eorum. 177
IIII. Vbi eſt Abel frater tuus? 256
VI. Omnis caro corruperat viam ſuam. 185
XVI. Reuertere ad dominam tuam & humiliare ſub manu eius. 218
XVII. Multiplicans multiplicabo ſemen tuum. 259
XVIII. Cùm eleuaſſet oculos vidit tres viros. 260
XXV. Aſcendebant & deſcendebant Angeli. 74
XXVIII. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam. 189.213
XXXII. Non dimittam te niſi benedixeris mihi. 247.250
Caſtra Dei ſunt hæc. 83
XLVIII. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. 180.231.246

Ex Exodo.

Cap. XIX. Hæc dices domui Iacob & annunciabis filiis Iſraël. Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas Aquilarum & aſſumpſerim mihi. 249

XXIII. *Obſerua eum & audi vocem eius quia non dimittet eùm peccaueris.* 155. 177

Mittam Angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via & introducat te in locum quem præparaui. 220. 264

XXV. *Facient mihi ſanctuarium & habitabo in medio eorum, &c.* 276

Ex Leuitico.

Ca. XXIII. *Iuſsit Dominus ſingulis annis menſe ſeptimo, celebrare filios Iſraël feſtum ſolemne tabernaculorum diebus ſeptem.* 245

Ex Deuteronomio.

Cap. II. *Hodie incipiam mittere terrorem ac formidinem tuam in populos qui habitant ſub omni cælo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur.* 219

XXXII. *Dei perfecta ſunt opera.* 5

Conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſraël. 167

Ex libro Ioſûe.

Cap. V. *Princeps exercitus Domini ego ſum.* 86

Ex libro Iudicum.

Cap. III. *Qui ſuſcitauit ei ſaluatorem.* 163

IV. *De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo.* 176

VI. *Dominus tecum virorum fortiſsime.* 118

Ex libro 2. Regum.

Cap. I. *Aquilis velociores, Leonibus fortiores.* 161

Ex libro 3. Regum.

Cap. VIII. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* 30

X. *Beati ſerui tui qui ſtant coram te ſemper.* 145

XXII. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſsiſtentem à dextris & à ſiniſtris.* 177

Ex lib. 4. Regum.

Cap. XX. *Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate.* 61

Ex lib. 2. Paralipomenon.

Cap.XVI. *Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.* 156

Ex Tobia.

Cap. V. *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.* 163
VI. *Profectus eſt autem Tobias & canis ſequutus eſt eum.* 244
VIII. *Angelus Raphaël apprehendit Dæmonium, & religauit eum in deſerto ſuperioris Aegypti.* 226
XII. *Ego ſum Raphaël Angelus vnus ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum.* 145
Quando orabas & mortuos ſepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino. 188
Vtor cibo inuiſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt. 269
Cùm eſſem vobiſcum per voluntatem Dei eram, nolite timere. 211

Ex Iudith.

Cap.XIII. *Viuit Dominus quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* 231

Ex Heſter.

Cap.XV. *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei.* 81

Ex Iob.

Cap.I. *Quodam die cùm veniſſent filii Dei, vt aſſiſterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* 223
Circuiui terram, &c. 189
VII. *Apponis erga eum cor tuum.* 182
IX. *Sub quo curuantur qui portant orbem.* 75
XV. *Nunquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus?* 157
Nunquid conſilium Dei audiſti? & inferior te erit ſapientia? 157
XIX. *Voca ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* 246
Miſeremini mei miſeremini mei ſaltem vos amici mei. 246

Qui facis

INDEX ALPHABETICVS RERVM

memorabilium quæ in primo Tractatu qui eſt de Angelis, continentur. Numerus paginam indicat.

A

Actus ſecundus ſupponit primum. pag. 142
Æuum eſt menſura intrinſeca Angelorum. 126
Æuum eſt menſura aliorum æuiternorum, potuit remanere in Lucifero. 127. 128
Amor naturalis & ſupernaturalis. 59
Amor ſupernaturalis fuit ab initio in Angelis. 60
Angeli nomen nuntium ſignificat. 16
Angeli nomen officium indicat, non naturam. 2
Angeli vox duplicem habet ſignificationẽ. 4
Angeli diuerſa acceptio. 1. 2. 3. 4
Angeli in Cælo Empyreo conditi ſunt. 5
Angeli exiſtentia multis probatur rationibus. 6
Angeli ſunt incorporei. 8
Angeli definitio exponitur. 9
Angelus habet intellectum agentem & poſſibilem. 12
Angelus intuitiuè & abſtractiuè cognoſcit. 14
Angelus poteſt accipere cognitionem ſingularium per intellectum agentem. 16
Angeli ex ſenſibilibus notitiam diuinam non acquirunt. ibidem
Angelus ſeipſum cognoſcit per ſuam eſſentiam. 17
Angelus & anima diuerſo modo ſe intelligunt. 18
Angeli eſſentia & exiſtentia, quomodo diſtinguuntur. ibidem
Vnus Angelus intuitiuè alterum cognoſcit per ſuam eſſentiam & abſque ſpecie, & non abſtractiuè. 19
Angelus inferior ſuperiorem intelligit, & quomodo. ibidem
Angelum inferiorem poſſe comprehendere ſuperiorem non eſt ſatis probabile. 20
Angelus non poteſt naturaliter habere notitiam Dei immediatam. 22
Angeli quomodo per ſuam eſſentiam Deum cognoſcant an non. ibidem
Angeli ab initio naturali amore ſeipſos, Deum, & proximum dilexerunt. 59
Angeli beati nunc Deum ſupernaturali eoque beatifico amore diligunt. 60
Angeli cur alati & nudis pedibus depinguntur. 74
Angeli aliquando loco Dei apparuerunt & locuti ſunt. 74. & 160
Angeli æquitatus nomine donantur, & cur. 75
Angeli nihil niſi ex Dei præſcripto perficiunt. 95
Angelus eſt in actu virtuali & in potentia formali reſpectu motus, & quomodo. 117
Septem Angeli compeſcunt ſeptem præcipuos Dæmones, & quinam ſint. 147
Angeli dicuntur filij Dei (adoptiui) eius oculi & pedes. 154. 155. 156
Angeli vocantur fluuij, montes, colles, ignis, cœlum, nubes, ſtellæ. 157. & 158
Angeli vocantur aues ſeu volucres. 159. 160. & 161.
Angeli virtutes, pacifici, principes, ſaluatores, & auditores Dei dicuntur. 161. 162. 163
Angeli altaria ſanctificata cuſtodiunt atque Templa Deo dicata, nec-non & Sacerdotes Deo ſacrificantes. 173
In quantis nos faueant Angeli. 219
Angeli nos à Dæmonibus & alijs periculis defendunt. 225
Angeli nos defendunt à malis hominibus, à feris, ab ira Dei, &c. 231
Angeli Aduocati ſunt noſtri erga Deum ad illum flectendum, &c. 232
Angeli in nobis ſuccurrendis Aquilæ & Leoni comparantur. 248
De Angelorum inuiſibili & viſibili apparitione. 251

Angeli quandoque apparuerunt in forma puerorum ad imitationem Chriſti. 252
Angeli plerumque in forma hominum ſiue ſenum, ſiue iuuenem apparuerunt. 253
Angeli in forma glorioſa virorum quandoque apparuerunt. 254
Angelus bonus primò terret, deinde exhilarat, & contra malus. 255
Angeli quandoque in alijs formis quàm humanis apparuerunt. ibidem
Angeli induunt quandoque formam ſuorum clientum. 256
Angeli in diuerſo habitu apparuerunt. 260
Angeli ducunt animas in Cœlum, vel Purgatorium. 263
Angelorum charitas à nobis imitanda. 267
Anima ſeparata poteſt accipere cognitionem à rebus. 16
Animæ ſeparatæ poſſunt localiter moueri. 114.
Anima Chriſti verè deſcendit ad inferos. ibidem.
Apoſtolos & alios quoſdam fuiſſe ad prædicandum Dei verbum ab Angelis ductos & & forſitan tranſlatos credibile eſt. 184
Apoſtoli tranſlati ab Angelis Beatæ Virginis dormitioni interfuerunt. 184
Cætera Littera plura alia de Angelis continet.

B.

BEATITVDO duplex, & in qua Angeli fuerunt creati. 57
Beatitudo ex ſua eſſentia non eſt perpetua. 58.
Bona temporalia nobis Angeli procurant ſollicitè. 258

C.

CASTRA Angeli dicuntur & Chori caſtrorum. 83
Cælum Empyreum Dei ſedes & aula. 5
Cæli indigent cuſtodia Angelorum quoad motum, non tamen Cælum Empyreum quod non mouetur. 166
Celeritas Angelorum maxima demonſtratur. 151
Chriſtus dicitur Angelus per excellentiam. 3
Ad Chriſtum nos ducunt Angeli. 275
Claritas, potentia, & fortitudo Angelorum. 83
Cogitandum ſemper de Angelis, vt nobis præſentibus. 274
Cognitio duplex, intuitiua, & abſtractiua. 13
Cognitio quotuplex ſit. 20
Cognitio Angelorum quænam ab initio fuit diſtincta eaque naturalis. 23
Cognoſcere non poteſt Angelus præteritum quod nunquam cognouerat. 26
Cognoſcit Deum naturaliter Angelus, & quomodo. 21
Cognoſcit poſſibilia Angelus, & quomodo. 17
Cognoſcere poteſt Angelus Deo non impediente alterius Angeli occultas cogitationes & affectus, & quomodo. 29
Non cognoſcit Angelus de facto ſecreta cordis, Deo ita ſtatuente. 30
Si cognoſceret Angelus ſecreta cordis, non tamen eo modo quo Deus, illa cognoſcit. 31
Cognitio matutina & veſpertina quænam ſint. 39
Vtraque cognitio matutina & veſpertina eſt duplex. ibid.
Cognitionem matutinam naturalem habuerunt omnes Angeli in via. 41
Comprehendere Deum nequit Angelus. 24
Conſilium in noſtrum fauorem ineunt Angeli. 229
Conſolantur homines Angeli. 218
Contendunt quandoque ad inuicem boni Angeli, & quomodo. 167
Contingentia futura quot ſint, & quænam illorum cognoſcat Angelus, & quomodo. 24
Corpus & ſanguinem Chriſti conſecratione facta à Sacerdote offerunt Deo Angeli. 190
Corpora quæ in Eccleſijs ſepeliuntur, & præſertim Sanctorum cuſtodiunt Angeli. 233
Corpora quandoque aſſumunt Angeli, quomodo, & quid in eis præſtent. 157
Corpora illa aſſumpta, quomodo ab Angelis addenſentur. 158
Corpora particularia Angelorum voluntati obediunt. 88
Creaturæ perfectiùs eſſe in Deo habent, & ideo in ipſo perfectiùs cognoſcuntur quàm in ſeipſis. 40
Creationis Angelorum cur non meminerit Moyſes. 77
Creati fuêre Angeli in fœlicitate naturali. 82
Cuſtodia Angelorum. 178
Cuſtodiam Angelorum quidam Ethnici cognouerunt. 179

Cuſtodia Angelorum Sacræ Scripturæ locis probatur. 180.196.234.235
Cuſtodia Angelorum ex SS Patribus probatur. 197
Cuſtodia Angelorum rationibus probatur. 201
Cuſtos Angelus cunctis Chriſtianis immò & infidelibus eſt à Deo aſſignatus. 205
Cuſtodiâ Angelorum carebit Antichriſtus. 206
Cuſtodes Angelos habuerunt primi parentes & Beata Virgo, non verò Chriſtus, & ob quid. 208. 209
Cuſtodes noſtri ſunt Angeli, quòd ſciant Deum ita velle. 210
Cuſtodes noſtri ſunt Angeli ad Chriſti imitationem. 212
Cuſtodiunt nos Angeli, noſtrique curam gerunt ob rria potiſſimùm. 214

D.

DECOR & pulchritudo Angelorum ingens. 78
Definitio Angelorum ampliſſima. 90
Dæmones futura prædicunt, & quomodo illa ſciunt. 26
Dæmones decipiunt homines, & ipſimet falluntur in his quæ prædicunt. ibidem
Dæmones quâ mente Chriſtum eſſe Dei Filium declararunt. 33
Dæmones non ſe inuicem illuminant, ſed bene inter ſe loquuntur. 54
Plures Dæmones inſidiantur in morte hominum. 262
Dæmonum odium & inuidia, quòd homines in Dei Laudibus decantandis Angelis aſſocientur. 274
Dæmon nos detrahere à diuinis laudibus nititur. ibidem
Deus nulla indigẽs creatura omnes creauit. 4
Deus incomprehenſibilis niſi à ſeipſo. 24
Deus eſt menſura extrinſeca & extra genus durationis Angelorum: at primus Angelus eſt menſura in genere eiuſdem durationis. 127.
Diaconi ſeptem olim Papæ aſſiſtebant. 151
Dies feſtus in honorem Angelorum. 248
Diſtinctio Angelorum ex Scriptura colligitur. 92

E.

ENS creatum & increatum eſt obiectum intellectus Angelici. 11
Euchariſtia Sacra in quolibet Templo particularem habet Angelum cuſtodem. 173
Exercitus Dei dicuntur ipſi Angeli ob tres rationes. 117

F.

FIDEI myſteria perfectiùs cognoſcunt Angeli in gloria, quàm dum in via erant. 35
Figuræ in Scripturis de nouem Angelorum Ordinibus. 92
Fortitudo Angelorum quanta ſit. 177
In ſua fortitudine quomodo à nobis imitandi ſint Angeli. 267
S. Franciſci deuotio erga Angelos. 247
Frugalitatem Angelorum debemus imitari. 269.
Fugiunt laſciuos viros Angeli, & caſtos amant. 193.

G.

GLORIA eſſentialis & accidentalis quid ſint. 68
Vt grati Angelis ſimus quid præſtandum. 250
Gratiæ myſteria duobus modis ſunt ſupernaturalia. 32
Gratiæ myſteria naturaliter cognoſcere nequit Angelus. ibidem.
Gratiæ myſteriorum modum ſupernaturalem vi ſua naturali non cognoſcit Angelus. 74
In gratia habituali fuerunt Angeli in via. 61
Cum gratia Angelis fuerunt infuſæ virtutes. 63.
Ad gratiam per proprios actus ſe diſpoſuerunt Angeli. 64

H.

HIerarchia quid ſit. 91
Tres Hierarchiæ Angelorum, & vnaquæque earum in tres choros diſtributa. ibid.
Hierarchiæ Angelorum per ordinem in Curia Regum ſeruatum explicantur, at non ſine maxima diſtinctione. 93
Hierarchiæ Angelicæ Deum Trinum & vnũ cum eius attributis repræſentant. 94
Hierarchiæ tres, & Ordines tres hominum in Eccleſia. 96
Homines ſunt ad Angelorum ordines aſſumendi, iuxta eorum merita. 97
Honorare Angelos debemus. 243

Seſe humiliant Angeli coram hominibus poſt Chriſti Incarnationem. 214
In humilitate & puritate imitãdi angeli. 226

I.

ILLABI animæ non poſſunt Angeli. 31
Illuminat vnus Angelus alterum & de quibus. 51
Tres actus illuminantis Angeli reſpectu illuminati quinam ſint. ibid.
Illuminant ſuperiores Angeli alios inferiores. ibid.
Inferiores Angeli poſſunt extraordinariè illuminare ſuperiores, & quomodo. 52
Illuminatio Angeli quomodo fiat. ibid.
An Illuminans Angelus aliquid cauſet in ſe. 53.
De quibus obiectis Angelus alium illuminat. 54
Illuminationes inter Angelos quo ordine fiant. 55
Illuminant nos Angeli & inſtruunt quatuor modis. 221
Imitandi ſunt Angeli in ſuis perfectionibus. 265
Imitanda eſt à nobis Angelorum innocentia & ſimplicitas. 267
Imitatione debemus eſſe Angeli, quamuis non natura, & illis debemus aſſociari in diuinis laudibus decantandis. 273
Verbum diuinum non minùs fuiſſet Incarnatum, ſi Adamus non peccaſſet. 34
Incarnationis myſterium Adamo fuit reuelatum. 35
Incarnationis myſteriũ fuit ab Angelis cognitum, dum eſſent in via, & quomodo. 34
Ingrati eſſe non debemus erga Angelos, & quid ad illud præſtandum ſit. 244. 245
Intellectus angeli eſt eo imperfectior. 115
Interlocutores dici poſſunt angeli, & cur. 189
Inuocandi ſunt à nobis angeli. 246
S. Ioannes Baptiſta Angelus fuit officio. 2
Iudicij diem angeli cognoſcunt ſaltem in generali. 37
Iudicij diem Chriſtus ſciebat, & quomodo. 38
Iudicij diem quomodo ſolus pater dicatur ſcire. ibid.
Iuſtitia non in Deo, ſed in creatura poteſt deficere. 40

L.

IN Laudibus diuinis decantandis debemus imitari Angelos. 269. 270. 271
In Laudibus diuinis decantandis Religioſos docent Angeli. 272
Legem Dei Moyſi tradiderunt Angeli cum Michaële eorum Principe. 85
Legem Dei obſeruantes ſe diſponunt ad ſtatum Angelorum. ibid.
Lex Euangelica per Chriſtum data, non per Angelos debet obſeruari. ibid.
In Loco eſſe, quadrifariam ſumitur. 103
Locus duplex, adæquatus & inadæquatus, quid ſint. 109
In Loco ſunt diffinitiuè Angeli. 103
In Loco adæquato ſunt angeli, & quomodo. 105
In Loco ſunt Angeli priùs per eſſentiam quàm per operationem. 107
Quomodo in pluribus Locis poſſit eſſe Angelus. 110
Eſt in Loco Angelus per ſuam ſubſtantiam non aliqua neceſſitate, ſed propria voluntate. 110
In eodem Loco plures Angeli eſſe poſſunt, & quomodo. 111
De Loco in locum moueri poteſt Angelus. 113
Poteſt Locum inadæquatum mutare Angelus in inſtanti, & quomodo. 110
Loquuntur Angeli cum Deo ipſo. 44
Loquitur Deus Angelis, & quomodo. ibid.
Loquuntur Angeli cum hominibus, & quomodo. ibid.
Loquuntur Angeli ad ſe inuicem, & quomodo. ibid.
Locuti ſunt Angeli cum Ethnicis, & potiſſimùm Dæmones. 44
Loqui poteſt Angelus animæ ſeparatæ, ſed non ſic corpori immerſæ, & cur. 46
Loqui poteſt Angelus alteri Angelo in quacumque diſtantia, & quomodo. 47
Loqui poteſt Angelus alicui Angelo, etſi non alteri. 48
Locutio Angelica quomodo fiat. ibid.
Loqui poteſt Angelus alijs pluribus Angelis, & quomodo. 49
Quomodo vni Loqui poſſint plures Angeli. 50
Loqui poteſt Angelus alteri Angelo de obie-

ĉto iam ipſi audienti noto. 50
Locutio reciproca eſt inter Angelos. ibid.
Lucifer præficit regnis, &c. ex Dæmonibus ſuperioribus ad eorum ruinam. 167

M.

MEDICI noſtri ſunt Angeli, etiam dum nos corrigunt. 223. 225
Medium duplex eſt. 21
Menſura gratiæ non eſt natura ſed voluntas. 64
Menſura quid ſit, & quomodo ſumatur. 124
Menſura triplex, æternitas, æuum, & tempus, & quid ſint. 124
Non meruerunt Angeli per ſubſequentia merita. 68
Meruerunt Angeli per præcedentia merita. 69
Meritum intenſum magis deſideratur, quàm multa remiſſa. 71
S. Michaël tulit Habacuc, & quomodo. 78
S. Michaël prælium geſſit ab initio, & tempore Antichriſti aduerſus Dæmones & illorum miniſtros. 148
S. Michaël quaſi os Chriſti Antichriſtum interficiet. 149
S. Michaël eſt à Deo animabus ſuſcipiendis præpoſitus. 149. 264
S. Michaël ſignum Crucis in Iudicio geſtabit. 149
A S. Michaële & eius exercitu auxilium nobis poſtulandum. 149
S. Michaël ſicut erat ſynagogæ præpoſitus, ita & nunc Eccleſiæ Chriſtianæ. 172
Milites ſunt ipſi Angeli in hominum fauorem. 76. 99
Miniſtrant quandoque Angeli Sacerdoti celebranti. 191
Mortui reſurgent S. Michaëlis reſonante tuba. 77
In mortis articulo & in egreſſu animarum à corporibus Angeli adſunt pijs fidelibus. 261
Quot Morulæ ſeu ſpatia extiterunt inter Angelorum creationem & eorundem beatitudinem vel pœnam. 71
Mouere ſeipſum poteſt Angelus. 116
Moueri poteſt Angelus de loco in locum motu continuo. 118
Dum mouetur localiter Angelus quare ſtatim non habet terminum ad quem. 119
Mouetur Angelus proprio motu in inſtanti. ibidem.
Moueri poteſt Angelus ab extremo in extremum impertranſito medio, & quomodo. 121
Mouere poteſt vnus Angelus alium, & quomodo. 115
Mouere poſſunt Angeli animas ſeparatas, vt aliquando accidit 125
Mutari non poteſt Angelus corruptiua paſſione, bene autem perfectiua. 46

N.

NATVRALE dicitur duobus modis. 20
An Nomina propria habeant Angeli & Beati. 144
Nomina Angelorum, Virtutum, Cherubinorum, Thronorum &c quandoque Angelis etiam mali; conueniunt. 95
Nomina quædam Angelorum in Scripturis Canonicis non recenſita. 155
Nomina ſeptem Angelorum Principum quænam ſint, & eorum interpretatio. 146
Numerus Angelorum quantus. 98
Numerus ſeptenarius commendatus. 147
Nuntij fideles & prompti ſunt ipſi Angeli. 89

O.

OBEDIENTIA Angelorum quomodo à nobis imitanda. 267
Operationes immanentes & tranſeuntes Angelorum quænam ſint. 129
Operationes immanentes Angelorum menſurantur æuo primò Angeli, ſicut eorum exiſtentia. 129
Operationes beatificæ Angelorum æuo menſurantur, non æternitate participata. 130
Operationes tranſeuntes Angelorum menſurantur tempore. 132
Orant Angeli pro humano genere. 247
Orationes noſtras Angeli Deo offerunt ſuis intermixtas. 188
Ordo Sacerdotalis alios illuminat. 51
Cur ordinis inferioris dicantur Angeli. 56
Ordo ſeruatur in Angelorum Republica. 90
In quocumque Ordine Angelorum aliqui ſunt ſupremi, alij medij, alij infimi. 96

P.

PACIFICOS Angelorum inſtar nos eſſe oportet. 268
Pædagogi & Paſtores noſtri ſunt Angeli. 217

Ex peccato ſeptem defluxerunt miſeriæ. 203
Perfectiones Angelorum plurimæ. 76
S. Petri latus tetigit Angelus in carcere, & cur. 246
Pinguntur Angeli variis modis, & cur. 261
Portant nos Angeli in ſuis manibus, & quomodo id intelligitur. 194
Quantæ poteſtatis ſit quilibet Angelorum. 8
Poteſtas admiranda S. Michaëlis & aliorum Angelorum multis cõfirmata effectibus. 86
Aliquid poteſt eſſe in potentia actiua & paſſiua ſimul, & quomodo. 117
In potentia & actu aliquid eſſe, quomodo intelligatur. 18
Prædicatores dicuntur angeli. 2. & 3
Prædicatores ſunt ſimiles Angelo Apocalypſis volanti per medium Cœlum. 3
Prædeſtinationis diuinæ arcanum Angelis eſt incognitum. 207
Prædeſtinatorum numerus poteſt Angelis per reuelationem innoteſcere. 37
Præpoſiti ſunt Angeli elementis & aliis rebus etiam irrationalibus. 164
Præpoſiti ſunt nonnulli Angeli Ciuitatibus, & earum muris. 168
Præpoſiti ſunt quidam Angeli Eccleſiæ vniuerſæ & Eccleſiis particularibus, neç non cuilibet Monaſterio ſeu Collegio. 170
Præpoſiti ſunt exercitibus Angeli. 174
Præſunt Angeli ſingulis familiis. ibid.
Principium indiuiduationis quodnam ſit. 136
Pugnant pro nobis Angeli. 230
Pulchritudo Angelorum lapidibus pretioſis comparata. 80

R.

REGIS Galliæ ſub S. Michaëlis tutela ſunt, vnde Ordo Equitũ inſtitutus 87
Reges Perſarum Deum imitati ſeptem habebant Principes. 146
Religioſorum præcipuè cuſtodes ſunt Angeli, quod rationibus & exemplis probatur. 237
Religioſum monet Angelus, ſi vacillet in ſua vocatione. 241
Rerum præſentium duplex genus. 28

S.

SAPIENTIA Angelorum quomodo imitanda. 267
Scientia noſtra exigua eſt ſi ad Angelorum ſcientiam comparetur. 41
Secreta cordis Deo ſoli patent, & cur. 31
S[illegible]a non eſt ſocietas angelorum & hominum in gloria. 97
Septem Angeli Principes ſtant ante Deum, ſuntque de ordine Seraphinorum. 144. 148
Seraph qui beato Franciſco apparuit quisnam fuerit. 152
Sortilegæ quid præſtent aliquando circa puerum recenter natum. 201
Species ab initio angelis congenitæ quænam fuerint, & quæ non. 14. 15
Sub eadem ſpecie poſſunt eſſe plures angeli. 133
Sub vna ſpecie de facto plures angeli continentur. 134
Angeli eiuſdem Ordinis ſunt eiuſdem ſpeciei. 139
Species varias angelorum eſſe in eodem ordine probabile eſt. 139
Species prædicabilis & ſubjicibilis. 141
Specie differunt angelus & anima, & quomodo. 143
Spiritus ſeparati poſſunt agere in tria quæ ſunt in homine. 122
Status angeli triplex. 32
In quo ſtatu erunt angeli poſt diem iudicij. 96

T.

TEMPLA in honorem ſeptem angelorum conſtructa, & Deo dicata. 150
Templa in honorem angelorum, præſertim S. Michaëlis erecta. 248
Tempus eſt angelorum menſura per accidens ſolùm & reſpectu noſtri. 129
Terrori ſunt boni angeli malis. 219
Trinitatis, Incarnationis, &c. myſteria cognouerunt angeli, dum adhuc erant in via, & quomodo. 34

V.

VENERARI & adamare debemus angelos pro amore quo nos proſequuntur. 275
Via bonorum & malorum angelorum quantum durauit. 72
Viæ terminus bonorum & malorum angelorum diuerſus. 73
Viæ in quibus ex Dauide nos cuſtodiunt angeli, quænam ſint. 185

Viæ hominum & bonæ & malæ quæ ſint. 186
Viæ noſtræ quandoque proſperæ ſunt, & quandoque aduerſæ, & quomodo. 186
Viæ noſtræ eſt tota vita noſtra. 191
Viæ noſtræ ſunt diuerſæ ætates atque diuerſi hominum ſtatus & modi viuendi, ad quos nos inducunt angeli. 192
Viæ noſtræ in quibus cuſtodiunt nos angeli, ſunt virtutes. 192
Viæ impiorum ſunt peccata quæ horrent angeli. 192
Vigilant angeli in noſtrum bonum, & quomodo. 213
Vigilant angeli in nobis protegendis. 227
Virtutes ſeptem totidem peccatis capitalibus opponuntur. 147
Ad Virtutes nouem, ducunt nos angeli. 275
Voluntas angeli ab initio libera. 52
An angeli Voluntas flexibilis ſit. 57
Angelorum Voluntas diuinæ conformis eſt, & illam adimplent. 74

Finis Indicis Tractatus primi.

ERRATA QVÆ IN TRACTATV DE ANGELIS *irrepſerunt.*

Pagina 55. linea 33. lege *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*

Pag. 72. lin. 30. deeſt vltimum a vocabulo *Maria.*

Eadem pag. linea 35. lege *alium.*

Pag. 78. lin. 8. lege *tractu*, & lin. 13. lege *egit.*

Pag. 79. lin. 25. lege *Primò.*

Pag. 96. lin. 11. lege *Cap. 6.*

Pag. 129. lin. 6. lege *Biel.*

Pag. 154. lin. 9. deeſt vocabulum *forma.*

Pag. 172. lin. 27. lege *quatuor.*

Et eadem pag. in margine circa lineam 28. lege *ora.*